ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. LXXII

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
M-DCCCC-LXXX

An. et vol. LXXII 31 Ianuam 1980 N. 1

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

Ad Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sacerdotes et Christifideles totius Ecclesiae Catholicae: XVI expleto saeculo ab obitu Sancti Basilii, Episcopi et Ecclesiae Doctoris.

IOANNES PAULUS PP. II

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII,
SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

I, Patres Ecclesiae illi merito appellantur Sancti, qui primis vertentibus saeculis fidei suae virtute doctrinarumque excelsitate et ubertate eam novo vigore donarunt et magnopere adauxerunt.[1] Re quidem vera sunt Ecclesiae «patres», cum ab illis per Evangelium ipsa acceperit vitam.[2] Sunt pariter eius aedificatores, quoniam super una ab Apostolis iacta fundamenta, scilicet Christum,[3] primoribus formis Ecclesiam Dei construxerunt. Ex vita autem sic a suis Patribus recepta vivit etiam hodie Ecclesia; atque in ipsa compage, quam primi condiderunt illi structores, adhuc hodie aedificatur Ecclesia inter secundas res adversasque itineris sui et cotidiani laboris. Patres igitur fuerunt eruntque semper, qui ipsi stabilem quasi structuram Ecclesiae efficiunt ac per temporis saecula cuncta implent pro Ecclesia perpetuum munus.

[1] Cfr. *Gal.* 4, 19; Vincentius Lirinensis, *Commonitorium* I 3; *PL* 50, 641.
[2] Cfr. *1 Cor.* 4, 15.
[3] Cfr. *1 Cor.* 3, 11.

Ita enim contingit, ut omnis Evangelii nuntiatio et magisterium subsequens, si modo verum esse voluerit, aequari debeat cum ipsorum nuntiatione et magisterio utque omne charisma ac ministerium haurire debeat vivo ex fonte illorum paternitatis et tandem ut omnis petra nova, quae ad aedificium accesserit cotidie crescens seque amplificans,[4] locari debeat intra compagem ab eis constitutam cum ipsaque conglutinan et copulari. Certis proinde his rebus ducta non intermittit Ecclesia ad illorum decurrere opera — sapientiae plena perennisque iuventutis — ac semper eorum renovare memoriam. Eximia ergo cum laetitia per liturgicum annum patribus nostris totiensque roboramur in fide in speque firmamur. Magis vero etiam gaudium nostrum augescit, quotiens peculiares nos occasiones invitant, ut eosdem patres diutius cognoscamus et plenius. Huiusmodi autem opportunitatem affert hoc anno celebratio decimi sexti exacti saeculi a patris nostri Basilii, episcopi Caesariensis, obitu.

II. Inter Patres Graecos «Magnus» ipse nominatus Basilius liturgicis in libris Byzantinorum invocatur ut « lux pietatis » et « Ecclesiae lumen ». Quippe eam vere illuminavit etiamque nunc illustrat non minus quidem ex vitae suae integritate quam ex doctrinae suae excellentia. Primum enim maximumque Sanctorum praeceptum est ipsius vitae eorum exemplum, In familia autem Sanctorum natus, fruebatur praeterea Basilius praestantis institutionis beneficia apud honoratissimos Constantinopoli Athenisque magistros. Attamen tunc solum visus est sibi ipse vitam incohavisse pleno et certo modo, cum Christum cognoscere potuerat suum ut Dominum : id est cum ab eo vehementissime tractus, se cunctis rebus penitus disiunxit — quod'dein vitae principium erat magnopere docendo inculcaturus[5] — eiusque factus est discipulus. Sequelae igitur se Christi addixit, cui soli conformari cu^ piebat, ipsum unum respiciens unumque audiens,[6] in omnibus ei oboe^ diens « uti Domino et regi et medico et doctori veritatis ».[7] Sine ulla ergo cunctatione studia deseruit illa, quae tantopere dilexerat ex quibusque tantos hauserat scientiae thesauros ;[8] cum enim Deo soli inservire decrevisset, nihil iam scire praeter Christum volebat[9] univer^

[4] Cfr. *Eph.* *2,* 21.

[5] Cfr. *Regulae fusius tractatae 8; PG* 31, 933c-941a.

[6] Cfr. *Moralia* LXXX 1; *PG* 31, 860 be.

[7] *De baptismo* i 1; *PG* 31, 1516b,

[8] Cfr. Gregorius Nazianzenus, *In laudem Basilii; PG* 36, 525c-528c.

[9] Cfr. *1 Cor.* 2, 2.

samque aliam quam crucis sapientiam esse censebat vanitatem. Hisce verbis exeunte vita memoravit conversionis suae eventum: «Ego cum multum temporis impendissem vanitati, totamque fere iuventutem meam perdidissem inani labore, quem in discendis infatuatale a Deo sapientiae[10] disciplinis occupatus suscipiebam, ubi tandem aliquando velut ex alto somni expergefactus, respexi ad lumen admirabile veritatis Evangelii, ac vidi inutilitatem sapientiae principum huius saeculi, qui destruuntur ;[11] miserabilem meam vitam plurimum deflens, optábam dari mihi disciplinam ».[12] Suam proin vitam deflevit, quamquam secundum sancti Gregorii Nazianzeni testificationem, qui studiorum fuerat socius, mores eius fuerant humana ratione perfecti ;[13] nihilo minus tamen « miserabilis » videbatur ei vita, cum non tota et integra, ceteris exclusis, dicaretur Deo, qui unus est Dominus. Cum intolerantia invicta interpellavit studia suscepta ac, derelictis sapientiae Graecae doctoribus, «multum telluris ac pelagi»[14] peragrans, alios conquirebat magistros : videlicet « stultos » miserosque illos, qui exercebant in desertis aliam plane sapientiam. Animo sic comprehendere coepit ea, quae numquam in cor hominis ascenderant,[15] vera nimirum, quae nec rhetores nec philosophi eum docere umquam potuissent.[16] Qua nova in sapientia is cotidie magis adolescebat tamquam mirabili in gratiae curriculo : per precationem et mortificationem, per caritatis exercitationem continuamque frequentationem Sacrarum Litterarum et Patrum doctrinae.[17]

Cito exin ad ministerium est vocatus. Sed iii famulatu etiam animarum prudenti cum moderatione componebat indefatigabilem praedicandi industriam cum solitudinis intervallis crebróque precationis interioris usu. Pernecessarium enim hoc arbitrabatur principum esse «expurga^ tionis animae)),[18] ut ipsa verbi nuntiatio confirmaretur semper per vitae « evidens exemplum ».[19] Pastor ita Basilius evasit fuitque simul secundum principalem nominis vim monachus ; quin immo numeratus sine

[10] Cfr. *1 Üor.* 1, 20.

[11] Cfr. *1 Cor.* 2, 6.

[12] *Epistula* 223; *PG* 32, 824 a.

[13] *In laudem Basilii; PG* 36, 521 cd.

[14] *Epistula* 204; *PG* 32, 753 a.

[15] Cfr. *1 Cor.* 2, 9.

[16] Cfr. *Epistula* 223, *PG* 32, 824 bd.

[17] Cfr. *Praesertim Epistulae* 2 et 22.

[18] *Epistula* 2, *PG* 32, 228 a. Cfr. *Ep.* 210, 769 a.

[19] *Regulae fusius tractatae* 43; *PG* 31, 1028a-1029b. Cfr. *Moralia* LXX 10; *PG* 31, 824 d-825 b.

dubitatione est maximos inter Ecclesiae pastores-monachos : species episcopi singulariter perfecta et insignis fautor legumque lator monasticae vitae. Sua namque ipsius experientia valens plurimum contulit ad christianorum communitates efficiendas «divino servitio»[20] omnino consecratorum atque in se onus recepit et officium easdem saepius invisendi et sustinendi.[21] Ad suam vero earumque utilitatem mirandos seruit cum eis sermones, quorum plures Dei ex beneficio scripti ad nos devenerunt.[22] Iisdem postea ex sermonibus plures legum latores monachatus — in primis autem ipse sanctus Benedictus, qui Basilium suum habet magistrum[23] — praecepta derivaverunt ; ex illis similiter scriptis — recta obliquave via cognitis — moti sunt magnam partem ii, qui tum in oriente tum in occidente monasticam sunt vitam amplexi. His de causis existimant plerique institutum principale istud, quod monastica est vita in totius Ecclesiae compage, stabilitum multa esse in saecula potissimum a sancto Basilio aut saltem non secundum propriam suam naturam definitum esse sine praecipuis illius partibus.

Ob mala vero et incommoda, ex quibus tunc temporis populus Dei laborabat,[24] permultum Basilio patiendum fuit. Ea tamen ipse candide indicavit eorumque causas lucide amanterque denotavit, ut immensum reformationis opus fortiter aggrederetur : opus — omni ceteroquin tempore persequendum omnique novandum aetate — quod illuc nempe spectabat, ut Domini Ecclesia, « pro qua Christus mortuus est, et super quam large Spiritum sanctum effudit»,[25] suam ad primigeniam redigeretur formam, ad illam videlicet directoriam ipsius imaginem, pulchram quidem et puram, quam nobis Christi verba Apostolorumque Acta tradiderunt. Quotiens meminit cum ardore efficacique desiderio sanctus Basilius temporis illius, quo ((multitudinis credentium erat cor unum, et anima una».[26] Industria autem eius ad reformationem attinens convenienter simul perfecteque dirigebatur ad universas rationes ac partes et ambitus vitae christianae.

Ex ipsa ministerii sui natura episcopus in primis est proprii populi

[20] *Regula Benedicti, Prologus.*

[21] Cfr. Gregorius Nazianzenus, *In laudem Basilii; PG* 36, 536 b.

[22] Cfr. *Regulae "brevius tractatae, prooemium; PO* 31, 1080 ab.

[23] Cfr. *Regula Benedicti,* LXXIII 5.

[24] Cfr. *De iudicio; PO* 31, 653b.

[25] *Ibid.*

[26] *Act.* 4, 32 : cfr. *De iudicio* 660 c. *Regulae fusius tractatae* 7, 933 c. *Homilia tempore f amis,* 325 ab.

pontifex ; ac populus ipse Dei ante omnia populus est sacerdotalis. Nullo igitur pacto neglegere licet episcopo, revera Ecclesiae bonum curanti, liturgiam sacram eiusque vim et ubertatem, pulchritudinem et ((veritatem». Immo vero intra totum pastorale opus cura liturgiae congruenter obtinet supremum locum ipsumque occupat quasi culmen ceterorum quorumlibet coeptorum; etenim, quemadmodum Concilium Vaticanum II commonet, «liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat »,[27] ipsiusque proin «efficacitatem eodem titulo eodemque gradu nulla alia actio Ecclesiae adaequat».[28] Quarum rerum singularum plane sibi conscius erat Basilius ; et sic monasticarum legum institutor[29] esse pariter sciebat precum descriptor.[30] Ex cunctis vero illius operibus hac in provincia peractis superest velut hereditas pretiosa Ecclesiae omnium temporum anaphora et merito, quae nomen ipsius habet: insignis nimirum prex eucharistica, quae ab illo retractata ac locupletata censetur pulcherrimarum omnium ipsa pulcherrima. Nec tamen istud sufficit. Nam primaria etiam compositio psalmodicae precis ad eum refertur tamquam ad maiorem inter alios suum auctorem et artificem.[31] Itaque propter impetum, quem dederat Basilius, psalmodia — «spirituale thymiama » spiritus populi Dei ac solacium[32] — plurimum in Ecclesiae a fidelibus est amata innotuitque pueris et iuvenibus, doctis atque indoctis ;[33] prout ipse Basilius narrat, « de nocte siquidem consurgit apud nos populus ad domum precationis, ... in psalmodiae varietate nocte traduxere intermistis precibus ».[34] Psalmos ideo, qui in templis non secus ac tonitruo quodam personuerunt,[35] «et domi modulantur, et in forum circumf erunt ».[36]

Studioso amore Basilius diligebat Ecclesiam cumque sciret virginitatem eius ipsam esse illius fidem, vigilantissimus fidei eiusdem integritatem custodiebat.[37] Idcirco et debuit fortiter contendere et potuit non

[27] *Sacrosanctum Concilium,* 10.
[28] *Ibid.,* 7.
[29] Gregorius Nazianzenus, *In laudem Basilii; PG* 36, 541 c.
[30] *Ibid.*
[31] Cfr. *Epistula* 2 et *Regulae fusius tractatae* 37; *PG* 31, 1013b-1016c.
[32] Cfr. *In Psalmum* 1; *PG* 29, 212a-213c.
[33] *Ibid.*
[34] *Epistula* 207; *PG* 32, 764 ab.
[35] Cfr. Gregorius Nazianzenus, *In laudem Basilii; PG* 36, 561 cd.
[36] Cfr. *In Psalmum 1; PG* 29, 212 c.
[37] Cfr. *2 Cor.* 11, 2.

adversus homines verum contra adulterantes ipsum Dei verbum,[38] id est omnem veritatis depravationem et depositi sancti violationem[39] a Patribus transmissi. Pugna autem eius nihil prae se ferebat violentia •cum vis esset amoris; perspicuitas ipsius nihil secum ferebat arrogan tiae, cum mansuetudo esset amoris. A principio itaque ad finem ministerii sui nisus est, ut integra significatio formulae Mcenae conservar etur de divinitate Christi « consubstantialis)) Patri ;[40] item vero pugnabat, ne Spiritus gloria minueretur, qui, cum crederetur «complere Trinitatem sanctam... particeps esse divinae ac beatae naturae »,[41] numerandus erat cum Patre et Filio necnon conglorificandus.[42]

Etsi gravissimis se obiciebat vitae periculis, firmiter tamen vigilábat, ut Ecclesiae libertas custodiretur ; verus cum episcopus esset, principibus adversari nihil dubitabat, ut suum populique Dei ius defenderet veritatis confitendae atque Evangelio obtemperandi.[43] Sanctus Gregorius Nazianzenus, qui illius conten tionis narrat memorabilem quidem eventum, probe nobis ostendit arcanam vim Basilii potentiae repositam sola esse in ipsa nuntii eius simplicitate, in testificationis claritate, in maiestate dignitatis sacerdotalis.[44]

Haud minore autem asperitate, quam adversus haereses adhibuerat ac tyrannos, Basilius se gessit contra ambiguitates morumque deformitates intra Ecclesiam, praesertim vero contra affectationem saecularem bonorumque cupiditatem. Movebatur tunc, uti antea semper, eodem erga veritatem et Evangelium amore ; nam, quamvis rationibus diversis, ipsum tamen semper Evangelium negabatur et repudiabatur tam per errores haeresiarcharum quam per divitum cupiditates. Hac de re notabiles in exemplum sunt loci quorundam illius sermonum : « "Vende quae habes et da pauperibus" ;[45] ... si non occidisti, ut ais, neque adulterium commisisti ,neque iuratus es, neque contra quempiam falsum testimonium dixisti; nihilominus tamen adhibitam in his agendis diligentiam tibi infructuosam efficis, qui quod reliquum est non adicias, quo solo possis

[38] Cfr. *2 Cor.* 2, 17.

[39] Cfr. *1 Tim.* 6, 20. *2 Tim.* 1, 14.

[40] Cfr. *Epistula* 9; *PC* 32, 272a; *Epistula* 52, 392b-396a; *Adv. Eunomium* I; *PG* 29, 556 c.

[41] *Epistula* 243; *PG* 32, 909 a.

[42] Cfr. *De Spiritu sancto; PG* 32, 117c.

[43] Cfr. Gregorius Nazianzenus, *In laudem Basilii; PG* 36, 557e-561c.

[44] Cfr. *ibid.,* 561c-564b.

[45] *Mt.* 19, 22.

in Dei regnum ingredi».[46] Qui enim secundum Dei praeceptum cupit proximum amare suum,[47] « nihil amplius quam proximus possidet ».[48] Ac multo quidem vehementius in tempore famis et siccitatis cohortatur, «ne brutis animantibus videamur immaniores quae sunt communia abdimus in sinu, ea quae multorum sunt possidemus soli».[49] Hoc est acerrimum studium eius, animos simul turbans et pulcherrimum, et haec cohortatio, ad Ecclesiam omnium aetatum directa, ut ipsa serio animo Evangelium amplectatur ! De quo Evangelio, unde praecipitur amor et ministerium pauperum, Basilius non solum verbis istis testimonium reddidit, verum etiam permagnis caritatis operibus, qualis fuit aedificatio ante moenia Caesareae immensi hospitii recipiendis egenis ;[50] quin immo vera illa fuit misericordiae civitas, quae ab ipso nomen Basiliadis recepit,[51] atque germanum documentum unius evangelici nuntii.

Idem praeterea Christi amor eiusque Evangelii fecit, ut tantopere sanctus Basilius cruciaretur ob Ecclesiae discidia utque tanta cum perseverantia, sperans contra spem, conquireret efficaciorem manifestiorem - que communionem universis cum Ecclesiis.[52] Etenim Christianorum discordia ipsam obscurat Evangelii veritatem Christumque ipsum lacerat.[53] Credentium partitio opponitur unius baptismi virtuti,[54] qui in Christo nos unum quiddam efficit, immo unicam quandam mysticam personam ;[55] opponitur etiam supremae Christi auctoritati, qui unicus est rex et cui omnes pariter subici debent; opponitur tandem potestati et coniungenti efficacitati ipsius verbi Dei, quod unica restat lex, cui credentes universi concorditer pareant oportet.[56] Quapropter Ecclesiarum divisio sic liquido directoque adversatur tum ipsi Christo tum biblicae doctrinae, ut, e sancti Basilii sententia, sola via redintegrandae unitatis esse possit nova omnium conversio ad Christum eiusque verbum.[57]

Per multiplicem igitur ministerii sui exercitationem factus est Ba-

[46] *Homilia in divites; PG* 31, 280 b-281 a.

[47] Cfr. *Lc.* 19, 18; *Mt.* 19, 19.

[48] *Homilia in divites; PG* 31, 281 b.

[49] *Homilia tempore f amis ; PG* 31, 325 a.

[50] Cfr. *Epistula* 94, 488 bc.

[51] Cfr. Sozomenus *Historia Eccl.,* VI, 34; *PG* 67, 1397 a.

[52] Cfr. *Epistulae* 70 et 243.

[53] Cfr. *1 Cor.* 1, 13.

[54] Cfr. *Eph.* 4, 4.

[55] Cfr. *Gal.* 3, 28.

[56] Cfr. *De iudicio; PG* 31, 653a-656c.

[57] Cfr. *ibid.* 660 b-661 a.

silius idem ille, quem fieri aliquando iussit omnes verbi nuntiatores: videlicet apostolus et minister Christi, mysteriorum Dei dispensator, praeco regni caelorum, forma et regula pietatis, oculus in corpore Ecclesiae, pastor ovium Christi, medicus cum multa commiseratione, pater et nutrix, Dei adiutor, plantator palmitum Dei, aedificator templi Dei.[58] Et in hac industria atque pugna — aspera aerumnosa perpetua — suam Basilius obtulit vitam[59] seque velut holocaustum confecit. Obiit namque annos natus quinquaginta, laboribus ac disciplina ascetica absumptus.

III. Summatim ita breviterque commemoratis vitae Basilii praecipuis partibus ac rationibus eius christianae actionis necnon episcopalis operis, convenire prorsus videtur, ut ex uberrima ipsius scriptorum hereditate saltem maxima quaedam delibentur praecepta. Si quis enim ad illius se scholam contulerit, lucem forsitam inde hauriat, quo melius quaestiones difficultatesque huius nostri temporis tractet auxiliumque etiam afferat nobis in praesens ac futurum tempus.

Non autem praeter rem agere nos videmur, si ab iis proficiscimur quae de sanctissima Trinitate Basilius docuit. Quin immo nullum certe melius inveniri potest principium, si persequi studemus ipsam eius cogitationem. Quid praeterea magis vitae nostrae prodesse potest quam mysterium ipsius vitae Dei? Num aliud ullum argumentum maioris esse potest momenti maiorisque gravitatis in vita cuiuslibet hominis? Loquimur de homine novo, qui ex intima sua natura ac vita huic mysterio conformatur; loquimur de omni homine, sive novit istud sive minus; nam hominum nemo est, quin a Christo Verbo aeterno et a Spiritu et in Spiritu vocatus sit ad Patrem glorificandum.

Hoc est mysterium primordiale, id est sanctissima Trinitas, siquidem nihil aliud est quam ipsum mysterium Dei, Dei unici, vivi et veri.

Realitatem huiusce mysterii sanctus Basilius firmiter enuntiat: trias nominum divinorum, ut ipse afiârmat, tres hypostases distinctas certo significat.[60] Sed non minore cum firmitudine asserit absolutam earum inaccessibilitatem. Quam dilucide conscius erat summus hic theologus infirmitatis et insufficientiae cuiusvis tractationis theologi -

[58] **Cfr. *Moralia* LXXX 12-21; *PO* 31, 864b-868b.**

[59] **Cfr. *Moralia* xxxx 18, 865 e.**

[60] **Cfr. *Adv. Eunomium* i; *PO* 29, 529 a.**

eae! Nemo, ut ait ipse, potest id facere pro rei dignitate, atque mysterii magnitudo superat omnem sermonem, ita ut ne linguae quidem angelorum eo pertingere valeant.[61]

Est ergo Deus vivus *realitas* immensa ut abyssus et inscrutabilis ! Nihilominus sanctus Basilius persuasum habet se ((debere » loqui de ea ac quidem ante omnia et magis quam de ceteris cunctis; et quippe qui credat loquitur ;[62] idque agit vi ductus irrefrenabili amoris, obtemperatione iussis Dei, in aedificationem Ecclesiae, quae non «sanatur eiusmodi auditionibus ».[63]

Sed fortasse rectius dicitur Basilius, cum verus sit «theologus», potius cantare hoc mysterium quam de eo loqui. Cantat Patrem; qui est «omnium principium, eorum quae exsistunt causa, radix viventium»,[64] et potissimum «Pater Domini nostri Jesu Christi».[65] Quomodo autem Pater praecipue ad Filium refertur, ita Filius — Verbum, quod in sinu beatae Mariae Virginis factum est caro — imprimis ad Patrem refertur. Hoc sane modo illum Basilius contemplatur et cantat quasi « lucem inaccessam, potentiam ineffabilem, magnitudinem finibus nullis circumscriptam, gloriam supermicantem "mysterii sanctissimae Trinitatis, Deum apud Deum",[66] imaginem bonitatis Patris, aequalis figurae signaculum ».[67] Solummodo hac ratione, confitens sine ambiguitate Christum tamquam « unum sanctae Trinitatis »,[68] Basilius eum aspicere valet — ex rei veritate prorsus considerans — in exinanitione humanitatis ipsius. Ille, raro quidem exemplo, inducit nos, ut quaerendo perpendamus infinitum spatium, quod Christus emensus est; raro exemplo mentes nostras intendit in profundum humiliationis eius, « qui, cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens».[69]

In sancti Basilii doctrina Christologia gloriae nullatenus efficit, ut Christologia humiliationis attenuetur; quin immo illa maiore cum vi

[61] Cfr. *Homilia de fide; PG* 31, 464 b-465 a.

[62] Cfr. *2 Cor.* 4, 13.

[63] *Homilia de fide,* 464 cd.

[64] *Ibid.,* 465 c.

[65] *Anaphora 8. Basilii.*

[66] *Homilia de fide,* 465 cd.

[67] Cfr. *Anaphora 8. Basilii.*

[68] *Liturgia 8. Ioannis Chrysostomi.*

[69] *Phil.* 2, 6 s.

declarat argumentum illud primarium Evangelii, id est verbum crucis[70] et scandalum crucis.[71]

Haec profecto sunt lineamenta, illi assueta, sermonis de re christologica, quatenus lumen gloriae sensum humiliationis revelat.

Obtemperatio Christo est verum ((evangelium», videlicet prorsus singularis effectio redimentis amoris Dei, propter hoc ipsum quod — et solum eatenus — is, qui oboedit est « unigenitus Dei Filius Dominus et Deus noster ... per quem omnia facta sunt»;[72] atque ita eadem obtemperatio infringere valet obstinatam inoboedientiam nostram. Dolores Christi, agni immaeulati, qui non aperuit os suum coram percutientibus se,[73] momentum habent et vim aeternam et universalem, quia scilicet is, qui passus est talia, est «caeli terraeque conditor ac dominus, qui a creatura omni tam spirituali quam in sensum, cadendi adoratur, portans omnia verbo virtutis suae»;[74] hoc sane modo passio Christi violentiae nostrae moderatur iramque lenit nostram.

Crux demum reapse est nostra «spes unica»,[75] non clades, sed eventus salvificus, « exaltatio »[76] et mirabilis triumphus tantummodo propterea quod is, qui ei est affixus in eaque mortuus, «est Dominus noster et omnium *v,*[77] « per quem omnia tum visibilia tum invisibilia. facta sunt, qui vitam habet quemadmodum habet qui ei dedit Pater, qui potestatem omnem a Patre accepit»;[78] quo fit, ut mors Christi nos liberet a «timore mortis», cui omnes fuimus obnoxii.[79]

A Christo « Spiritus sanctus processit, Spiritus veritatis, gratia adoptionis, arrha futurae hereditatis, primitiae aeternorum bonorum, vivifica potentia, fons sanctificationis, a quo omnis creatura ratione ac mente praedita, viribus acceptis confirmata Patrem colit et aeternam ei tribuit glorificationem».[80]

Qui quidem hymnus Anaphorae sancti Basilii egregie et compendiaria ratione partes Spiritus indicat in oeconomia salutis.

[70] **Cfr. *1 Cor.* 1, 18.**

[71] **Cfr. *Gal.* 5, 11.**

[72] ***De iudicio; PG* 31, 660 b.**

[73] **Cfr. *Is.* 53, 7.**

[74] **Cfr. *Hebr.* 1, 3: *Horn, de ira, PG* 31, 369 b.**

[75] **Lit. Hor., Hebdomada Sancta, hymnus ad Vesperas.**

[76] **Cfr. *Io.* 8, 32 s, et alibi.**

[77] **Cfr. *Act.* 10, 36: *De baptismo* n 12; *PG* 31, 1624 b.**

[78] ***De baptismo* II 13, 1625 c.**

[79] **Cfr. *Hebr.* 2, 15.**

[80] **Cfr. *Anaphora S. Basilii.***

Spiritus enim, qui unicuique baptizato datur, in singulis charismata operatur singulisque in memoriam revocat praecepta Domini ;[81] Spiritus ipse universam animat Ecclesiam;, disponit et vivificat donis suis eamque totam in corpus «spirituale» et charismaticum redigit.[82]

Exinde sanctus Basilius ad serenam contemplationem « gloriae » Spiritus, arcanam et incomprehensibilem, ascendit, confitens eum esse supra omnem humanam creatur am,[8]? Regem ac Dominum, quia ab eo transformamur, ut consortes fiamus divinae naturae,[84] et Sanctum, quia ab eo sanctificamur.[85] Basilius ergo, quoniam hoc modo contulit ad fidem trinitariam enuntiandam Ecclesiae, etiamnum ad huius cor loquitur eamque solatur, praesertim luculenta confessione Consolatoris eius.

Splendidissima vero lux mysterii sanctae Trinitatis non sane officit hominis gloriae; quin immo quam maxime eam exaltat atque revelat. Nam homo non est Dei aemilius, cui ineptus opponatur; neque Deo caret atque in solitudine sua degit desperäns; sed est repercussa Dei imago.

Quapropter quo magis Deus splendei, eo magis lumen eius in homine refulget; et quo magis Deus celebratur, eo magis hominis dignitas extollitur. Atque eadem hac ipsa ratione sanctus Basilius praedicavit hominis dignitatem: considerans videlicet eam totam tamquam cum Deo coniunctam, id est ad suum finem spectantem.

Namque homo in primis ad Deum cognoscendum intellectum accepit; ad legem vero eius implendam est libertate donatus. Atque solummodo tamquam imago Dei homo naturae universae ordinem transcendit, «magis caelo, magis sole, magis stellarum choreis honoratus (ecquod enim caelorum imago Dei altissimi dictum est?».[86]

Hanc autem ipsam ob rem, gloria hominis tota in hac ipsius coniunctione cum Deo est posita. Quapropter homo hanc dignitatem suam « regalem » eatenus plene tuetur,; quatenus imaginem Dei expressam in se retinet; atque idcirco reapse suus solummodo erit, si cognoscat atque diligat eum, a quo intellectum atque libertatem accepit.

Ante Basilium vero haec habet sanctus Irenaeus omnino egregia:

[81] **Cfr. *De baptismo* i 2 ; *PO* 31, 1561 a.**

[82] **Cfr. *De Spiritu sancto; PO* 32, 181 ab; *De iudicio, PO* 31, 657c-660a.**

[83] **Cfr. *De Spiritu sancto,* cap. 22.**

[84] **Cfr. *ibid.,* cap. 20 s.**

[85] **Cfr. *ibid.,* cap. 9 et 18.**

[86] ***In Psalmum* 48; *PO* 29, 449 c.**

« Gloria Dei vivens homo, vita hominis visio Dei »,[87] quasi dicat : homo vivens est in se ipse Dei gloriflcatio, utpote pulchritudinis illius radius; sed nullam habet «vitam», nisi quatenus a Deo hauserit, personali quidem cum illo necessitudine. Quodsi huic deest officio, homo vocationem suam praecipuam irritam facit, atque dignitatem suam opere negat atque dehonestat.[88]

Quid autem est aliud peccatum nisi hoc? Nonne Christus venit, ut gloriam huius Dei imaginis, id est hominis, repararet atque restitueret, quam homo peccando obscuraverat,[89] corruperat,[90] confregerat.[91] Ob id ipsum, affirmat S. Basilius, vocibus sacrarum Litterarum usus : « Verbum caro factum est, et habitavit in nobis,[92] et usque adeo se ipsum depressit, ut factus sit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis».[93] Quare, homo, «ex persoluto pro te pretio, qualemcumque dignitatis tuae notionem accipe; ad pretium illud quo commutatus es respice, tuamque agnosce dignitatem».[94]

Dignitas ergo hominis tum Dei tum crucis mysterio continetur ; atque haec est doctrina Basilii circa homines seu « humanismus » vel, quo simplicius dicamus, «humanismus» christianus.

Quare imaginis restauratio per unius crucis Christi virtutem fieri potest. Nam eius «usque ad mortem obedientia... facta nobis est redemptio peccatorum, liberatio mortis in peccato, quod a saeculo est, regnantis, reconciliatio cum Deo, virtus qua grati efficimur Deo et accepti, iustitiae donum, societas sanctorum in aeterna vita regni caelorum hereditas».[95] Atqui hoc, secundum Basilii mentem, idem est ac dicere omnia haec perfici est aliud quam salvificus eventus mortis Christi, in quem inserimur celebratione mysterii? Etenim sacramentale mysterium, quod est mortis eius «imitatio», nos in eius mortem demergit, ut Paulus scribit : « An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in Christo, in mortem ipsius baptizati sumus?».[96]

Innixus igitur in arcana identitate baptismi et paschalis Christi

[87] *Adversus haereses* IV, 20, 7.
[88] Cfr. *In Psalmum* 48, 449(1-452 a.
[89] *Homilia de malo; PO-* 31, 333 a.
[90] *In Psalmum* 32; *PG* 29, 344 b.
[91] *De baptismo* i 2; *PG* 31, 1537 a.
[92] *Io.* 1, 14.
[93] Cfr. *Phil.* 2, 8; *In Psalmum* 48; *PG* 29, 452 ab.
[94] *Ibid.*, b.
[95] *De baptismo* i 2 ; *PG* 31, 1556 b.
[96] *Rom.* 6, 3.

eventus, Basilius, Pauli vestigia sequendo **edocet** baptizari nihil aliud esse quam vere crucifigi, id est cum Christo cruci unicae eius affigi, vere eandem ipsius obire mortem, sepeliri ipsius sepelitione et idcirco resurgere ipsius resurrectione.[97]

Merito igitur ille ad baptismum eadem gloriae nomina transfert, quibus crucem celebrat. Quare «baptismus captivis est redemptionis pretium, debitorum condonatio, mors peccati, regeneratio animae, indumentum lucidum, sigillum quod conatu nullo frangi potest, vehiculum ad caelum, regni conciliator, adoptionis donum».[98] Sane per illum homo conglutinatur cum Christo, per quem in intimam vitam trinitariam inseritur ; atque ita fit spiritus, quia ex Spiritu generatus,[99] et filius, quia Filium induit, artissima necessitudine cum Unigeniti Patre coniunctus, qui vere exinde eius pater factus est.[100]

Tam acriter mysterium baptismale consideranti clarior fit Basilio ipse sensus christianae vitae. Ceterum, quomodo comprehendamus hoc novi hominis mysterium, nisi animum intendendo in nitidissimam hanc ipsius novam nativitatem divinamque virtutem, quae per baptismum eum genuit? « Quid proprium Christiani »?, quaerit Basilius ; qui et respondet : « Generari denuo et aqua et Spiritu Sancto per baptismum ».[101] Nam solum eo, unde sumus, percipi potest quid simus atque illud pro quo simus.

Cum sit nova creatura, Christianus etiam tum cum non est de re plane conscius, novam vivit vitam; atque in imo sui, tametsi id in agendo neget, in novam patriam transmigrât, quasi caelestis in terris,[102] siquidem Dei opus est quam maxime et quam certissime efficax, atque semper aliquo modo excedit quidquid homo potest aut repugnare aut contra dicere.

Sine dubio oûicium est hominis — est autem ipsius christianae vitae sensus, necessario cum baptismate necessitudinem habens — ut id fiat ille, quod ipse est ; ut nempe se adaequet cum nova ratione « spirituali » atque eschatologica personalis sui mysterii, sicut sanctus Basilius dilucide, ut moris est ei, ait : « Quae sit ratio aut vis baptismatis?

[97] **Cfr.** ***De baptismo*** **i 2.**
[98] ***In sanctum baptisma; PG*** **31, 433 ab.**
[99] **Cfr.** ***Moralia*** **xx 2;** ***PG*** **31, 736 d;** ***ibid.*** **LXXX 22, 869 a.**
[100] **Cfr.** ***De baptismo*** **i 2, 1564 c-1565 b.**
[101] ***Moralia*** **LXXX 22;** ***PG*** **31, 868 d.**
[102] **Cfr.** ***De Spiritu sancto; PG*** **32, 157c;** ***In sanctum baptisma; PG*** **31, 429 b.**

Nempe ut baptizatus et mente et sermone et actione mutetur, atque per virtutem sibi datam fiat id ipsum, quod est illud ex quo natus est».[103]

Eucharistiam, qua christiana initiatio perficitur, sanctus Basilius semper reputat artissime cum baptismate coniunctam. Unicus enim cum sit cibus novae baptizati condicioni conveniens, ad eius novam vitam sustinendam aptus novasque vires alendas,[104] cultus in spiritu et veritate, novi sacerdotii exercitatio et perfectum novi Israel sacrificium,[105] sola Eucharistia novam creationem, quae in baptismate fit, plene efficit et absolvit.

Quare mysterium est maximae laetitiae — nonnisi cantando licet eius participes esse[106] — et infinitae, tremendae sanctitatis. Quomodo corpus Domini tractet, qui in peccato est?[107] Oportet sane Ecclesia, quae sacram communionem ministrat, sit « sine macula et ruga, sancta et immaculata » ;[108] semper nempe, mysterii quod celebrat bene conscia, se exploret,[109] quo magis ac magis «ab omni inquinamento et immunditia »[110] se mundet.

Ceterum non licet ei a communione ministranda abstinere; nam et ipsum baptisma ad Eucharistiam, quae est ad vitam aeternam necessaria,[111] refertur, et baptizatorum populus ideo debet esse purus, ut sit Eucharistiae particeps.[112]

Accedit quod una Eucharistia, paschalis Christi mysterii verum memoriale, efficere potest, ut memoria eius amoris in nobis vigeat. Ea igitur causa est, cur Ecclesia vigilet; siquidem, nisi divina efficacitas huius incitamenti, continui et blandissimi, eam moveret, nisi oculorum Sponsi sui in se defixorum vim acutam sentiret, facillime ipsa immemor, torpida, infidelis evaderet. Eo igitur consilio Eucharistia instituta est secundum Domini verba : « Hoc facite in meam commemorationem »,[113] eoque consilio est celebranda.

[103] ***Moralia* xx 2; *PG* 31, 736 d.**
[104] **Cfr. *De baptismo x* 3; *PG* 31, 1573 b.**
[105] **Cfr. *ibid.* n 2 s et 8, 1601 c; *Epistula* 93; *PG* 32, 485a**
[106] **Cfr. *Moralia* xxi 4; *PG* 31, 741 a.**
[107] **Cfr. *De baptismo* n 3; *PG* 31, 1585 ab.**
[108] ***Eph.* 5, 27: *Moralia* LXXX 22, 869 b.**
[109] **Cfr. *1 Cor. 11,* 28: *Moralia* xxi 2, 740 ab.**
[110] ***De baptismo n* 3; *PG* 31, 1585 ab.**
[111] **Cfr. *Moralia* xxi 1 ; *PG* 31, 737 c.**
[112] **Cfr. *Moralia* LXXX 22, 869 b.**
[113] ***1 Cor.* 11, 24 s et par.**

Id dictare sanctum Basilium non taedet : « in commemorationem »,[114] immo in perpetuam commemorationem, « ad indelebilem memoriam »,[115] ut «efficaciter memoriam illius, qui pro nobis mortuus est et resurrexit », exprimamus.[116]

Solummodo ergo Eucharistia, Deo providente et donante, potest in cordibus custodire « sigillum »[117] illius Christi memoriae, quae urgens nos et refrenans, impedit, ne peccemus; eamque ob causam sanctus Basilius ad Eucharistiam praecipue refert haec Pauli Apostoli verba. ((Caritas Christi urget nos, aestimantes hoc quoniam, si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est, ut et, qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit».[118] At quid est pro Christo vivere — seu ((Deo ex toto vivere » •— nisi res ipsa foederis baptismalis?[119] Idcirco hac quoque ratione Eucharistia exsistit baptismatis consummatio, cum sola det ex eo fideliter vivere eiusque gratiae virtutem ad effectum continenter adducat.

Inde sanctus Basilius non dubitat frequentem, quin etiam cotidianam communionem suadere : « Singulis enim diebus communicare, ac participem esse sancti corporis et sanguinis Christi, bonum est et utile, cum ipse dicat : "Qui comedit meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam".[120] Quis enim dubitat quin vitae continenter esse participem nihil aliud sit quam multiplici ratione vivere)).[121]

Verus «vitae aeternae cibus)), novae baptizati vitae nutriendae aptus, est, aeque ac Eucharistia, «omne verbum quod procedit de ore Dei)).[122] Ipse sanctus Basilius hanc verbi Dei cum corporis Christi mensa fundamentalem necessitudinem graviter statuit ;[123] nam et Scriptura, etsi aliter, est, ut Eucharistia, divina, sancta et necessaria. Est vere divina, ita insolita cum vi asseverat Basilius, « Dei)) videlicet sensu vero proprioque. Eam Deus ipse inspiravit,[124] Deus confirma-

[114] ***Moralia* xxi 3, 740 b.**

[115] ***Ibid.,* 1576 d.**

[116] ***Moralia* LXXX 22, 869 b.**

[117] **Cfr. *Regulae fusius tractatae* 5; *PG* 31, 921 b.**

[118] ***2 Cor.* 5, 14 s.**

[119] **Cfr. *De baptismo* n 1; *PG* 31, 1581 a.**

[120] ***Io.* 6, 54.**

[121] ***Epistula* 93, *PG* 32, 484 b.**

[122] ***Mt.* 4, 4; cfr. *Dt.* 8, 3: *De baptismo* i 3; PG 31, 1573bc.**

[123] **Cfr. *Dei Verbum* 21.**

[124] **Cfr. *De iudicio, PG* 31, 664d; De fide ib. 677 a, etc.**

vit,[125] Deus pronuntiavit per hagiographos[126] — Moysen, prophetas, evangelistas, apostolos[127] — et praesertim per Filium suum[128] ipsum, unum Dominum : sive in Vetere, sive in Novo Testamento ;[129] varia quidem vehementia variaque revelationis plenitudine,[130] sine ulla tamen contradictione.[131]

Scriptura igitur, cum sit re divina, etsi humanis verbis expressa, summae est auctoritatis : fidei fons, secundum Pauli verbum,[132] certitudinis plenae, non dubiae, non instabilis est fundamentum.[133] Cum tota ex Deo sit, tota est, minimis quoque ex partibus, immensi ponderis et digna, quae maxime observetur.[134]

Quam ob rem Scriptura merito etiam sancta dicitur : quemadmodum enim Eucharistiam profanare horribile est sacrilegium, ita et sacrilegum est aliquid in integritatem et puritatem verbi Dei moliri. Non est ideo secundum humanas rationis categorias intellegenda, sed ex sua ipsius doctrina, veluti «Dominum ipsum de eorum quae ab ipso dicta sunt interpretatione interrogando » ;[135] nec de illis divinis scriptis, Ecclesiae traditis in omne aevum, licet quidquam demere, neque quidquam iisdem addere; de iis videlicet sanctis verbis loquimur, quae Deo semel in tempora cuncta sunt enuntiata.[136]

Prorsus necesse est animus in verbum Dei semper feratur adorans et fidelis et amans. Ex ea potissimum et Ecclesia haurire debet ad suum nuntium edicendum,[137] ipsis Domini verbis ducta,[138] ne forte «humana faciat pietatis verba».[139]

Ad Scripturam denique Christianus quisque « semper et ubique »,

[125] **Cfr. *De fide; PG* 31, 680 b.**

[126] **Cfr. *Regulae brevius tractatae,* 13 ; *PG* 31, 1092 a ; *Adv. Eunomium* II ; *PG* 29, 597 c, etc.**

[127] **Cfr. *De baptismo* i 1; PG 31, 1524(1.**

[128] **Cfr. *De baptismo* i 2, 1561 c.**

[129] **Cfr. *Regulae brevius tractatae,* 47, *PG* 31, 1113 a.**

[130] **Cfr. *Regulae brevius tractatae,* 276; *PG* 31, 1276 cd; *De baptismo* i 2; *PG* 31, 1545 b.**

[131] **Cfr. *De fide, PG* 31, 692 b.**

[132] **Cfr. *Rom.* 10, 17 : *Moralia* LXXX 22 ; *PG* 31, 868 c.**

[133] ***Ibid.***

[134] **Cfr. *In Hexaem.* vi, *PG* 29, 144c; *ibid.* viii 184c.**

[135] ***De Baptismo* n 4, *PG* 31, 1589 b.**

[136] **Cfr. *De fide, PG* 31, 680 ab; *Moralia* LXXX 22, *ibid.* 868 c.**

[137] **Cfr. *In Psalmum 115, PG* 30, 105 c. 108 a.**

[138] **Cfr. *De baptismo x* 2, *PG* 31, 1533 c.**

[139] ***Epistula* 140, *PG* 32, 588 b.**

quodcumque init consilium,[140] se revocare debet, « parvulus factus »,[141] efficacissima ex eo sumens infirmitatum suarum remedia,[142] neque ullum quasi gradum facere audens, nisi illorum verborum lumine collustratus.[143] Totum sancti Basilii magisterium est, ut diximus, vere christianum « evangelium », laetus nuntius salutis. Nonne gaudii plena atque ipse fons gaudii est gloriae Dei confessio, quae in homine, eiusdem imagine, refulget? Nonne mirabilis crucis victoriae nuntius, qua, «in magnitudine misericordiae et multitudine miserationum Dei»,[144] peccata nostra condonata sunt, antequam ea nos patraremus?[145] Quid iucundius quam nuntius baptismatis, quo regeneramur, vel Eucharistiae, qua nutrimur, vel Verbi, cuius lumine perfundimur? Sed ob hoc praesertim quod nec neglexit nec minuit potentiam salutiferam atque transformationem operis Dei et «virtutum saeculi venturi»,[146] ab omnibus sanctus Basilius firmissime postulat absolutum amorem in Deum, plenum absque ulla exceptione famulatum, perfectam vitam iuxta modum doctrinamque Evangelii.[147]

Namque, si baptismus est gratia — quin immo singularis gratia ! — quotquot eam sunt adepti, reapse acceperunt « facultatem ac potestatem placendi Deo »,[148] et ideo « omnes pariter debent eandem baptismatis rationem sequi», videlicet «secundum Evangelium vivere».[149]

«Omnes pariter», ait; non enim sunt Christiani secundi ordinis, quippe cum non sint baptismata diversa et ipsa christianae vitae ratio in uno baptismali foedere penitus contineatur.[150]

« Secundum Evangelium vivere », dicit ipse ; quid revera est hoc secundum sanctum Basilium? Hoc idem est ac contendere vehementi desiderio[151] omnibusque novis viribus, quibus quis praeditus est, ad conciliandam « Dei gratiam ».[152] Hoc, exempli causa, idem est ac « non ...

Cfr. *Regulae brevius tractatae,* 269, *PG* 31, 1268 c.

[141] Cfr. *Mc.* 10, 15: *Regulae brevius tractatae* 217, *PG* 31, 1225 bc; *De baptismo* i 2, *PG* 31, 1560 ab.

[142] Cfr. *In Psalmum 1, PG* 29, 209 a.

[143] Cfr. *Regulae brevius tractatae,* 1, *PG* 31, 1081 a.

[144] *Regulae brevius tractatae* 10, *PG* 31, 1088 c.

[145] Cfr. *Regulae brevius tractatae,* 12, 1089 b.

[146] Cfr. *Hebr.* 6, 5.

[147] Cfr. *Moralia* LXXX 22, *PG* 31, 869 c.

[148] *Regulae brevius tractatae,* 10, *PG* 31, 1088 c.

[149] *De baptismo* II 1, *PG* 31, 1580 ac.

Ibid.

[151] Cfr. *Regulae brevius tractatae,* 157, *PG* 31, 1185 a.

[152] Cfr. *Moralia* i 5, *PG* 31, 704 a et passim.

divitem esse, sed pauperem, iuxta Domini sententiam»,[153] ut praecipua condicio efficiatur eum sequendi,[154] sine vinculis[155] et ut manifestetur, contra vigentem vivendi rationem mundi, Evangelii novitas.[156] Hoc idem est ac verbo Dei se omnino submittere, respuendo «proprias voluntates»,[157] dum oboeditur, Christi exemplo, «usque ad mortem».[158]

Sanctus Basilius profecto haud erubescebat Evangelium, sed persuasum sibi habens id esse Dei virtutem in salutem omni credenti,[159] illud integerrime[160] annuntiabat, ut plene verbum esset gratiae atque fons vitae.

Praeterea Nos iuvat memorare sanctum Basilium, etiamsi moderatus fratre sancto Gregorio Nysseno atque amico sancto Gregorio Nazianzeno, Mariae virginitatem celebrare,[161] eam « prophetissam »[162] appellare eiusque desponsationem cum sancto Ioseph egregiis verbis ita comprobare : id accidisse « ut et virginitas honori esset et matrimonium non contemneretur ».[163]

In Anaphora sancti Basilii, quam supra diximus, laudes praeclarissimae continentur adhibitae « sanctissimae, illibatae, super omnes benedictae, gloriosae dominae Deiparae et semper Virgini Mariae » ; «Mulieri gratiae plenae totiusque universi laetitiae...».

IV. Huius tam magni sancti Caelitis atque magistri nos omnes in Ecclesia discipulos atque filios esse gloriantur; quapropter exempla eius iterum meditemur eiusque praecepta reverentes audiamus, omnino parati eius praecepta, consolationes, hortationes suscipere.

Hunc quidem nuntium praesertim ad nonnullos Ordines religiosos virorum et mulierum dirigimus, qui sancti Basilii nomine et patrocinio honestantur eiusque Regulam sequuntur, eos in hac fausta memoria monentes, ut novo animorum ardore ad vitam asceticam et ad divinarum rerum contemplationem incumbant, unde opera sancta abunde

[153] Cfr. *Moralia* xivm 3, *PO-* 31, 769 a.

[154] Cfr. *Regulae fusius tractatae* 10, *PO* 31, 944d-945a.

[155] Cfr. *Regulae fusius tractatae,* 8, 940 bc ; *Regulae brevius tractatae* 237, 1241 b.

[156] Cfr. *De baptismo* i 2, *PO* 31, 1544 d.

[157] Cfr. *Regulae fusius tractatae,* 6, *PO* 31, 925c; 41, 1021 a.

[158] Cfr. *Phil.* 2, 8: *Regulae fusius tractatae* 28, 989b; *Regulae brevius tractatae* 119, 1161 d, et passim.

[159] Cfr. *Rom.* 1, 16.

[160] Cfr. *Moralia* LXXX 12, *PO* 31, 864 b.

[161] Cfr. *In sanctam Christi generationem* 5, *PO* 31, 1468 b.

[162] Cfr. *In Isaiam* 208, *PO* 30, 477 b.

[163] Cfr. *In sanctam...* 3, *PO* 31, 146 a.

proficiscantur ad omnipotentis Dei gloriam et Sanctae Ecclesiae aedificationem.

Haec ut feliciter eveniant, beatissimae etiam Virginis Mariae maternum auxilium imploramus, dum, supernorum auspicem donorum ac benevolentiae Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem vobis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die II mensis Ianuarii, in memoria Ss. Basilii Magni et Gregorii Nazianzeni, episcoporum et Ecclesiae doctorum, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

Nonnullis detractis territoriis ab archidioecesi Bisuntina, nova dioecesis conditur, Belfortiensis-Montis Beligardi nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui divino consilio Ecclesiae universae praepositi sumus, nihil aut sollemnius aut sanctius habemus, quam ut christiano populo apte provideamus. Qua re, cum Venerabilis Frater Marcus Lallier, Archiepiscopus Bisuntinus, audita Conferentia episcopali Galliae, ab hac Apostolica Sede petierit, ut divisa archidioecesi Bisuntina, nova dioecesis conderetur, Nos, consilio quidem petito a Venerabili Fratre Egano Righi Lambertini, olim Archiepiscopo titulo Docleensi atque in Gallia Apostolico Nuntio, re bene reputata, sequentia statuimus. Ab archidioecesi Bisuntina integrum territorium detrahimus, ut lege civili finitur, regionis vulgo ((Belfort » nuncupatae, partem provinciae « du Doubs » quam appellant «Pays de Montbéliard)), et pagum «Héricourt» cum municipio « Chalonvillars » ; quibus terris simul sumptis novam dioecesim constituimus, Belfortiensem-Montis Beligardi cognominandam, cuius sedem in urbe Belfort ponimus, cathedra in templo Sancti Christophori collocata in eadem urbe, quam iustis cathedralium templorum honoribus honestamus. Eandem praeterea suffraganeam facimus metropolitanae Sedis Bisuntinae a qua tracta est. In nova Ecclesia Canoni-

eorum Collegium condatur iuxta morem in regione vigentem et normas opportuno tempore edendas; interim tamen dioecesani Consultores eligantur, Episcopum consilio atque ope iuvaturi. Mensam constituunt sive fidelium collationes, sive bonorum pars quae dioecesi Belfortiensi-Montis Beligardi obvenient, ad canonem 1500 C.I.C. Ad Seminarii erectionem quod attinet, ac iuvenum institutionem quod pertinet, serventur praecepta iuris communis, leges a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica latae, ratione nempe habita decreti Concilii Vaticani II « Optatam totius ». Dioecesi vero condita, sacerdotes atque Seminarii tirones ita collocentur, ut qui beneficium vel officium in nova dioecesi habeant, eidem assignentur ; ceteri vero, in qua legitime degant. Acta et documenta quae Sedem cathedralem Belfortiensem-Montis Beligardi respiciant, ad eius Curiam mittantur, religiose custodienda in archivo. Ceterum, quae per has Litteras iussimus, Venerabilis Frater Angelus Felici ad exitum deducet, vel quem ipse delegaverit, factis nempe potestatibus necessariis. Re vero acta, documenta exarentur quorum digna fide exempla rite signata ad Sacram Congregationem pro Episcipis mittantur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Novembris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

ffi **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
8. Congr. pro Episc. Praefectus

Iosephus dei Ton, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco £& Plumbi
In Secret. Status tab., n. 29946.

II

Civili regione vulgo « Davao del Sur » ab archidioecesi Davaënsi distracta conditur nova dioecesis nomine « Digosensis ».

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacer praesul Ecclesiae Davaénsis, persuasum sibi habens tot Davaênsibus Christifidelibus provideri satis non posse, nisi per alteram dioecesim proprio pastore praeditam illic opportune erigendam, nuper,.

consilio Episcopalis Conferentiae Philippinarum Insularum audito,, recte ab Apostolica hac Sede petiit ut optatum quadam portione archidioecesis Davaënsis detracta ad effectum adduceretur. Nos igitur, utilitate capta e sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Sacrae Congregationis pro Episcopis praepositorum, compertum autem habentes idem esse in votis Venerabilis Fratris Brunonis Torpigliani, Archiepiscopi titulo Mallianensis atque in Insulis; Philippianis Apostolici Nuntii, certioresque facti de eorum consensu, quorum interest necnon illorum qui id sua interesse contendunt, at. praesertim mentem Nostram intendentes in bonum omnium filiorum in memorata regione degentium, vi et potestate Nostra Apostolica ea, quae sequuntur, hisce Litteris decernimus atque iubemus. Ab archidioecesi Davaënsi omnia distrahimus loca, quibus constat et circumscribitur civilis provincia « Davao del Sur » vulgo appellata, iisdemque ita seiunctis novam condimus dioecesim *Digosensem* cognominandam ipsique Ecclesiae Davaënsi sufiraganeam, cuius proinde ipsum pro< tempore Episcopum subicimus metropolitico iuri Davaënsis Archiepiscopi. Episcopalem novae dioecesis sedem in urbe cui nomen Digos; constituimus templumque paroeciale ibi exstans Deo in honorem B.M.V, omnium gratiarum Mediatricis dicatum Nos gradu et dignitate cathedralis templi exornamus, iisdem videlicet insignibus et privilegiis et; honoribus, quae ad cetera talis ordinis templa pertinent; Digosensi autem pro tempore Episcopo tum honores et iura tribuimus tum officia et onera imponimus, quibus et augentur et ligantur omnes Episcopi dioecesani. Donec Capitulum Cathedrale in nova hac dioecesi rite per alias Litteras constituatur, facultatem facimus ut interea eius loco ibi dioecesanus Consultorum coetus deligatur. Statuimus ut episcopalis mensa constet tum Curiae emolumentis tum fidelium stipibus- tum etiam iusta bonorum portione, quae ei obveniet ex divisione iuxta can. 1500 C.I.C. facienda. Quae ad Seminarii dioecesani exstructionem. necnon ad sacerdotalem tironum educationem et institutionem attinent, tum sacri canones serventur tum normae Decreti Concilii Vaticani II « Optatam totius », tum etiam peculiares regulae Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica. Selecti autem sacrorum alumni disciplinis; philosophicis et theologicis instruendi necnon ii presbyteri, qui ad sua studia explenda acciti fuerint, ad Pontificium Collegium Philippinum mittantur in Urbe situm. De regimine dioecesis hodie erectae, de administratione, de eligendo Vicario Capitulari sede vacante, de fidelium iuribus et oneribus deque aliis id genus, ea omnino serventur-

quae iure canonico statuta sunt. Decernimus praeterea ut ibi, erectione novae diecesis ad effectum deducta, presbyteri censeantur ei adscripti Ecclesiae, in cuius finibus officium vel beneficium habent ; ceteri vero clerici, necnon Seminarii alumni, ei addicantur dioecesi, in cuius finibus legitimum habent domicilium. Denique praecipimus ut actorum documenta, quae aut ad novam dioecesim eiusve clerum aut ad fideles .aut etiam ad bona temporalia pertinent, ea omnia a Curia Davaënsi ad Digosensem transmittantur, ut ibi in condendo tabulario diligenter custodiantur. Quae per has Litteras statuimus, omnia et singula exsequatur Venerabilis Frater Bruno Torpigliani, quem diximus, a Nobis quidem deputatus et debitis facultatibus instructus, haud excepta facultate eiusdem officii alicui presbytero subdelegandi. Omnibus peractis exaratisque actorum documentis, certa singularum exempla, usitato more etiam signata sigilloque impressa, ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittantur. Has Litteras Apostolicas sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Cum aliqua scripta Professoris Ioannis Kiing, Presbyteri, permultis in nationibus diffusa, eiusque doctrina conturbationum in animis fidelium causa sint, Episcopi Germaniae et ipsa Congregatio pro Doctrina Fidei, communi proposito pluries ipsi consilia monitionesque significaverunt, ut eum ad laborem suum theologicum in plena communione cum authentico Magisterio Ecclesiae explendum adducerent.

Hoc in spiritu Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei munus suum doctrinam fidei et morum in universa Ecclesia promovendi ac tutandi adimplens,[7] publico documento die 15 mensis Februarii a. 1975 dato, declaravit nonnullas opiniones Professoris Ioannis Kung doctrinae Ecclesiae catholicae, ab omnibus fidelibus tenendae, diverso gradu opponi. Inter quas illas praesertim notavit, utpote maioris momenti, quae ad dogma fidei de infallibilitate in Ecclesia spectant necnon ad munus authentice interpretandi unum verbi Dei sacrum depositum soli vivo Ecclesiae Magisterio concreditum, ac denique ad Eucharistiam valide conficiendam.

Insimul haec Sacra Congregatio eundem Professorem monuit ne

[5] Cfr. Conc. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium,* nn. 11 et 25; Paulus VI, Adhort. apost. *Quinque iam anni: AAS* 63 (1971), pp. 99 s.

[6] Cfr. *Sapientia Christiana,* tit. III, art. 27, par. 1: *AAS* 71 (1979), p. 483.

[7] Cfr. Motu proprio *Integrae servandae,* nn. 1, 3 et 4: *AAS* 57 (1965), p. 954.

tales sententias docere pergeret, interea exspectans ut ipse in harmoniam cum doctrina Magisterii authentici opiniones proprias adduceret.[8]

Ipse vero in praefatis sententiis nihil hucusque immutavit.

Quod quidem speciali modo constat relate ad opinionem quae ipsum dogma de infallibilitate in Ecclesia in dubium saltem ponit vel reducit ad quandam fundamentalem Ecclesiae indefectibilitatem in veritate, cum possibilitate errandi in sententiis quas Ecclesiae Magisterium definitive tenendas docet. Hac in re Ioannes Küng minime sese doctrinae Magisterii conformavit, immo opinionem suam expressius recenter denuo proposuit (nominatim in scriptis suis ***Kirche-gehalten*** in der ***Wahrheit?,*** Benziger Verlag 1979, necnon ***Zum Geleit*** operi A. B. Hasler cui titulus ***Wie der Papst unfehlbar wurde,*** Piper Verlag 1979), etsi Sacra haec Congregatio eandem doctrinae a Concilio Vaticano I definitae et a Concilio Vaticano II confirmatae contradicere tunc edixerit.

Insuper huiusmodi opinionis consequentiae, praesertim contemptus Magisterii Ecclesiae, in aliis etiam ab illo editis operibus deprehenduntur, in damnum utique nonnullorum catholicae fidei capitum (v.g. ea quae ad Christum consubstantialem Patri et ad Beatam Mariam Virginem spectant), quippe quod sensus hisce tribuatur alius ab eo quem intellexit et intellegit Ecclesia.

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei in praedicto documento anni 1975 ab ulteriori actione quoad superius allatas opiniones Professoris Küng pro tunc destitit, praesumendo ipsum ab illis recessurum esse. Cum autem haec praesumptio amplius iam non detur, haec Sacra Congregatio pro munere suo in praesens declarare cogitur Professorem Ioannem Küng in suis scriptis ab integra fidei catholicae veritate deficere, ideoque eundem nec uti theologum catholicum haberi neque qua talem munere docendi fungi posse.

Hanc Declarationem in Conventu ordinario huius Sacrae Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus Pp. II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Doctrina Fidei, die 15 Decembris a. 1979.

FRANCISCUS Card. **SEPER,** ***Praefectus***

£8 Fr. Hieronymus Hamer, O. P., Archiep. tit. Loriensis, ***Secretarius***

[8] **Cfr.** ***AAS*** 67 **(1975), PP. 203-204.**

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETA

I

MISNENSIS

De Sedis et Cathedrae episcopalis translatione deque nominis mutatione.

Ad satius animarum bono consulendum Benedictus Pp. XV Constitutione Apostolica « Sollicitudo omnium Ecclesiarum » antiquam dioecesim Misnensem die 24 mensis iunii anno 1921 restituit eiusque sedem et cathedram episcopalem in oppido Budissa, vulgo Bautzen, in Lusatia constituit.

Nunc vero Exc.mus P. D. Gerardus Schaffran, Episcopus Misnensis, vota quoque capituli cathedralis, cleri ac fidelium exprimens, ab Apostolica Sede enixe rogavit ut sedes ac cathedra episcopalis ab oppido Budissa ad urbem Dresdam, vulgo Dresden, transferretur.

Porro Sacra haec Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Consilii pro Publicis Ecclesiae Negotiis necnon Sacrae Congregationis pro Clericis, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter vigore specialium facultatum a Summo Pontifice Ioanne Paulo Divina Providentia Pp. II sibi tributarum, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent:

— episcopalem sedem dioecesis Misnensis ab oppido Budissa transfert et in urbe Dresda constituit, quam ideo ad civitatis episcopalis fastigium evehit;

— similiter domicilium episcopale ab oppido Budissa ad civitatem Dresdam transfert;

— templum concathedrale SS. Trinitatis, in civitate Dresda situm, ad dignitatem et fastigium ecclesiae cathedralis evehit;

— templum autem cathedrale ad S. Petrum Budissae exstans ecclesiam concathedralem dioecesis Misnensis declarat ;

— cathedrale denique capitulum, priore nomine, ob vetustam traditionem retento, in praefatam ecclesiam SS. Trinitatis transfert, in qua, ad normam sacrorum canonum, Capitulares divina officia persol-

vent. Itaque capitulum cathedrale ad St. Petrum in civitate Dresda idem est quod antea in oppido Budissa erat ;

— Episcopus Misnensis dotationem mensae episcopalis ex aerario dioecesis depromet, quod ex tributo annuali fidelium ex collationibus res sacras sustinendi causa factis et ex donis a fidelibus oblatis, constabit. Onera vero capituli cathedralis ad consulendum praefatae dotationi ex actionibus restaurationis dioecesis anno 1921 conditis resolvuntur ;

— insuper statuit ut dioecesis — eiusque pro tempore exsistens Antistes — in perpetuum vocari queat Dresdensis-Misnensis.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Sacra Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P. D. Hugonem Aufderbeck, Administratorem Apostolicum Erfordiensem Meiningensem, eidem tribuens facultates necessarias et opportunas etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad hanc Sacram Congregationem pro Episcopis authenticum exemplar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 15 mensis novembris anno 1979.

ffi **SEBASTIANUS** Card. B **AGGIO,** ***Praefectus***

L. © S.

ffi Lucas Moreira Neves, Archiep. tit. Feraditan. maior, ***a Secretis***

II

GRONINGENSIS

De translatione Cathedrae episcopalis.

Cum Cathedralis Ecclesia Groningensis, Deo in honorem Sancti Martini dicata, ob mediae civitatis infrequentiam fidelium commoditati atque divino cultui sueto decore peragendo non amplius respondeat, Exc.mus P. D. Ioannes B. Möller, Episcopus Groningensis, ab Apostolica Sede enixe postulavit ut episcopalis Cathedra a memorata Ecclesia Sancti Martini in templum Dei in honorem Sancti Josephi dicatum, transferretur.

Porro Sacra haec Congregatio pro Episcopis, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Brunonis Wüstenberg, Archiepiscopi titulari Tyren-

sis, et in Hollandia Apostolici Pro-Nuntii, re mature perpensa ac rata id ad decus Groningensis Ecclesiae profuturum, porrectis precibus annuendum censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, vigore specialium facultatum a Summo Pontifice Ioanne Paulo Divina Providentia Pp. II, sibi tributarum, praesenti Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, memoratum templum, Deo in honorem Sancti Iosephi dicatum, ad dignitatem et gradum Ecclesiae Cathedralis Groningensis evehit, collatis simul omnibus praerogativis, iuribus et privilegiis quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae ornantur et fruuntur.

Ad haec omnia executioni mandanda Sacra Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum P. D. Brunonem Wüstenberg, eidem tribuens necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem Sacram Congregationem authenticum exemplar actus peractae executionis, quam primum, remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 25 mensis ianuarii anno 1980.

© **SEBASTIANUS** Card. B **AGGIO**, ***Praefectus***

L. © S.

© Lucas Moreira Neves, Archiep. tit. Feraditan. maior, ***a Secretis***

III

RHEGINENSIS ET ALIARUM

De finium mutatione

Concrediti gregis commodo studentes Exc.mi PP. DD. Aurelius Sorrentino, Archiepiscopus Rheginensis, et Augustus Lauro, Episcopus S. Marci Argentanensis-Scaleensis, ab Apostolica Sede expostulaverant, ut fines ecclesiastici circumscriptionum sibi concreditarum parum immutarentur, ita ut cum integro territorio municipiorum vulgo ***Bagnara*** et ***Cerzeto*** convenirent.

Sacra Congregatio pro Episcopis, rata petitam immutationem fidelium bono cessuram, vigore specialium facultatum sibi a Summo Pon-

tifice Ioanne Paulo, Divina Providentia Pp. II, tributarum, oblatis precibus annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti decreto a dioecesi Oppidensi-Palmarum separat pagum vulgo *Covala,* illumque archidioecesi Rheginensi unit; a dioecesi vero Bisinianensi distrahit pagum nomine *San Giacomo,* eumque dioecesi S. Marci Argen tanensis-Scaleensi adnectit.

Ad haec vero exsecutioni mandanda Sacra Congregatio pro Episcopis Exc.mum P. D. Aurelium Sorrentino deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo -agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ipsi imposito ad eandem Sacram Congregationem quam primum authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Contrariis quibusvis minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, •die 29 mensis Ianuarii anno 1980.

© **SEBASTIANUS** Card. B **AGGIO,** *Praefectus*

L. © S.

£B Lucas Moreira Neves, Archiep. tit. Feraditan. maior, *a Secretis*

PROVISIO ECCLESIARUM

Decretis a Sacra Congregatione pro Episcopis latis, Ioannes Paulus Pp. II iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit. Videlicet :

die 17 Martii 19^19. — Metropolitanae Ecclesiae Arborensi Exc. P. D. Franciscum Spanedda, hactenus Episcopum Algarensem et Bosanensem.

die 7 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Bisinianensi Exc. P. D. Aeneam Selis, Archiepiscopum Consentinum.

— Cathedrali Ecclesiae Cariatensi Exc. P. D. Antonium Cantisani, Archiepiscopum Rossanensem.

— Cathedrali Ecclesiae S. Marci Argentanensis-Scaleensi Exc. P. D. Augustum Lauro, hactenus Episcopum tit. Bigastrensem.

— Cathedrali Ecclesiae Cassanensi R. D. Hieronymum Grillo, e

clero dioecesis Tropiensis, Praelatum honorarium Sanctitatis Suae, officialem Secretariae Status.

die 23 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Algarensi Exc. P. D. Ioannem Pes, hactenus Episcopum tit. Risinitanum.

— Cathedrali Ecclesiae Bosanensi Exc. P. D. Ioannem Pes, hactenus Episcopum tit. Risinitanum.

die 15 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Oppidensi-Palmarum Exc. P. D. Sanctum Bergamo, hactenus Episcopum tit. Sasabensem.

— Cathedrali Ecclesiae Miletensi R. P. Vincentium Tharsicium Cortese, Ordinis Fratrum Minorum.

— Cathedralibus Ecclesiis Nicotriensi et Tropiensi R. P. Vincentium Tharsicium Cortese, Ordinis Fratrum Minorum.

die 24 Iunii. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Velebusdensi Exc. P. D. Entium d'Antonio, hactenus Archiepiscopum Boianensem-Campobassensem.

die 15 Octobris. — Metropolitanae Ecclesiae Boianensi-Campobassensi Exc. P. D. Petrum Santoro, hactenus Episcopum Thermularum et Larinensem.

— Abbatiae nullius Montis Virginis R. P. Thomam Augustinum Gubitosa, O.S.B., hactenus Administratorem Apostolicum eiusdem Abbatiae nullius.

— Abbatiae nullius SS.mae Trinitatis Cavensis R. P. Michaelem Marra, O.S.B., hactenus Administratorem Apostolicum eiusdem Abbatiae nullius.

die 29 Octobris. — Coadiutorem c.i.s. Exc.mi P. D. Brenni Gallagher, Episcopi Portus Piriensis, R. D. Petrum De Campo, Vicarium Generalem dioecesis Sandhurstensis.

die 5 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Cotabatensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Gerardum Mongeau, O.M.I., hactenus Episcopum eiusdem sedis.

die 21 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae Indianapolitanae Exc.mum P. D. Eduardum T. O'Meara, hactenus Episcopum titularem Thisiduensem.

die 30 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Iacensi R. D. Iosephum Malandrino, rectorem seminarii dioecesani Notensis.

— Metropolitanae Ecclesiae Maringaënsi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Iacobum Aloisium Coelho, hactenus Episcopum eiusdem sedis.

— Metropolitanae Ecclesiae Cascavellensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Armandum Cirio, O.S.I., hactenus Episcopum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Valentinae in Brasilia, Exc.mum P. D. Amaurum Castanho, hactenus Episcopum titularem Baleciensem et Auxiliarem Episcopi Sorocabani.

— Coadiutorem c.i.s. Exc.mi P. D. Iosephi Melhado Campos, Episcopi Sorocabani, Exc.mum P. D. Iosephum Lambert Filho, hactenus Episcopum Itapevensem.

— Coadiutorem c.i.s. Exc.mi P. D. Anigeri Francisci Mariae Melillo, Episcopi Piracicabensis, Exc.mum P. D. Eduardum Koaik, hactenus Episcopum titularem Npbensem et Auxiliarem Em.mi ac Rev.mi P. D. Eugenii S.R.E. Cardinalis de Araújo Sales, Archiepiscopi Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.

— Coadiutorem c.i.s. Exc.mi P. D. Anselmi Pietrulla, Episcopi Tubaraoënsis, R. P. Osorium Bebber, Vicarium Provincialem Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum in Statu Rio Grande do Sul.

die 3 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Rotdonensi R. D. Laurentium Forristal, curionem paroeciae et Vicarium Generalem archidioecesis Dublinensis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Dermot J. Ryan, Archiepiscopi Dublinensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Thibilitanae R. P. Brendanum Comiskey, Congregationis sacrorum Cordium Iesu et Mariae sodalem, a secretis conferentiae superiorum maiorum hibernensis Nationis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Dermot J. Ryan, Archiepiscopi Dublinensis.

die 4 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Formosensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Victorem Ioannem H. J. Tielbeek, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Carolinensi in Brasilia, noviter erectae, Exc.mum P. D. Marcellinum Sergium Bicego, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Humaitamensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Michaelem D'Aversa, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Petrosi Culminis, noviter erectae, Exc.mum P. D. Angelum Rivato, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Rubiatabensi-Mozarlandensis, noviter erectae, Exc.mum P. D. Iosephum Carolum de Oliveira, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae SS. Conceptionis de Araguaia, noviter erec-

tae, Exc.mum P. D. Patricium Iosephum Hanrahan, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Tilaranensi R. D. Hectorem Morera Vega, Vicarium Capitularem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Santaremensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Iacobum C. Ryan, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Marabensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Alanum Mariam Pena, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Portus Veteris, noviter erectae, Exc.mum P. D. Ioannem Baptistam Costa, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Adamanteae, noviter erectae, Exc.mum P. D. Henricum Froehlich, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Pinerensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Richardum Petrum Paglia, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

— Cathedrali Ecclesiae Roraimensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Aldonem Mongiano, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

die 10 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Calbayoganae Exc.mum P. D. Sincerum Lucero y Barcenilla hactenus Episcopum Boronganensem.

die 12 Decembris. — Cathedrali Ecclesiae Sacramentensi Exc.mum Franciscum A. Quinn, hactenus Episcopum titularem Numanensem.

— Coadiutorem c.i.s Exc.mi P. D. Hugonis A. Donohoe, Episcopi Fresnensis, R. P. Iesum Madera TJribe, ex Missionariis a Spiritu Sancto, parochum ad Sanctam Luciam in dioecesi Fresnen.

die 19 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Mechliniensi-Bruxellensi Exc.mum P. D. Godefridum Danneels, hactenus Episcopum Antverpiensem.

die 20 Decembris. — Titulari episcopali Ecclesiae Neoportensi R. D. Huardum Tripp, presbyterum archidioecesis Southvarcensis, Praelatum honorarium Sanctitatis Suae, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi *P.* D. Michaelis Georgii Bowen, Archiepiscopi Southvarcensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Stratherniensi R. P. Ioannem Jukes, Ministrum Provincialem Ordinis Fratrum Minorum Conventualium in Magna Britannia, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Michaelis Georgii Bowen, Archiepiscopi Southvarcensis.

— Cathedrali Ecclesiae Digosensi Exc.mum P. D. Generosum Camina, hactenus Episcopum titularem Pauzerensem.

die 29 Decembris. — Metropolitanae Ecclesiae Mediolanensi R. P. Carolum Mariam Martini, Societatis Iesu sodalem, Rectorem Pontificiae Universitatis Gregorianae.

die 8 Ianuarii 1980. — Cathedrali Ecclesiae Vallipolitanae R. D. luventinum Gonzalez Alvarez, Vicarium Generalem archidioecesis Monterreyensis.

die 11 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Grandfallensi R. D. Iosephum F. McDonald, e clero dioecesis Carolinapolitanae.

— Cathedrali Ecclesiae Monasteriensi Exc.mum P. D. Rainardum Lettmann, hactenus Episcopum titularem Rotariensem.

die 15 Ianuarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aufenensi R. D. Carolum Talavera Ramírez, e clero archidioecesis Mexicanae, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Ernesti S. R. E. Cardinalis Corripio Ahumada, archiepiscopi Mexicani.

— Titulari episcopali Ecclesiae Rubicensi R. D. Iosephum Sánchez González, e clero dioecesis Civitatensis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Gabini Díaz Merchán, Archiepiscopi Ovetensis.

die 11 Ianuarii. — Abbatiae nullius Sancti Pauli de Urbe R. P. Iosephum Nardin, O.S.B.

die 21 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Lacus Carolini, noviter erectae, R. D. Iudam Speyrer, Vicarium Generalem dioecesis Lafayettensis.

die 22 Ianuarii. — Cathedrali Ecclesiae Moronensi Exc.mum P. D. Iustum Ansgarium Laguna, hactenus Episcopum titularem Larensem.

die 2Jf Ianuarii. — Metropolitanae Ecclesiae Sancti Ludovici Exc.mum P. D. Ioannem L. May, hactenus Episcopum Mobiliensem.

die 25 Ianuarii. — Praelaturae Funesiopolitanae, noviter erectae, R. P. Raimundum Iribarne, sodalem Ordinis B. Mariae Virginis de Mercede, cum charactere episcopali.

SACRA CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

MEDIOLANEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Annae Sala, Sororis Professae e Congregatione Sororum v. d. « Marcellino ».

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilem Dei Famulam Mariam Annam Sala, sororem professam e Congregatione v. d. « Marcelline », in 1. c. *Brivio,* provinciae Comensis, die 21 mensis Aprilis anno 1829 natam, et die 24 mensis Novembris anno 1891 Mediolani defunctam, sanctitatis fama et cum inter vivos degeret et demortuam prosecuta est.

Processibus Ordinariis super eadem fama, super scriptis et cultu eidem haud praestito in Curia Archiepiscopali Mediolanensi annis 1931-1938 adornatis, eius Causa Beatificationis die 28 mensis Ianuarii anno 1959 apud Apostolicam Sedem introducta est; deinde vero, Apostolicis processibus rite conditis (aa. 1962-1964) et discussis, eamdem Dei Famulam virtutibus colendis et exercendis heroicum attigisse gradum, servatis de iure servandis, die 28 mensis Ianuarii a. 1977 Paulus Papa VI edixit.

Cum autem Christifideles Mariae Annae Sala intercessione beneficia se accepisse a Domino asserent, quorum nonnulla veri miraculi speciem praeseferre dicebantur, miram unam sanationem intercessioni Servae Dei tributam sollertes Causae actores selegerunt eamque Apostolicae Sedis iudicio ad Beatorum Caelitum honores eidem Venerabili rite impetrandos proposuerunt.

Quae mira sanatio anno 1931 accidit Clotildi Iosephinae Perasso, matrifamilias, anno 1897 in loco v. *Busalla,* archidioecesis Ianuensis, natae, atque Ernesto Hampón nuptae.

Die 8 mensis Novembris anno 1931, nocte ineunte, eadem domina acribus dirisque abdominalibus doloribus subito correpta est, ita ut generalis molestia et virium remissio subsecutae fuerint cum nausea, iteratis etiam stercorariis vomitibus supervenientibus. Cum, crucia-

tibus vehementer succrescentibus, ipsis oculis nubeculis caligationibusque iam obscuratis, Olotildis Iosephina morti se proximam persentiat, parentes longe exsistentes etiam vocati sunt, ipseque medicus acci tus, cui alius peritus ipsamet nocte sese iunxit. Hi, re attento examini subiecta, mulierem peritonitide séptica gravissima affectam declaraverunt, quam diagnosim alii duo medici singulari peritia praediti Ianua die sequenti vocati plene probaverunt et confirmaverunt. Licet iidem censerent chirurgicam interventionem tentari posse, a consilio tamen recesserunt, persuasum sibi habentes ad nosocomium Ianuense eam non esse perventuram de cuius vita desperabant. Paralysis intestinalis iam manifeste patebat, atque alvo omnino occluso, aegrota, sepsi progrediente, violentam patiebatur febrim cum nausea vehementibusque doloribus coniunctam. Medicamenta elementaría in casu adhibita ad vel minimum beneficium procurandum conferre neutiquam poterant ei, cuius tantum mors proxima praevidebatur.

Cum ita haec haberentur, die 12 mensis Novembris coniuncti una cum ipsa Clotilde, fidentes ad Cor Iesu, novendialibus orationibus initis, admoverunt preces, ut, Serva Dei Maria Anna intercedente, ea quae defuncta quasi habebatur, ad vitam rediret. Diebus insequentibus aliqualis morbi remissio sensim persentiri coepta est, ita ut novendialibus precibus conclusis, Clotildis, omnibus mirantibus, sanitati restituta videretur et, mense Novembri exeunte, ad vires perfecte est régressa. Exinde optima semper valetudine Clotildis gavisa est.

Omnibus consideratis huiusmodi sanationis adiunctis, hanc ultra naturae leges et modum familiares, medici aliique testes asseruerunt. Quapropter canonici processus in Curia Archiepiscopali Ianuensi, Ordinarius primum (a. 1936) et deinde Apostolicus (aa. 1965-1966) super eadem sanatione adornati sunt, de quorum iuridica vi et validitate cautum est per Decretum Sacrae tunc Rituum Congregationis die 28 mensis Maii anni 1966 datum.

Servatis igitur de iure servandis, Collegium Medicorum huius Sacrae Congregationis die 22 mensis Februarii a. 1978 declaravit praeter naturae vires praefatam sanationem accidisse.

Habitus est deinde Congressus Peculiaris Officialium Praelatorum Patrumque Consultorum die 9 mensis Ianuarii a. 1979 et deinde, scilicet eodem anno die 27 Februarii, celebrata est Congregatio Plenaria Patrum Cardinalium, ponente seu relatore Rev.mo Cardinali Petro Palazzini. In utroque autem coetu, suffragia fuere cuncta afiirmantia praeternaturalem sanationis Clotildis Iosephinae Perasso indolem.

Facta de his omnibus die 1 mensis Iunii eodem anno 1979 Summo Pontifici Ioanni Paulo II per S. Congregationis pro Causis Sanctorum Prefectum relatione, Sanctitas Sua responsum Patrum Cardinalium ratum habens, mandavit ut Decretum super eadem mira sanatione rite appararetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierna die Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Petro Palazzini, Causae ponente seu relatore, meque Antistite a Secretis Sacrae Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque adstantibus, Sanctitas Sua, supremam proferens sententiam, edixit : *Constare de uno miraculo, Venerabili Serva Dei Maria Anna Sala intercedente, a Deo patrato, scilicet de celeri, perfecta et constanti sanatione dominae Clotildis Iosephinae Perasso Rampon a gravissima peritonitide hyper séptica.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta .S. Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 13 mensis Iulii, a. D. 1979.

CONRADUS Card. B **AFILE,** *Praefectus*

L. © S.

© Iosephus Casoria, Archiep. tit. Foronovan., *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

STATO DELLA CITTÀ DEL VATICANO

TRIBUNALE DI PRIMA ISTANZA PER LE CAUSE DI COMPETENZA DEL FORO ECCLESIASTICO

Citatio edictalis

VATICANA

Nullitatis Matrimonii (Guardascione - Dordea)

Cum ignoretur locus actualis commorationis d.nae Silviae Dordea, conventae in causa de qua supra, eandem citamus ad comparendum aut per se aut per Procuratorem legitime constitutum coram Tribunali Status Civitatis Vaticanae, in diem 11 m. Martii a. 1980, h. 12, pro concordatione vel subsignatione sequentis dubii :

« An constet de matrimonii nullitatis in casu ex capite simulationis totalis, sin minus partialis ob exclusionem boni sacramenti et prolis ex utraque vel alterutra parte».

Nicolaus Ferraro, *Praeses ac Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis, die 12 Ianuarii, a. 1980.

Aegidius Turnaturi, *notarius*

ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO DECRETIS CONCILII VATICANI II INTERPRETANDIS

Responsa ad proposita dubia

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum esse censuerunt ut infra :

I

(de ministro sacramenti confirmationis)

D. - 1) Utrum presbyter sacramentum confirmationis administrare valeat adulto qui, baptismo in Ecclesia catholica recepto, fidem postea, sine culpa, numquam ad praxim deduxit, et quidem eo tempore quo ad plenam praxim admittitur.

2) Utrum presbyter, ab episcopo deputatus ad admittendum in plenam communionem Ecclesiae adultum iam valide baptizatum in Ecclesia catholica, qui postea sine culpa in religione non catholica institutus fuit vel illi adhaesit, possit, in ipso ritu admissionis, sacramentum confirmationis eidem, nondum confirmato, administrare.

R. - *Negative ad primum; Affirmative ad secundum,* iuxta quod provisum est in n. 7 b) Praenotandarum Ordinis Confirmationis.

II

(de potestate diaconi dispensandi in assistendo matrimonio)

D. - Utrum diaconus, sicut et sacerdos, qui ex potestate delegata matrimonio nomine Ecclesiae adsistit, dispensare valeat ab impedimentis matrimonialibus in iisdem rerum adiunctis de quibus in can. 1044 C.I.C.

R. - *Affirmative.*

III

{de potestate episcoporum conferentiae et commissionis episcopalis)

D. - Utrum potestas normas generales emittendi, de qua in prima parte n. 172 Instructionis pastoralis *Communio et Progressio,* editae «die 23 maii 1971 a Pontificio Consilio Instrumentis Communicationis Socialis praeposito intellegi debeat concessa Conferentiae episcoporum .Nationis, an Commissioni episcopali iisdem instrumentis communicationis socialis praepositae.

B. - *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam,* id est potestas de qua agitur pertinet ad episcoporum Conferentiam ad normam n. 38, 4 Decreti conciliaris *Christus Dominus* prout iam declaratum fuit a *Commissione Centrali coordinandis post Concilium laboribus et Concilii decretis interpretandis* die 10 iunii 1966[1] et ab hac Commissione die 5 februarii 1968.[2]

Ss.mus Dominus Noster Ioannes Paulus Pp. II in Audientia die 21 decembris 1979 infrascripto impertita, supradictas decisiones ratas habuit, adprobavit et publicari iussit.

PERICLES Card. **FELICI,** *Praeses*

[1] ***AAS* 60 (1968), p. 361.**

[2] ***Ib.,* 362.**

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Giovedì, **3** Gennaio **1980,** l'On. **JAMES JEROME**, Presidente della Camera dei Comuni canadese.

Giovedì, **10** Gennaio **1980,** S. **E.** il Signor **CHADLI KLIBI,** Segretario Generale della Lega degli Stati Arabi, con S. **E.** il Signor **MOHAMED SABRA**, Direttore dell'Ufficio di Roma della Lega Araba.

Venerdì, **11** Gennaio **1980,** il Signor **EDOUARD SAOUMA**, Direttore Generale della **F**.A.O.

Sabato, **12** Gennaio **1980,** il Senatore **AMINTORE FANFANI,** Presidente del Senato della Repubblica Italiana.

Lunedì, **14** Gennaio **1980,** il Corpo Diplomatico accreditato presso la Santa Sede.

Lunedì **14** Gennaio **1980,** S. A. R. il Conte di Barcellona, Don **JUAN DE BORBON Y BATTEMBERG.**

Martedì, **15** Gennaio **1980.** S. **E.** il Signor **LEOPOLD SEDAR SENGHOR**, Presidente della Repubblica del Senegal.

Sabato, **26** Gennaio **1980,** Le Loro Altezze Reali il Gran Duca **JEAN** e la Gran Duchessa **JOSEPHINE CHARLOTTE** di Lussemburgo.

Da Lunedì 14 a Giovedì 31 Gennaio 1980, nel Palazzo Apostolico Vaticano, alla presenza del Santo Padre, si è riunito il Sinodo Particolare dei Vescovi dei Paesi Bassi.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Breve Apostolico il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

25 gennaio 1980. Mons. Amato Pietro Frutaz, *Uditore Generale della Reverenda Camera Apostolica.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

2 dicembre 1979. S. E. Mons. Mariano Gavióla, Vescovo titolare di Girba, *Memoro del Segretariato per i non credenti.*
15 gennaio 1980. L'Em.mo Signor Cardinale William Wakefield Baum, *Prefetto della Sacra Congregazione per l'Educazione Cattolica.*
19 » » S. E. Mons. Kazimierz Majdanski, Vescovo di Szczecin-Kamien, *Tice Presidente-Segretario del Comitato per la Famiglia, « ad tempus ».*
26 » » P. Henri Forest, S. J., *Consultore della Pontificia Commissione «Iustitia et Pax».*
» » » S. E. Mons. Paul Josef Cordes, Vescovo tit. di Naisso, *Vice Presidente del Pontificio Consiglio per i Laici.*
» » » Mons. José Miguel Pinto Gómez, *Canonista della Sacra Penitenzieria Apostolica.*

Protonotari Apostolici soprannumerari:

23 ottobre 1979. Mons. Stachnik Richard (Münster).
6 dicembre » Mons. Caralos Hilarión (Ozamiz).
10 » » Mons. Kotier Anton (Osnabrück).
5 gennaio 1980. Mons. Celi Ottavio (Marsi).
8 » » Mons. Cameli Umberto (Fermo).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

10 agosto 1979. Mons. Benker Sigmund (München und Fr.).
10 novembre » Mons. Livi Angelo (Firenze).
29 » » Mons. Lenzi Giuseppe (Firenze).
4 dicembre » Mons. Bartalesi Vittorio (Firenze).
» » » Mons. Piovanelli Silvano (Firenze).
6 » » Mons. Giammaneheri Enzo (Brescia).
» » » Mons. Guerrini Fausto (Brescia^.

20 dicembre 1979. Mons. Knauer Ludwig (Regensburg).
» » » Mons. Terrile Mario (Genova).
22 » » Mons. Rauber Karl-Josef (Mainz).
5 gennaio 1980. Mons. Gaudillière Marcel (Dijon).

Cappellani di Sua Santità:

9 luglio 1979. Il sac. Cremer Franz Gerhard (Köln).
10 ottobre » Il sac. Savelsberg Ernest (Köln).
11 » » Il sac. Friedberger Walter (Passau).
27 » » Il sac. Mangold Georg (München und Fr.).
16 novembre » Il sac. Neuwirth Franz Xavier (Fribourg).
29 » » Il sac. Bassetti Gualtiero (Firenze).
12 dicembre » Il sac. Klewicz Kazimierz (Chelmno).
20 » » Il sac. Leierseder Willibald (Regensburg).
» » » Il sac. Stader Josef (München und Fr.).
22 » » Il sac. Ora vero Riccardo <Mondovì).
» » » Il sac. Pham Van Thuong Pierre (Phu-Cuong).
5 gennaio 1980. Il sac. Agnoletti Ercole (Sansepolcro).
» » » Il sac. Babini Gerico (Sansepolcro).
» » » Il sac. Gudini Faliero (Arezzo).
» » » Il sac. Lazzerini Gino (Sansepolcro).
» » » Il sac. Marinelli Dante (Sansepolcro).
» » » Il sac. Nocciolini Giulio (Arezzo).
» » » Il sac. Vignoli Gino (Arezzo).
» » » Il sac. Zazzeri Pietro (Sansepolcro).
23 » » Il sac. Paffhausen Johannes (Münster).

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

16 ottobre 1979. A S. E. il Signor Valdivieso Chiriboga Ernesto *(Ecuador)*.
» » » A S. E. il Signor Blanco Rubén Víctor Manuel *(Argentina)*.
» » » A S. E. il Signor Galichon Georges *(Francia).*
» » » A S. E. il Signor Suganuma Kiyoshi *(Giappone).*
» » » A S. E. il Signor Turkson Yaw Bamful *(Ghana).*
» » » A S. E. il Signor Wongsonegoro Sunarso *(Indonesia).*
» » » A S. E. il Signor Smida Taoufik *(Tunisia).*
» » » A S. E. il Signor Shala-Dibwe Tshimbalanga *(Zaïre).*
» » » A S. E. il Signor Standaert Felix *(Belgio).*
» » » A S. E. il Signor Pietinen Seppo Taito *(Finlandia).*
» » » A S. E. il Signor Olisemeka Ignatius C. *(Nigeria).*

16 ottobre 1979. A S. E. il Signor Mejia Luna Manuel *(Honduras).*
» » » A S. E. il Signor S vete Zdenko *(Jugoslavia).*
» » » A S. E. il Signor GehlhofE Walter *(Germania).*
» » » A S. E. il Signor Mayard Pierre *(Haiti).*
» » » A S. E. il Signor De Freitas Resende Espedito *(Brasile).*
» » » A S. E. il Signor Fattal Antoine *(Libano).*
» » » A S. E. il Signor Briceño Ochoa Santiago *(Venezuela).*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito :

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

10 dicembre 1979. Al sig. Carrilho Arnaldo *(Brasile).*

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

8 novembre 1979. Al sig. Diena Enzo (Roma).
6 dicembre » Al sig. Lesort Xavier (Versailles).
15 » » Al sig. Spinelli Paolo (Conversano).
20 » » Al sig. Cataldi Madonna Luigi (Valva e Sulmona).
11 gennaio 1980. Al sig. Trapero Ballestrero Angel (Paris).
28 » » Al sig. Cocconi Carlo (Reggio Emilia).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile.

10 agosto 1979. Al sig. Hüwell Alfred (Köln).
22 settembre » Al sig. Kronfuss Wilhelm (München und Fr.).
3 ottobre » Al sig. Vogel Walter (München und Fr.).
9 » » Al sig. Funk Johannes (Köln).
» » » Al sig. Mes Jan B. M. (Bois-le-Duc).
18 » » Al sig. Maas Gerardus W. J. (Utrecht).
13 novembre » Al sig. Schellens Henricus H. Jos. (Bois-le-Duc).
» » » Al sig. Wortelboer Johannes Gerardus (Groningen).
16 » » Al sig. Beimas Marcel (Créteil).
26 » » Al sig. Berglar Peter (Köln).
6 dicembre » Al sig. Magniaux Maxime (Rouen).
10 » » Al sig. Bastide Philippe (Lyon).
12 » » Al sig. Adou Agnero Sylvain *(Costa d'Avorio).*
12 gennaio 1980. Al sig. Boccino Umberto (San Severo).

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa.

26 novembre 1979. Al sig. Berzanti Alfredo (Verona).

La Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

23 gennaio 1980. Al sig. Stoppa Mario (Roma).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

10	ottobre	1979.	Al sig. Lennards Joseph L.M.A. (Roermond).
5	gennaio	1980.	Al sig. Gaspardo Paolo (Concordia-Pordenone).
»	»	»	Al sig. Nosella Luigi (Concordia-Pordenone).
12		»	Al sig. Fiorelli Roberto (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Silvestro Papa:

11	luglio	1979.	Al sig. Jay me Vicente R. (Manila).
27	settembre	»	Al sig. Steeehs Antonius L. G. (Roermond).
9	ottobre	»	Al sig. Schnieders Johannes (Köln).
»		»	Al sig. Wiehlpütz Wilhelm (Köln).
11			Al sig. Van Rens Johannes P. J. (Roermond).
12		»	Al sig. Jacobs Josephus G. J. (Roermond).
»		»	Al sig. Van der Laak Wilhelm (Roermond).
14	»	»	Al sig. Visser Jacobus F.N.P. (Roermond).
5	novembre	»	Al sig. Schols Gerardus H. (Roermond).
8	»	»	Al sig. Pace Mario (Roma).
10		»	Al sig. Grossmann Josef (München und Fr.).
13			Al sig. Branderburg Johannes P. (Rotterdam).
»	»	»	Al sig. Snijders Johannes H. (Bois-le-Duc).
	»	»	Al sig. Van der Veer Johannes J. (Rotterdam).
14		»	Al sig. Passier Ludovicus M. (Bois-le-Duc).
16	»	»	Al sig. Corssmit Walter Johannes J. (Bois-le-Duc)„
12	dicembre	»	Al sig. Rotigni Carlo (Vigevano).
15	»		Al sig. Estrada Salvador (Manila).
12	gennaio	1980.	Al sig. Bonesi Giacomo (Roma).
»	»	»	Al sig. Rossi Pio (Roma).
	»	»	Al sig. Sabatini Giuseppe (La Spezia-Brugnato).
	»	»	Al sig. Scetti Pietro (Roma).
	»	»	Al sig. Songini Lorenzo (Roma).

NECROLOGIO

11	gennaio	1980.	Mons. Emmanuel Daddi, Arcivescovo di Mossul dei Caldei *(Iraq).*
14	»	»	Mons. Cornelius Bronsveld, P.A., Arcivescovo già di Tabora *(Tanzania).*
»	»	»	Mons. Francesco Cogoni, Vescovo già di Ozieri *(Italia).*
15	»	»	Mons. Gioacchino Pedicini, Vescovo già di Avellino *(Italia).*
19	»	»	Mons. Ciro Alfonso Gómez Serrano, Vescovo di Socorro» y San Gil *(Colombia).*

22	gennaio	1980.	Mons. Marcelino Sergio Bicego, O.F.M. Cap., Vescovo di Carolina *(Brasile).*
»	»	»	Mons. Camille Verfaillie, S.C.I. Vescovo tit. di Oea.
28	»	»	Mons. Georges Xenopulos, Vescovo già di Syros *(Grecia).*
30	»	»	Mons. Francesco Lardone, Arcivescovo tit. di Rizeo.

Recens nuntiatum est Ioannem Chang Pi-te, Episcopum tit. Panemotichitanum, anno 1976 de vita decessisse.

An. et vol. LXXII 15 Martii 1980 N. 2

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA

Ad universos Ecclesiae Episcopos: de SS. Eucharistiae Mysterio et Cultu.

IOANNES PAULUS PP. II

Venerabiles ac Dilecti Nobis Fratres,

1. **DOMINICAE CENAE** in proxima sollemnia, hoc etiam anno, Epistulam ad vos damus, quae propius cum illa conectitur quam superiore anno eadem oblata occasione accepistis, una cum Epistula quam misimus ad sacerdotes. Ante omnia vero *gratias vobis ex animo studemus referre* tum quod priores epistulas eo quidem recepistis animo affectuque unitatis quem inter nos Dominus confirmavit, tum quod presbyteris vestris cogitationes eas explicavistis quas ineunte pontificatu Nostro patescere voluimus.

In Eucharistica Cenae Domini Liturgia una cum propriis sacerdotibus officia renovavistis ac promissa ordinationis tempore suscepta. Multi praeterea ex vobis, Venerabiles ac Dilecti Fratres, eundem eventum Nobis deinde nuntiavistis ipsique grates pariter egistis, quin immo saepius habitas a presbyteris

vestris gratias ad Nos transmisistis. Complures insuper sacerdotes laetari se dixerunt quoniam animos pervadentem indolem sollemnemque percepissent Feriae Quintae in Cena Domini veluti annuae « festivitatis sacerdotum », necnon penitus comprehendissent momentum ipsarum quaestionum in datis sibi litteris tractatarum.

Eius modi autem responsiones copiosum efficiunt rerum collectum, qui rursus ostendit quanti aestimet quantumque adamet longe maxima pars sacerdotum catholicae Ecclesiae illam vitae presbyteralis viam quam eadem haec Ecclesia iam multa saecula percurrat, quantopere eam rationem vitae ii diligant ac foveant et in posterum prosequi gestiant.

Hoc autem loco addere debemus *epistulam illam sacerdotibus inscriptam aliquot tantum quaestiones perstrinxisse,* id quod clare ceteroquin enuntiatum est in ipsius principio.[1] Maxime praeterea elata est pastoralis natura ministerii sacerdotalis, quod tamen nequaquam significavit omissos esse eos sacerdotum numeros qui nullum directo expièrent pastorale opus. Ad hanc igitur rem quod attinet, iterum repetimus Concilii Vaticani II magisterium necnon pronuntiationes Synodi Episcoporum anno millesimo nongentesimo septuagesimo primo actae.

Pastoralis ratio ministerii sacerdotalis numquam comitari desinit cuiusque sacerdotis vitam, licet cotidiana quibus fungitur munera ad pastoralem sacramentorum administrationem aperte non referantur. Sic ergo epistula, quam appropinquante Feria Quinta in Cena Domini sacerdotibus dedimus, inscripta quidem universis est, nullo excepto, tametsi — ut notavimus — non cunctas ea tetigit vitae operaeque sacerdotum quaestiones. Ita utile profecto et opportunum esse credidimus iam harum Litterarum initio haec in lumine ponere.

[1] Cf. cap. 2: *AAS* 71 (1979), pp. S95 s.

I

EUCHARISTICUM MYSTERIUM IN ECCLESIAE SACERDOTISQUE VITA

EUCHARISTIA ET SACERDOTIUM

2. Hae Litterae — quas scribimus vobis, Venerabiles ac Dilecti Fratres in episcopatu, quasque diximus certo modo continuare priorem epistulam — arcta etiam necessitudine cum mysterio Cenae Domini coniunguntur simulque cum ipso sacerdotio. In animo enim habemus has Litteras Eucharistiae dicare ac praesertim *quibusdam partibus eucharistici mysterii eiusque effectibus in vita eorum qui sacro in ministerio versantur :* idcirco epistulam recta via accipitis quidem vos, Ecclesiae Episcopi, tum una vobiscum sacerdotes omnes ac dein secundum gradum proprium diaconi.

Re quidem vera sacerdotium ministeriale sive hierarchicum, sacerdotium episcoporum ac presbyterorum, iuxta quos etiam diaconorum ministerium — quae officia plerumque ab Evangelii nuntiatione initium sumunt — intimo quodam nexu cum Eucharistia cohaerent. Ipsa videlicet princeps summaque ratio est cur omnino sit sacerdotii Sacramentum, quod nempe ortum simul sit instituta Eucharistia unaque cum ea.[2] Haud sine causa ideo prolata verba sunt « hoc facite in meam commemorationem » continuo post formam eucharisticae consecrationis, quae nos pariter proferimus, quotiens Sanctissimum celebramus Sacrificium.[3]

Per ordinationem nostram, cuius celebratio cum Missae Sacrificio iam e primo liturgico documento consociatur,[4] in-

[2] Cf. Conc. Oecum. Tridentinum, sess. XXII, can. 2: *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* 3 ed. Bologna 1973, p. 735.

[3] Quod attinet ad istud Domini praeceptum, in quadam Liturgia eucharistica Aethiopica haec verba continentur : Apostoli « constituerunt nobis patriarchas, archiepiscopos, presbyteros et diaconos ad ritum (celebrandum) Ecclesiae tuae sanctae»: *Anaphora 8. Athanasii: Prex Eucharistica,* Haenggi-Pahl, Fribourg (Suisse) 1968, p. 183.

[4] Cf. *La tradition apostolique de saint Hippolyte,* nn. 2-4, ed. Botte, Münster/Westfalen 1963, pp. 5-17.

signi nos immo singulari prorsus modo cum Eucharistia colligantur. Certo etiam pacto exsistimus « ex ea » et « pro ea »; exsistimus etiam habemusque officia quaedam « circa eam » — tum unusquisque sua in communitate sacerdos, tum episcopus unusquisque propter omnium communitatum curam sibi concreditarum, sicut poscit illa « sollicitudo omnium Ecclesiarum » de qua Sanctus Paulus loquitur.[5] Nobis itaque episcopis ac sacerdotibus permagnum commendatur « Mysterium Fidei »; et quamquam traditum pariter est universo Populo Dei singulisque in Christum credentibus, nobis tamen Eucharistia commissa est etiam « pro » ceteris qui peculiarem a nobis exspectant venerationis amorisque testificationem erga hoc Sacramentum, ut et ipsi aedificati ac vivificati valeant « offerre spiritales hostias ».[6]

Cultus sic eucharisticus noster — sive in Missae celebratione sive erga augustum Sacramentum — quasi motus quidam vivificus fit, qui ministeriale nostrum seu hierarchicum sacerdotium iungit communi fidelium sacerdotio illudque exhibet secundum rationem ipsius verticalem, ut aiunt, necnon secundum vim et pondus proprium idque primarium. Sacerdos munus suum praecipuum implet omnique sua plenitudine se ipse ostendit Eucharistiam celebrando;[7] id quod vel plenius demostratur, cum ipse efficit ut huius mysterii altitudo perluceat ea mente ut per ministerium suum in animis hominum conscientiisque id solum refulgeat. Haec est praeclarissima exercitatio « regalis sacerdotii », « totius vitae christianae fons et culmen ».[8]

[5] *2 Cor.* 11, 28.

[6] *1 Pe.* 2, 5.

[7] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, n. 28: *AAS* 57 (1965), pp. 33 s.; Decretum *Presbyterorum Ordinis* de Presbyterorum ministerio et vita, nn. 2; 5: *AAS* 58 (1966), pp. 993; 998; Decretum *Ad Gentes Divinitus* de activitate missionali Ecclesiae, n. 39: *AAS* 58 (1966), p. 986.

[8] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, n. 11: *AAS* 57 (1965), p. 15.

MYSTERII EUCHARISTICI CULTUS

3. Ad Deum Patrem dirigitur hic cultus per Iesum Christum in Spiritu Sancto. In primis quidem ad Patrem qui, ut in Sancti Ioannis Evangelio dicitur, « sic ... dilexit... mundum, ut Filium suum Unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ».[9]

Etiam vero in Spiritu Sancto ad illum incarnatum Filium convertitur, secundum consilium operandae salutis, potissimum autem in ipso tempore extremae devotionis vitae suae totiusque traditionis sui, ad quod voces referuntur in cenáculo expressae : « hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur » ... ((hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis eftundetur ».[10] Liturgica exinde acclamatio : « Mortem tuam annuntiamus, Domine », ad illud nos ipsum temporis punctum reducit; eius porro resurrectionem confitentes amplexamur eodem prorsus venerationis actu Christum resuscitatum et glorificatum « ad dexteram Patris » atque etiam posthac •« venturum cum gloria ». *Verumtamen voluntaria exinanitio, quae Patri placuit resurrectioneque claruit,* quaeque sacramentaliter una cum resurrectione celebratur, nos adducit ad Redemptorem illum adorandum qui est ((factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis »."

Quae quidem adoratio nostra aliam insuper continet peculiarem proprietatem. Pervaditur enim sublimitate Mortis huius Humanae qua mundus universus, id est nostrum unusquisque, dilectus est « in finem ».[12] Sic responsio quoque ipsa est qua rependere studemus pretium Amoris illius immolati usque ad

[9] *Io.* 3, 16; Iuvat memorare haec verba resumi in Liturgia S. Ioannis Chrysostomi proxime ante verba consecrationis, ad quae animos componunt: cf. *La divina Liturgia del santo nostro Padre Giovanni Crisostomo,* Roma-Grottaferrata 1967, pp. 104 s.

[10] Cf. *Mt.* 26, 26ss.; *Me.* 14, 22-25; *Lc.* 22, 18 ss.; *1 Cor.* 11, 23 ss.; cf. etiam Preces Eucharisticae Liturgiae.

[11] *Piiil.* 2, 8.

[12] *Io.* 13, 1.

mortem in cruce. Haec nostra « Eucharistia » est, nostra videlicet gratiarum actio ei adhibita eiusdemque laudatio quod sua nos morte redemit ac participes suam per resurrectionem reddidit vitae immortalis.

Talis propterea cultus, ad Trinitatem Patris et Eilii et Spiritus Sancti intentus, comitatur permeatque in primis liturgiae eucharisticae celebrationem. At sacras aedes nostras pariter implere debet etiam extra Missarum tempora. Etenim, mysterium eucharisticum cum sit ex amore institutum nobisque Christum sacramentali ratione praesentem efficiat, dignum semper gratiarum actione est atque cultu. Qui cultus emineat oportet omni in nostra congressione cum Sanctissimo Sacramento, sive cum templa nostra invisimus sive cum Species sacrae aegrotis deferuntur atque traduntur.

Adoratio autem Christi hoc in sacramento declaranda erit *variis eucharisticae pietatis formis* : precibus singulorum coram Sanctissimo Sacramento effusis, horis adorationis, expositionibus brevibus vel longioribus, etiam annuis (supplicationibus per Quadraginta Horas habitis), eucharisticis benedictionibus ac processionibus necnon ipsis Conventibus eucharisticis.[13] Memorari vero nominatim hoc loco decet sollemnitatem « Corporis et Sanguinis Christi » tamquam actum publici cultus Christo tributi in Eucharistia praesenti, quem ad modum fieri voluit Decessor Noster Urbanus IV, ut nempe magni huius Mysterii institutio recoleretur.[14] Haec ideo omnia plane conveniunt universalibus principiis normisque particularibus iam

[13] Cf. IOANNES PAULUS PP. II, *Allocutio Dublini habita in hortis, quibus nomen «Phoenix Parlo),* n. 7 (29 Sept. 1979): *AAS* 71 (1979), pp. 1074 ss. ; S. Rituum Congr., Instructio *Eucharisticum Mysterium: AAS* 59 (1967), pp. 539-573; Rituale Romanum, *De sacra communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam,* ed. typica, 1973. Notandum est cultus pondus et vim sanctificationis harum pietatis formarum in Eucharistiam non ex ipsis formis sed potius ex intimis mentis rationibus pendere.

[14] Cf. Bulla *Transiturus de hoc mundo* (11 Aug. 1264): AEMILII FBIEDBERG *Corpus Iuris Canonici,* Pars II. *Decretalium Collectiones,* Leipzig 1881, pp. 1174-1177; *Studi eucaristici,* VII centenario della Bolla « Transiturus » 1264-1964, Orvieto 1966, pp. 302-317.

diu vigentibus, sed denuo per Concilium Vaticanum II aut postea edictis.[15]

Alacris propagatio altiusque studium eucharistici cultus est *verae renovationis documentum* quam sibi Concilium uti finem proprium statuerat in quaque est *ut in re primaria* versatum. Id quod, Venerabiles ac Dilecti Fratres, aliquam seorsum meretur considerationem. Ecclesiae quidem et mundo valde opus est eucharistico cultu. Ne tempori nostro parcamus ut eum conveniamus cum adoratione, cum contemplatione fidei plena et parata graves culpas et crimina mundi compensare. Adoratio nostra profecto numquam deficiat.

EUCHARISTIA ET ECCLESIA

4. Concilii ipsius beneficio nos renovata vi sumus nobis conscii huius veritatis : sicut Ecclesia « faciat Eucharistiam », ita « Eucharistiam facere » Ecclesiam;[16] quam quidem veritatem arcte adhaerere ad mysterium Feriae Quintae in Cena Domini. Condita enim Ecclesia est velut nova communitas Populi Dei intra ipsam Duodecim illorum communitatem apostolicam, qui in novissima Cena Corpus et Sanguinem Domini participaverant sub panis vinique speciebus. Dixerat enim iis Christus: « accipite et manducate ... », « accipite et bibite ». Qui vicissim exsequentes hoc eius mandatum ingressi primum sunt communionem sacramentalem cum Dei Filio, quae vitae

[15] Cf. PAULUS PP. VI, Litt. Enc. *Mysterium Fidei: AAS* 57 (1965), pp. 753-774; S. Rituum Congr., Instructio *Eucharisticum Mysterium: AAS* 59 (1967), pp. 539-573; Rituale Romanum, *De sacra communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam,* ed. typica, 1973.

[16] IOANNES PAULUS PP. II, Litt. Enc. *Redemptor Hominis,* n. 20: *AAS* 71 (1979), p. 311; cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, n. 11: *AAS* 57 (1965), pp. 15s.; insuper annotat. 57 ad n. 20 Schematis II eiusdem Constitutionis dogmaticae in opere quod inscribitur *Acta Synodalia Sacrosancti Concilii Oecum. Vat. II,* vol. II, periodus 2, pars I, sessio publica II, pp. 251 s.; PAULUS PP. VI, *Allocutio habita in Admissione Generali* (15 Sept. 1965) : *Insegnamenti di Paolo VI,* III (1965), p. 1036; H. DE LUBAC, *Méditation sur l'Eglise,* 2 ed., Paris 1953, pp. 129-137.

aeternae est pignus. Ex illo tempore usque ad temporum finem *Ecclesia se ipsa aedificat per eandem cum Dei Filio communionem, quae aetemi est Paschatis pignus.*

Dilecti ac Venerabiles in episcopatu Fratres, uti magistri nos et custodes salvificae veritatis Eucharistiae semper et ubique debemus conservare hanc significationem ac rationem congressionis sacramentalis intimaeque coniunctionis cum Christo. Quae quidem substantiam ipsam eucharistici cultus efficiunt. Porro veritatis huius supra explicatae sensus nullo modo deminuit, quin immo perficit eucharisticam indolem spiritalis necessitudinis societatisque inter homines, qui fiunt Sacrificii ipsius participes, quod iis dein in Communione evadit convivium. Haec autem hominum appropinquatio et consociatio, cuius prototypus Apostolorum est congregatio circum Christum in ultima Cena, exprimit Ecclesiam et ad effectum adducit.

Ad hunc tamen ea adducitur non solum per ipsam inter homines consortionem neque solum per fraternitatis experientiam, cuius occasionem eucharisticum offert convivium. Nam Ecclesia ad effectum perducitur cum nos hac in fraterna communitate et consociatione sacrificium celebramus crucis Christi, cum annuntiamus «mortem Domini donec veniat»,[17] ac postmodum cum, penitus mysterio salutis nostrae pervasi, accepimus communitaria ratione ad Domini mensam, ut modo sacramentali fructibus nutriamur Sancti Sacrificii propitiatorii. Christum igitur eumque ipsum recipimus in eucharistica communione; ac nostra cum illo coniunctio, quae donum est et gratia cuique data, ita facit ut in eo etiam sociemur illi unitati Corporis eius Mystici, quod est Ecclesia.

Hac dumtaxat via — talem scilicet per fidem talemque per animi affectionem — ista perficitur Ecclesiae aedificatio, quae revera in Eucharistia invenit suum fontem et culmen secun-

[17] *1 Cor.* 11, 26.

dum notam Concilii Vaticani II sententiam.[18] Haec porro veritas, quam eadem universalis Synodus in novo lumine vehementius posuit,[19] crebrum esse decet argumentum considerationum nostrarum totiusque nostrae institutionis. Inde omnis ali debet industria pastoralis, inde etiam hauriri cibus nobismet ipsis et sacerdotibus cunctis qui nobiscum operantur ac demum totis communitatibus curae nostrae creditas. Ita nimirum ad quemque ferme passum in via vitae patere debet in isto Ecclesiae usu *vinculum proximum inter spiritalem apostolicumque Ecclesiae victorem atque Eucharistiam pro alta huius significatione comprehensam* ac quidem singulis sub rationibus.[20]

EUCHARISTIA ET CARITAS

5. Priusquam subtiliorem suscipiamus explicationem eiusdem huius argumenti de Sanctissimi Sacrificii celebratione, breviter iterum inculcare volumus eucharisticum cultum omnis christianae vitae constituere animam. Si enim christiana vita impletur maximo mandato, amoris nempe Dei proximique, observando, haec quidem caritas fontem proprium suum habet

[18] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, n. 11: *AAS* 57 (1965), pp. 15s.; Const. *Sacrosanctum Concilium* de Sacra Liturgia, n. 10: *AAS* 56 (1964), p. 102; Decretum *Presbyterorum Ordinis* de Presbyterorum ministerio et vita, n. 5: *AAS* 58 (1966), pp. 997 s.; Decretum *Christus Dominus* de pastorali episcoporum munere in Ecclesia, n. 30: *AAS* 58 (1966), pp. 688s.; Decretum *Ad Gentes Divinitus* de activitate missionali Ecclesiae, n. 9: *AAS* 58 (1966), pp. 957 s.

[19] Cf. Conc. Oecum Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, n. 26: *AAS* 57 (1965), pp. 31 s.; Decretum *unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, n. 15: *AAS* 57 (1965), pp. 101 s.

[20] Hoc ipsum expetitur per collectam Missae vespertinae in Cena Domini: « ut ex tanto mysterio plenitudinem caritatis hauriamus et vitae »; *Missale Romanum,* ed. typica altera 1975, p. 244; et etiam per epicleses communionis Missalis Romani: « Et supplices deprecamur ut Corporis et Sanguinis Christi participes a Spiritu Sancto congregentur in unum. Recordare, Domine, Ecclesiae tuae toto orbe diffusae, ut eam in caritate perficias » *Prex Eucharisitca II, ibid.,* pp. 458 s.; cf. *Prex Eucharistica III. ibid.,* p. 463.

in sanctissimo Sacramento, quod amoris plerumque appellatur Sacramentum.

Eucharistia hanc significat caritatem; quapropter memorat eam et praesentem reddit *simulque ad effectum adducit.* Quotiescumque conscio illam modo participamus, animis nostris recluditur verus aliquis aspectus inscrutabilis illius amoris qui in se omnia complectitur quae hominibus nobis fecit Deus facitque continenter secundum illud Christi: « pater meus usque modo operatur, et ego operor ».[21] Una autem cum dono ininvestigabili hoc et gratuito, quod *caritas* revelata est — usque in finem nempe in salvifico Filii Dei sacrificio, cuius indelebile est Eucharistia signum — exoritur etiam in nobis viva amoris responsio. Non enim amorem cognoscimus tantum, verum etiam *amare incipimus* nos ipsi. Viam, ut ita dicamus, ingredimur amoris in eaque deinceps progredimur. Qui in nobis nascitur ex Eucharistia amor, propter ipsam crescit in nobis altasque agens radices convalescit.

Idcirco eucharisticus cultus declaratio reapse est huius amoris, qui germana atque intima proprietas est christianae vocationis. Profluit enim idem cultus ex caritate inservitque caritati, ad quam omnes nos in Christo Iesu vocamur.[22] Porro vividus eius cultus fructus est imaginis Dei perfectio, quam in nobis gerimus quaeque illi respondet quam Christus revelavit nobis. Effecti nos ergo adoratores Patris «in Spiritu et veritate»,[23] maturescimus pleniore usque in coniunctione cum Christo, propius adhaerescimus ad eum et — si ita fas est loqui — solidius cum ipso sociamur.

Doctrina Eucharistiae, quae est signum unitatis et vin-

[21] *Io.* 5, 17.

[22] Cf. orationem Post communionem Dominicae XXII « per annum »: « Pane mensae caelestis refecti, te, Domine, deprecamur, ut hoc nutrimentum caritatis corda nostra confirmet, quatenus ad tibi ministrandum in fratribus excitemur»: *Missale Romanum,* ed. mem., p. 361.

[23] *Io.* 4, 23.

culum caritatis, a Sancto Paulo tradita[24] altius deinde enucleata est in tot sanctorum scriptis qui viva nobis exempla cultus eucharistici praebent. Ante oculos hoc constitutum semper habere debemus eodemque tempore eniti perpetuo efficere ut nostra etiam aetas ad miranda illa praeteritorum temporum exempla addat nova quaedam, haud minus vivida et significantia, quae cum condicionibus, in quibus hodie vivimus, congruunt.

EUCHARISTIA ET PROXIMUS

6. *Genuinus sensus Eucharistiae ex se iam schola caritatis fit actuosae erga proximum.* Istum enim verum integrumque esse novimus ordinem amoris, quem docuit nos Dominus : « in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem».[25] Ad hanc caritatem multo accuratius nos instituit Eucharistia, quippe quae liquido demonstret quantum momentum obtineat ante Deum omnis homo — frater id est noster ac soror — si quidem aequali prorsus ratione Christus se pro singulis offerat sub panis ac vini Speciebus. Si verus igitur cultus noster eucharisticus est, faciat is oportet ut conscientia in nobis augescat singulorum hominum dignitatis. Cuius porro dignitatis conscientia fit *potissima ratio habitudinis nostrae ad proximum.*

Acriter etiam persentire debemus omnem dolorem ac miseriam hominum, omnem iniuriam et iniustitiam eorum, dum viam quaerimus malis istis efficaciter medendi. Cum observantia detegere discamus veritatem de homine interiore, quoniam ipse hic homo internus efficitur habitaculum Dei in Eucharistia praesentis. In animos venit Christus conscientiasque visit fra-

[24] Cf. *1 Cor.* 10, 17; quem locum explanavit S. AUGUSTINUS: *In Evangelium Ioannis tract.* 31, 13: *PL* 35, 1613; item Conc. Oecum. Trident., sess. XIII, c. 8: *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Bologna 1973, p. 697, 7; Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, n. 7: *AAS* 57 (1965), p. 9.

[25] *Io.* 13, 35.

trum nostrorum ac sororum. Quantum vero omnium et cuiusque hominis mutatur imago, cum harum rerum conscii fimus, cum has res considerationibus nostris ponderamus! Mysterii eucharistici sensus ad amorem nos propellit erga proximum, ad amorem denique erga singulos homines.[26]

EUCHARISTIA ET VITA

7. Cum caritatis itaque sit fons, Eucharistia semper quasi centrum fuit vitae discipulorum Christi. Cumque speciem habeat panis ac vini, cibi id est ac potus, res homini perquam familiaris est adeoque devincta cum ipsius vita, ut sunt videlicet esca ac potio. In eucharistico cultu veneratio Dei, qui est Amor, nascitur ex illa quasi familiaritate intima, *qua is ipse, perinde ac cibus et potus, replet spiritalem nostram naturam,* cui vitam praebet sicut illi. Talis igitur « eucharistica » Dei veneratio plane concinit cum salvificis eius consiliis. Pater namque ipse vult ut « veri adoratores »[27] sic omnino se adorent, quam proin voluntatem Christus interpretatur tum verbis suis tum etiam hoc sacramento, per quod idonei efficimur, ut Patrem eo modo adoremus, qui voluntati ipsius magis respondeat.

Ex tali dein conceptione eucharistici cultus proficiscitur tota *sacramentalis figura christianorum vitae.* Si quis enim christianus vitam ducit super sacramenta fundatam communique animatam sacerdotio, id in primis significat hunc expetere, ut Deus intus agens provehat ipsum, in Spiritu, « in mensuram aetatis plenitudinis Christi ».[28] Deus vero sua ex parte non

[26] Hoc enuntiant plures orationes *Missalis Romani:* oratio super oblata Missae «Pro iis qui opera misericordiae exercuerunt»: «ut... in tui et proximi dilectione, Sanctorum tuorum exemplo, confirmemur»: *Missale Romanum, ed. mem.,* p. 721; Post communionem Missae «Pro educatoribus»: «ut... fraternitatis caritatem et lumen veritatis in corde exhibeamus et opere»: *ibid.,* p. 723; cf. etiam Post communionem Missae Dominicae XXII « per annum », supra allatum in annot. 22.

[27] *Io.* 4, 23.

[28] *Eph.* 4, 13

afficit illum per eventa solum externa suamque gratiam internam, sed certius in eo ac vehementius quidem agit per sacramenta. Haec profecto praebent vitae ipsius quendam sacramentalem habitum.

At omnibus ex sacramentis Eucharistia ad plenitudinem perducit hominis christiani initiationem tribuitque sacerdotii communis exercitationi illam rationem sacramentalem et ecclesialem quae conectit illud — sicut iam significavimus[29] — cum ministeriali sacerdotio. Hoc modo cultus eucharisticus *centrum et culmen est totius sacramentalis vitae.*[30] Resonant usque in illo, veluti alta vocis imagine, sacramenta initiationis christianae: Baptisma et Confirmatio. Quonam melius loco veritas declaratur illa, secundum quam non tantum « filii Dei nominantur » sed « et sumus »,[31] sacramenti scilicet Baptismatis virtute, quam eo ipso quod reddimur in Eucharistia participes Corporis et Sanguinis unigeniti Filii Dei? Et quidnam magis nos praeparat, ut simus « veri testes Christi »[32] coram mundo, quod Confirmationis Sacramentum efficit, quam eucharistica communio in qua Christus nobis testimonium dat nosque ei?

Fieri non potest ut hic singillatim subtiliusque in vincula inquiramus quae inter Eucharistiam exsistunt et reliqua Sacramenta, praesertim Sacramentum familiaris vitae atque infirmorum. De necessitudine autem arcta Sacramenti Paenitentiae cum Eucharistia iam in Litteris Encyclicis a verbis « Redemptor Hominis » incipientibus quaedam monuimus.[33] *Non ad Eucharistiam modo conducit Paenitentia verum ad Paeni-*

[29] Cf. *supra, n. 2.*

[30] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Decretum *Ad Gentes Divinitus* de activitate missionali Ecclesiae, nn. 9 et 13: *AAS* 58 (1966), pp. 958; 961 s.; Decretum *Presbyterorum Ordinis* de Presbyterorum ministerio et vita, n. 5: *AAS* 58 (1966), p. 997.

[31] *1 Io.* 3, 1.

[32] Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, n. 11: *AAS* 57 (1965), p. 15.

[33] Cf. n. 20: *AAS* 71 (1979), pp. 313 s.

tentiam Eucharistia pariter ipsa. Cum enim nobiscum reputandus quis demum sit quem in eucharistica recipimus communione, sua fere sponte oritur in nobis indignitatis affectus una cum dolore ob peccata cumque sensu interioris necessitatis purificationis.

At vigilandum nobis semper est, ne eximia haec cum Christo congressio in Eucharistia transeat in levem consuetudinem neve ipsum indigne — hoc est gravi peccato onerati — suscipiamus. Usus ergo virtutis paenitentiae ipsumque Sacramentum Paenitentiae pernecessaria sunt ut sustentetur in nobis et continenter vigescat affectio illa venerationis quam Deo ipsi homo debet atque eius Amori tam mirabiliter revelato.

Hucusque dicta eo quidem spectant ut universales quaedam cogitationes exponantur de cultu eucharistici Mysterii, quae fusius sane possint uberiusque enodari. Explicari nominatim possit nexus inter ea quae diximus de Eucharistiae effectibus in caritatem erga hominem et ea quae modo inculcavimus de officiis erga hominem et Ecclesiam acceptis in ipsa communione eucharistica indeque etiam imago effingi possit illius « terrae novae »[34] quae ex Eucharistia per omnem « hominem novum » generatur.[35]

Re quidem vera in hoc panis ac vini, cibi nempe potusque, *Sacramento quidquid humanum est, insigniter transformatur et sublevatur.* Ideo eucharisticus cultus non tantum cultus est qui inaccessibili transcendentiae praestatur, quantum divinae cultus indulgentiae ac benignitatis simulque misericors ac redemptrix mundi transformatio in corde hominum.

Haec omnia strictim dumtaxat attingentes et summatim, cupimus tamen latius iam aperire spatium quaestionibus illis quas debebimus postmodum excutere, quoniam et ipsae arctissime coniunctae sunt cum Sanctissimi Sacramenti celebratione. Etenim ea in celebratione propius declaratur Eucharistiae cul-

[34] *2 Pe.* 3, 13.
[35] *Col.* 3, 10.

tus, qui intimo profluit ex animo velut magni pretii obsequium fide, spe caritateque excitatum, quae per Baptisma in nos sunt infusae. Hac ipsa de re ad vos, Venerabiles Dilectique in episcopatu Fratres, et vobiscum ad sacerdotes ac diaconos volumus praesertim his scribere in Litteris, quibus Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino accuratiores subnectet animadversiones.

II

EUCHARISTIAE INDOLES SACRA ET SACRIFICIUM

INDOLES SACRA

8. Eucharistiae celebratio iam inde a cenáculo et Ultima Cena suam prae se fert historiam tam longam ut Ecclesiae ipsius. Qua quidem volvente historia in elementa secundaria certae quaedam mutationes sunt inductae; verum tamen *nihil mutata est essentia Mysterii,* quod mundi Redemptor eadem in novissima Cena constituit. Etiam Concilium Vaticanum II nonnulla immutavit, ob quae Missae liturgia nunc obtinens aliquantum distat a Missae forma ante Concilium vigente. In praesentia vero de differentiis illis nolumus loqui; expedit enim Nos in eo consistere quod immutabile iam pertinet ad liturgiae eucharisticae essentiam.

Cum hoc namque elemento proxime cohaeret « sacrum » illud Eucharistiae, videlicet ut sanctae sacraeque actionis. Sancta autem et sacra est, quandoquidem in ea adest semper agitque Christus « Sanctus Dei »,[36] a Spiritu Sancto unctus,[37] « quem Pater sanctificavit »,[38] ut poneret libere animam suam iterumque sumeret,[39] « pontifex foederis novi ».[40] Ipse enim,

[36] *Lc.* 1, 35; *Io.* 6, 69; *Act.* 3, 14; *Ap.* 3, 7.

[37] *Act.* 10, 38; *Lc.* 4, 18.

[38] *Io.* 10, 36.

[39] Cf. *Io.* 10, 17.

[40] *Hebr.* 3, 1; 4, 15 et cetera.

cuius sustinet celebrans personam, ingreditur sanctuarium ibique suum denuntiat Evangelium. Ipse porro est « offerens simul et oblatus, consecrator et consecratus ».[41] Actio quidem sancta est et sacra, cum sacris constet ex Speciebus, quae sunt <(Sancta sanctis » — id est res sanctae, Christus sanctus, sanctis datae — quem ad modum universae canunt liturgiae Orientis, dum tollitur eucharisticus panis, ut ad Cenam Domini fideles invitentur.

Sacra igitur Missae natura non est aliqua « sacralizatio », additio nempe ab homine facta ad Christi actionem in cenáculo, quia illius Feriae Quintae Cena sacer fuit ritus, primaria ac constitutiva liturgia, qua Christus se vitam pro nobis daturum pollicitus celebravit sacramentaliter ipse mysterium Passionis suae ac Resurrectionis, quod veluti cor est Missae cuiusque. Ex ea procedentes liturgia, Missae nostrae possident ex se iam liturgicam figuram integram, quae, licet pro singulis familiis ritualibus varietur, permanet tamen quoad substantiam eadem. « Sacrum » igitur, Missae proprium, est a Domino instituta indoles sacra. Verba autem uniuscuiusque sacerdotis et acta, quibus totius eucharisticae congregationis conscia actuosaque participatio respondet, referunt quasi vocis imagine dicta et facta Ultimae Cenae.

Sanctissimum Sacrificium a sacerdote offertur « in persona Christi », quod plus sane significat quam « nomine Christi » vel etiam « Christi vicem ». Offertur nempe « in persona » : cum celebrans ratione peculiari et sacramentali idem prorsus sit ac « summus aeternusque Sacerdos »,[42] qui Auctor est princepsque Actor huius proprii sui Sacrificii, in quo nemo revera

[41] Ut Byzantina liturgia saeculi IX praedicabat secundum omnium vetustissimum codicem, olim *Barberino di San Marco* appellatum (Florentiae), nunc in Bibliotheca Apostolica Vaticana asservatum, *Barberini greco* 336, f. 8 vers. lin. 17-20, vulgatum in hac parte a F. E. BRIGHTMAN, *Liturgies Eastern and Western,* I. *Eastem Liturgies,* Oxford 1896, p. 318, 34-35.

[42] Collecta Missae votivae de Ss. Eucharistia B: *Missale Romanum, ed. mem.,* p. 858.

in eius locum substitui potest. Ipse enim solus — Christus solus — potuit semperque potest esse vera et certa « propitiatio pro peccatis nostris... sed etiam pro totius mundi ».[43] Eius dumtaxat sacrificium — nullius alterius — potuit potestque habere vim propitiatoriam coram Deo, sanctissima Trinitate, eius sanctitate, quae omnia transcendit. Conscientia autem huius rei aliquo modo illuminat significationem et indolem sacerdotis celebrantis qui, *Sanctissimum immolans Sacrificium atque « in persona Christi » agens,* inducitur inseriturque modo sacramentali (simulque ineffabili) in hoc intimum « sacrum » ubi is vicissim spiritaliter omnes consociat eucharisticae congregationis participes.

Hoc praeterea « sacrum », quod variis liturgicis formis peragitur, potest aliquo carere secundario elemento; attamen privari nullo pacto licet indole sacra sua ac « sacramentalitate » essentialibus, cum decretae illae a Christo sint et ab Ecclesia transmittantur atque regantur. Neque fas est illud « sacrum » ad alios fines detorqueri. Eucharisticum enim Mysterium si a propria seiungitur sacrificali et sacramentali natura, plane id esse cessat. Nam haud tolerat ullam imitationem « profanam » quae facillime transire possit, quin immo fere semper, in profanationem. Eeminisci hoc usque oportet maximeque fortasse his temporibus, cum animorum inclinationem dispicimus ad discrimen submovendum inter « sacrum » et « profanum » cumque percrebuit fere iam ubique studium (quibusdam saltem in locis) auferendae sacrae omnium rerum qualitatis.

His ergo in adiunctis *necesse ex suo officio Ecclesiae est tutari atque confirmare ipsum Eucharistiae « sacrum »*. Praeterea in societate nostra, cuius pluralismus est proprius quaeque saepius etiam consulto saeculares vitae rationes sequitur, *viva fides* christianae communitatis — fides conscia quidem sibi iurium suorum adversus eos omnes qui eandem non partici-

[43] *1 Io.* 2, 2; cf. *ibid.* 4, 10.

parit fidem — praestat huic eidem « sacro » tutum locum in civitate christiana. Officium reverendae singulorum hominum fidei respondet simul naturali civilique iuri libertatis tum conscientiae tum ipsius religionis.

In sermone theologico ac liturgico haec Eucharistiae indoles sacra enuntiata est et semper enuntiatur.[44]

Qui sensus obiectivae indolis sacrae Mysterii eucharistici tantopere est constitutivum quiddam fidei Populi Dei ut ea locupletetur et corroboretur.[45] Ministri proinde Eucharistiae nostris potissimum diebus illustrari debent huius fidei vivae plenitudine eiusque sub splendore comprehendere et perficere id omne quod ad sacerdotale eorum ministerium ex Christi eiusque Ecclesiae voluntate pertinet. e

SACRIFICIUM

9. In primis autem est Eucharistia sacrificium: redemptionis videlicet eodemque tempore sacrificium Novi Foederis,[46]

[44] Dicimus enim « divinum Mysterium », « Sanctissimum » vel « Sacrosanctum », id est excellentissimum modum « Sacri » et « Sancti » proferimus. Orientales contra Ecclesiae nuncupant Missam « raza » sive « mystérion » [ptucrx^piov], hagiasmós [áytac^óc], quddasa, qedassë, scilicet praestantissimam formam « consecrationis ». Ritus insuper liturgici accedunt qui ad sacri excitandum sensum postulant ut sileatur, stetur, genua nectantur, ut fidei professio peragatur, ut incenso suffiantur Evangelium, ara, celebrans et ipsae Species sacrae. Immo vero ritus illi in adiutorium arcessunt angelos ad serviendum Deo Sancto creatos: in Ecclesiis nostris Latinis acclamatione «Sanctus », atque in Liturgiis Orientis acclamatione « Trisagion » et « Sancta sanctis ».

[45] Verbi causa in ipsa invitatione ad communionem hac fide in lumine ponuntur additicii aspectus praesentiae Christi Sancti: aspectus epiphaniae expressus a Byzantinis (« Benedictus qui venit in nomine Domini: Dominus est Deus et apparuit nobis ! »: *La divina Liturgia del santo nostro Padre Giovanni Crisostomo,* Roma-Grò ttafer rata 1967, p. 136s.); aspectus societatis et unitatis, decantatus ab Armenis («Unus Pater sanctus *nobiscum,* unus Filius sanctus *nobiscum,* unus Spiritus sanctus *nobiscum »: Die Anaphora des Heiligen Ignatius von Antiochien,* übersetzt von A. RÜCKER, *Oriens Christianus,* 3ª ser., 5 [1930], p. 76); aspectus abditus et caelestis praedicatus a Chaldaeis ac Malabarensibus (cf. *Hymnus antiphonarius,* post communionem cantatus a sacerdote et fidelibus: F. E. BRIGHTMAN, *op. mem.,* p. 299).

[46] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. *Sacrosanctum Concilium* de Sacra Liturgia, nn. 2 et 47: *AAS* 56 (1964), pp. 83 s., et 113; Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, nn. 3 et 28: *AAS* 57 (1965), pp. 6 et 33 s.; Decretum *unitatis Redintegratio* de Oecumenismo, n. 2: *AAS* 57 (1965), p. 91; Decretum *Presbyterorum Ordinis* de Presbyterorum ministerio et Vita, n. 13: *AAS* 58 (1966), p. 1011 s.; Conc. Oecum. Tridentin., sessio XXII,

sicut credimus nos ac manifesto profitentur etiam Ecclesiae Orientis; plura quidem abhinc saecula Ecclesia Graeca docuit: « hodiernum sacrificium sic profecto est ut illud quod olim unigenitum incarnatum Verbum obtulit; ab eo nunc hodie ut tunc offertur, cum idem sit unicumque sacrificium ».[47] Quocirca, cum praesens redditur unicum hoc salutis nostrae sacrificium, homo et mundus Deo restituuntur per paschalem Redemptionis novitatem. Quae quidem restitutio deficere non potest, fundamentum enim est « novi et aeterni testamenti » Dei cum hominibus hominumque cum eo. Si quando deficeret, disputari oporteret tam de praestantia ipsius sacrificii Redemptionis, quod tamen perfectum fuit omniumque postremum ac terminale, quam de Missae Sanctae vi sacrificali. Quam ob rem verum cum Eucharistia sit sacrificium, hanc restitutionem ad Deum operatur.

Inde vero sequitur ut celebrans, tamquam illius sacrificii minister, germanus sit *sacerdos* qui — peculiaris potestatis virtute in sacra ordinatione collatae — sacrificalem perficit actum homines ad Deum referentem. Omnes autem qui Eucharistiae sunt participes, licet non sacrificent ut ille, nihilo minus cum ipso offerunt communis sacerdotii virtute *sacrificia spiritalia* sua, quae panis et vinum indicant, iam ex quo tempore haec in altari exhibentur. Etenim liturgicus hic actus, in universis fere liturgiis sollemniter celebratus, « vim et significationem spiritalem servat ».[48] Fiunt quodam modo panis et vinum earum rerum omnium signum quas eucharistica communitas ipsa ex se ut donum Deo praebet offertque in spiritu.

cap. I et II: *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Bologna 1973, pp. 732 s., praesertim: « una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa» *(ibid.,* p. 733).

[47] Synodus Constantinopolitana adversus Sotericum (mensibus Ianuario 1156 et Maio 1157): ANGELO MAI, *Spicilegium romanum, t.* X, Romae 1844, p. 77; *PO* 140, 190; cf. MABTIN JTJGIE, *Dict. Theol. Cath.,* t. X, 1338; *Theologia dogmatica christianorum orientalium,* Paris 1930, pp. 317-320.

[48] *Institutio Generalis Missalis Romani,* n. 49: *Missale Romanum, ed. mem.,* p. 39; cf. Conc. Oecum. Vat. II, Decretum *Presbyterorum ordinis* de presbyterorum ministerio et vita, n. 5: *AAS* 58 (1966), pp. 997 s.

Magni ideo interest ut primum hoc liturgiae eucharisticae momentum, sensu quidem stricto, declaretur etiam afiectibus actibusque participantium, ad quos refertur processio, quae dicitur, cum donis, quam recens liturgica instauratio statuit[49] quamque ex perantiqua traditione psalmus comitatur vel hymnus. Certum per temporis spatium est necesse, ut omnes huius actus conscientiam assequantur quem celebrans propriis simul verbis enuntiat.

Eadem porro conscientia actus exhibendi dona totam per Missam est sustinenda. Quin immo suam plenitudinem attingere debet tempore consecrationis et oblationis anamneticae, prout flagitat primaria vis culminis ipsius sacrificii. Quod quidem vocabula comprobant eucharisticae precis quae sacerdos elatiore pronuntiat voce. Proderit hic non nullas afferre locutiones tertiae precis eucharisticae quibus insignite aperitur sacrificalis indoles Eucharistiae et in quibus oblatio nostri ipsorum cum Christi iungitur oblatione: « Respice, quaesumus, in oblationem Ecclesiae tuae et, agnoscens Hostiam, cuius voluisti immutatione placari, concede, ut qui Corpore et Sanguine Filii tui reficimur, Spiritu eius Sancto repleti, unum corpus et unus spiritus inveniamur in Christo. Ipse nos tibi perficiat munus aeternum ».

Significatio autem sacrificalis haec iam in omnibus celebrationibus exprimitur verbis illis quibus sacerdos terminat donorum oblationem fidelesque ad orandum hortatur ut « meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem ». Quae vocabula obstringentem habent virtutem, quatenus naturam totius eucharisticae liturgiae patefaciunt ubertatemque rerum simul divinarum simul ecclesialium, quas continet.

Quicumque ergo cum fide Eucharistiam communicant, animadvertunt eam « sacrificium » esse, id est « oblationem con-

Ordo Missae cum populo, n. 18: *Missale Romanum, ed. mem.*, p. 390.

secratam ». Nam panis ac vinum in altari exhibita, quibus pietas et sacrificia spiritalia participantium iunguntur, denique sic consecrantur ut fiant *vere, realiter et substantialiter* Corpus traditum Sanguisque a Christo ipso effusus. Ita quidem propter consecrationem species panis et vini repraesentant[50] modo sane sacramentali et incruento ipsum cruentum Sacrificium propitiatorium quod is Patri in cruce obtulit pro saeculi salute. Ipse enim solus, victimam propitiatricem se praebens summae cum devotionis et immolationis actu, hominum genus cum Patre reconciliavit, « delens, quod adversum nos erat, chirographum ».[51]

Ad hoc igitur sacrificium, quod modo sacramentali in altari renovatur, oblata dona panis et vini, fidelium pietati coniuncta, quiddam conferunt, pro quo aliud nequit substitui, siquidem per consecrationem sacerdotis sacrae species efficiuntur. Hoc etiam clare patescit ex gestu sacerdotis eucharisticam proferendis precem at maxime in ipsa consecratione deindeque cum Sancti Sacrificii celebrationem eiusque participationem comitatur huius rei conscientia : « magister adest et vocat te ».[52] Quae Domini vocatio ad nos per ipsius Sacrificium directa reserat corda, ut, per mysterium Redemptionis nostrae mundata, cum eo se conglutinent in eucharistica communione quae vicissim illi participationi Missae attribuit pondus maturum ac plenum humanamque obligans vitam : « Intendit vero Ecclesia ut fideles non solummodo immaculatam hostiam offerant sed etiam seipsos offerre discant, et de die in diem consummentur, Christo mediatore, in unitatem cum Deo et inter se, ut sit tandem Deus omnia in omnibus ».[53]

Oportet ergo convenitque ut nova, impensa institutio impertiatur eo consilio ut omnes divitiae, quae in liturgia continentur, aperiantur. Liturgica enim renovatio post Concilium

[50] Cf. Conc. Oecum. Trident., Sessio XXII, c. 1: *Conciliorum Oecumenicorum Decreta,* Bologna 1973, pp. 732 s.

[51] *Col.* 2, 14.

[52] *Io.* 11, 28.

[53] *Institutio Generalis Missalis Romani,* n. 55 f: *Missale Romanum, ed. mem.,* p. 40.

Vaticanum II effecta addidit maiorem, ut ita loquamur, visibilitatem *sacrificio eucharistico.* Missis aliis rebus, ad eam conferunt verba eucharisticae precis a celebrante pronuntiata voce elata praesertimque consecrationis verba et congregationis acclamatio continuo post elevationem.

Quae omnia si gaudio nos replent, reminisci tamen etiam decet *mutationes illas novam flagitare conscientiam maturitatemque spiritalem* non solum a celebrante, potissimum hodie cum « versus populum » celebrat, sed ab ipsis pariter fidelibus. Maturescit autem et increscit eucharisticus cultus cum precis eucharisticae verba ac nominatim consecrationis magna cum humilitate ac simplicitate ita efferuntur ut intellegi possint, secundum suam sanctitatem, modo pulchro et digno; cum actus hic primarius eucharisticae liturgiae sine festinatione fit, cum opera vere datur tali collecti animi attentioni ac pietati tali ut participes sentiant mysterii excelsitatem, quod peragitur, idque se gerendi ratione ostendant.

III

BINAE DOMINI MENSAE COMMUNEQUE ECCLESIAE BONUM

MENSA VERBI DEI

10. Probe quidem novimus Eucharistiae celebrationem priscis inde a temporibus coniunctam esse non cum precatione sola verum etiam cum Sacrarum Scripturarum lectione totiusque congregationis cantu. Hanc profecto ob causam diutissime iam factum est ut ad Missam adhiberetur excogitata ab Ecclesiae Patribus similitudo cum duabus mensis in quibus Ecclesia filiis suis apparat verbum Dei atque Eucharistiam, id est Panem Domini. Redeundum propterea ad primam partem est Sacri Mysterii, quae saepius his temporibus *liturgia verbi* appellatur, de eaque aliquandiu deliberandum.

Lectio locorum ex Sacris Litteris cuique diei assignatorum *decreta a Concilio est secundum normas ac necessitates novas.*[54] Ob eas igitur Concilii regulas novus constitutus est lectionum ipsarum collectus, in quibus usurpatum quadamtenus est principium continuationis textuum atque etiam propositum aditum aperiendi ad Libros sacros universos. Psalmi insuper cum responsoriis in liturgiam inducti familiariores astantibus reddunt ipsas pulcherrimas opes precationis ac poesis Veteris Testamenti. Quod autem hi textus leguntur iam et canuntur proprio sermone vernáculo, accidit proinde, ut omnes pleniore cum rerum intellegentia ritum valeant participare. Non tamen desunt qui, secundum veteris liturgiae Latinae rationem acriter instituti, defectum huius « unius sermonis » percipiunt, qui in universo orbe terrarum unitatem Ecclesiae significavit et indole sua dignitatis plena altum sensum Mysterii eucharistici excitavit. Itaque huiusmodi animi motus et desideria non solum benigne comiterque sed etiam admodum reverenter sunt accipienda atque, quantum fieri potest, est iis satisfaciendum, ut ceteroquin novis dispositionibus cavetur.[55] Ecclesia quidem Romana erga linguam Latinam, praestantissimum sermonem Urbis Romae antiquae, peculiari obligatione devincitur eamque commonstret oportet, quotiescumque offertur occasio.

Facultates, quas hac in re attulit renovatio post Concilium inducta, ita crebrius adhibentur ut *testes nos participes que fiamus germanae celebrationis verbi Bei.* Numerus etiam crescit eorum qui illis in celebrationibus partes agunt actuosas. Nascuntur manipuli lectorum et cantorum, quin saepius etiam « scholae cantorum », virorum aut mulierum, qui magno cum

[54] Cf. Const. *Sacrosanctum Concilium* de Sacra Liturgia, nn. 35, 1 et 51: *AAS* 56 (1964), pp. 109; 114.

[55] Cf. S. Rituum Congr., Instr. *In edicendis normis,* VI, 17-18; VII, 19-20: *AAS* 57 (1965), pp. 1012 s.; Instr. *Musicam Sacram,* IV, 48: *AAS* 59 (1967), p. 314; Decr. *De titulo Basilicae Minoris,* II, 8: *AAS* 60 (1968), p. 538; S. Congr. pro Cultu Divino, Notif. *De Missali Romano, Liturgia Horarum et Calendario,* I, 4: *AAS* 63 (1971), p. 714.

studio se huic devovent operis rationi. Verbum Dei, Sacra nempe Scriptura, apud multas christianorum communitates iam nova coepit vigescere vita. Ad liturgiam congregati fideles cantando praeparantur ad Evangelium audiendum, quod consentanea nuntiatur cum pietate curaque amanti.

His omnibus permagna cum aestimatione et grata mente cognitis ac perceptis, haud tamen oblivisci licet renovationem plenam alias semper necessitates inferre. Quae reapse consistunt *novo in sensu officii circa verbum Dei* variis linguis per liturgiam transmissum; id quod congruit certe cum natura universali ipsisque Evangelio propositis finibus. Idem vero illud officium tangit etiam exsecutionem singularum actionum liturgicarum lectionis vel cantus, ubi obtemperandum pariter est artis principiis. Ut autem actiones illae a quovis ficto arceantur artificio, demonstretur in eis necesse est talis facultas, simplicitas, simulque talis dignitas ut ex ipsa legendi vel canendi ratione eluceat indoles sacri textus propria.

Quocirca necessitates istae, quae ex renovato officii sensu effluunt circa verbum Dei in liturgia,[56] altius quidem descendunt immo *pervadunt ad interiorem affectionem,* qua ministri verbi munus suum inter liturgicam congregationem explent.[57] Tandem respicit illud officium *selectionem textuum.* Haec iam legitima Ecclesiae auctoritate facta est, quae etiam casus praecavit in quibus fas est aptiores deligi locos peculiari cuidam occasioni.[58] Meminerint autem semper omnes intra textus Missae Lectionum ingredi posse solum Dei verbum. Pro Sacrae enim Scripturae usu minime potest aliorum textuum recitatio

[56] Cf. PAULUS PP. VI, Const. Apost. *Missale Romanum:* «Hisce ita compositis, illud etiam vehementer fore confidimus, ut sacerdotes et fideles simul sanctius animum suum ad Cenam Domini praeparent, simul, sacras Scripturas altius meditati, verbis Domini uberius in dies alantur»: *AAS* 61 (1969), pp. 220 s.; *Missale Romanum, ed. mem.,* p. 15.

[57] Cf. Pontificale Romanum, *De Institutione Lectorum et Acolythorum,* n. 4, ed. typica 1972, pp. 19 s.

[58] Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani,* nn. 319-320: *Missale Romanum, ed. mem.,* p. 87.

substitui, quantumvis magna bona religiosa et moralia illi forsitan prae se ferant. Possunt contra tales lectiones utilissime in homiliis adhiberi. Nam homilia reapse perquam idonea est ad illorum textuum usum, dummodo necessariis doctrinae postulatis et condicionibus respondeant, quoniam ipsa homiliae natura eo spectat, ut, praeter alia, illuminet convenientiam inter divinam revelatamque sapientiam ac praestabilem, humanam cogitationem, quae variis viis quaerit veritatem.

MENSA PANIS DOMINI

11. Altera mysterii eucharistici mensa, videlicet mensa Panis Domini, et ipsa postulat congruentem considerationem, ratione habita liturgicae renovationis temporis nostri. Summi profecto ponderis haec quaestio est, cum de actu ibi peculiari agatur *fidei vivae,* quin immo — sicut a primis saeculis auctores testificantur[59] — actus quo significatur *cultus erga Christum, qui in eucharistica communione se ipsum cuique nostrum tradit,* animis nostris et conscientiae nostrae, labiis nostris et oribus cibi forma. Quam ob rem potissimum hac ipsa in quaestione poscitur ea vigilantia, de qua loquitur Evangelium, tam a Pastoribus, in quos recidit officium curandi eucharistici cultus, quam a Populo Dei, cuius « sensus fidei » [60] hic penitus percipiatur oportet sitque valde acutus.

Diligentiae itaque uniuscuiusque vestrum, Venerabiles ac Dilecti in episcopatu Fratres, commendare hanc quaestionem pervelimus. Vos enim in primis oportet eam collocare intra communem vestram sollicitudinem omnium Ecclesiarum vobis creditarum. Id quod a vobis petimus pro unitate illa quam ve-

[59] Cf. Fr. J. DÖLGEB, *Das Segnen der Sinne mit der Eucharistie. Eine altchristliche Kommunionsitte: Antike und Christentum,* t. 3 (1932), pp. 231-244; *Das Kultvergehen der Donatistin Lucilla von Karthago. Reliquienkuss vor. dem Kuss der Eucharistie, ibid.,* pp. 245-252.

[60] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, nn. 12; 35: *AAS* 57 (1965), pp. 16; 40.

luti hereditatem ab Apostolis recepimus : pro unitate collegiali nostra. Haec quidem unitas certo quodam sensu enata est circum mensam Panis Domini in novissima Cena. Sustentati vos et adiuti a vestris in sacerdotio Fratribus, praestate quantum omnino valetis, ut *in tuto semper locetur dignitas sacra ministerii eucharistici aliusque ille spiritus eucharisticae communionis,* quod non tantum est peculiare bonum Ecclesiae uti Populi Dei sed etiam particularis simul hereditas nobis relicta ab Apostolis, a variis liturgicis traditionibus et a tot generationibus fidelium, qui saepe fuerunt testes Christi heroici, in « Schola Crucis » (Redemptionis) et Eucharistiae educati.

Recordari igitur decet Eucharistiam ut mensam Panis Domini perpetuam esse invitationem, quem ad modum colligitur *ex liturgica celebrantis monitione cum eloquitur: « Ecce Agnus D eil Beati qui ad cenam Agni vocati sunt* »,[61] necnon ex nota Evangelii parabola de invitatis ad nuptiarum convivium.[62] Meminimus autem multos in illa narratione sese excusantes ob varias causas recusavisse ne venirent.

Etiam sunt in nostris catholicorum communitatibus qui sacram communionem *participare possunt at non participant,* licet in conscientia sua nullo impediantur gravi peccato. Hic se gerendi modus, qui in non nullis e nimia manat severitate, nostro quidem saeculo mutatus est, si verum dicere volumus, quamvis passim etiamnunc deprehendatur. Revera, potius quam ex indignitatis sensu, iam affectio illa oritur e deficiente aliquomodo dispositione interiore, vel si ita dicere aequum est, deficiente « fame » et « siti » eucharistica, sub qua latet similiter parum sufficiens aestimatio atque intellegentia ipsius naturae huius excellentis Sacramenti amoris.

Hisce tamen proximis annis conspicamur etiam aliud quiddam. Interdum scilicet, immo compluribus in casibus, cuncti eucharisticae celebrationis participes ad commu-

[61] *Io.* 1, 29; *Ap.* 19, 9.
[62] Cf. *Lc.* 14, 16 ss.

nionem accedunt, tametsi nonnumquam — ut comprobant periti rerum pastores — habita non est debita cura, ut prius Paenitentiae Sacramentum reciperent propriam ad conscientiam mundandam. Ex se quidem id significare potest eos, qui ad Mensam Domini procedant, nihil sua in conscientia invenire neque quidquam secundum obiectivam Dei legem quod prohibeat praecelsum illum laetumque actum ipsorum coniunctionis sacramentalis cum Christo. At opinio saltem aliquando hic delitescere potest alia quaedam : qua quis nempe arbitrata* Missam esse *dumtaxat* convivium [63] quod participetur *Corpore Christi suscipiendo, ut potissimum fraterna ostentetur communio.* Quam ad rationem facile addi potest aliqua humana rerum consideratio vel simplex voluntas sese « conformandi» ad ceteros.

A nobis ergo ista quaestio efflagitat vigilantem animorum attentionem necnon theologicam ac pastoralem scrutationem, quae sensu officiorum nostrorum acerrimo ducatur. Sinere enim nobis haud licet ut in communitatum nostrarum vita illud pereat bonum quod subtilitas est christianae conscientiae impulsae sola observantia erga Christum qui, in Eucharistia receptus, debet in nostrum unoquoque reperire dignum habitaculum. Quae quidem quaestio proxime cohaeret non tantum cum Paenitentiae Sacramenti usu, sed cum recto etiam sensu propriorum officiorum circa depositum totius doctrinae moralis et circa accuratam differentiam inter bonum ac malum, quae deinceps singulis Eucharistiae participibus evadit regula recti de se ipsis iudicii intra propriae conscientiae penetralia. Notissima enim sunt Sancti Pauli dicta : « Probet autem se ipsum homo » ;[64] tale porro iudicium condicio pernecessaria est, ut ipse quis statuat ad sacramne accedat communionem eucharisticam an ab ea abstineat.

[63] Cf. *Institutio Generalis Missalis Romani,* nn. 7-8: *Missale Romanum, ed. mem.*. p. 29.

[64] *1 Cor.* 11, 28.

Eucharistiae autem celebratio affert nobis alia multa postulata, quantum ad Mensae eucharisticae attinet ministrum; quae modo afficiunt sacerdotes solos et diaconos modo universos liturgiam eucharisticam participantes. Sacerdotibus diaconisque est reminiscendum mensae Panis Domini ministerium iniungere ipsis peculiaria officia quae in primis spectent eundem ad Christum *in Eucharistia praesentem* proindeque omnes Eucharistiae participes, qui sunt vere vel esse possunt. Ad primum quod attinet, recordari expedit de verbis libri Pontificalis quae die ordinationis Episcopus ad novensilem facit sacerdotem, dum in patena caliceque ei committit panem ac vinum a fidelibus oblata et a diaconis praeparata: « Accipe oblationem plebis sanctae Deo offerendam. Agnosce quod ages, imitare quod tractabis et vitam tuam mysterio dominicae crucis conforma »,[65] Quae postrema admonitio ab Episcopo ipsi proposita persistere debet velut una normarum carissimarum ministerii eius eucharistici.

Secundum illam normam moderari se sacerdotem oportet Panem ac Vinum tractantem, quae Corpus et Sanguis facta sint Redemptoris. Par inde est nos omnes, qui Eucharistiae simus ministri, perscrutari attento animo actus nostros in altari praesertimque modum quo tractemus Cibum illum ac Potum, qui Corpus sunt et Sanguis Dei et Domini Nostri manibus in nostris; quomodo dein sanctam communionem distribuamus et quomodo purificationem perficiamus.

Qui gestus cuncti suam prae se ferunt significationem. Vitanda nimirum est omnis hic scrupulosa religio; verum prohibeat a nobis Deus mores reverentia vacuos, inopportunam festinationem et impatientiam scandalum inferentem. Summus enim in eo consistit honor noster quod — praeter officia nostra circa munus evangelizationis — exercemus talem potestatem arcanam in Redemptoris Corpus; proinde omnia in

[65] Pontificale Romanum, *De Ordinatione Diaconi, Presbyteri et Episcopi,* ed. typica, 1968, p. 93.

nobis ad id penitus dirigantur oportet. Meminisse insuper debemus nos semper ad hanc ministerialem potestatem esse sacramento consecratos atque ex hominibus assumptus « pro hominibus ».[66] Quae singula constituamus ante oculos necesse est nobis praesertim Ecclesiae Eomanae Latinae sacerdotibus, quorum ordinationis ritus progredientibus saeculis addidit consuetudinem sacerdotis manus ungendi.

Quibusdam in regionibus *usus increbuit manu suscipiendae communionis.* A Conferentiis Episcopalibus singillatim hoc expetitum est a Sedeque Apostolica concessum. Nihilominus voces permanant de dolendo defectu, qui hic illic evenit, reverentiae Speciebus eucharisticis debitae, quae quidem offensiones non gravant ipsos solos his de gerendi se modis reos sed etiam Ecclesiae Pastores qui minus diligenter vigilaverunt de fidelium agendi ratione erga Eucharistiam. Accidit quoque ut interdum ratio non habeatur liberae optionis voluntatisque eorum qui, tametsi apud eos communionis distributio approbata est per manus, malunt tamen pergere eam ore recipere. In his igitur Litteris Nostris vix facere possumus quin mentionem pariter nioveamus tristibus de factis, de quibus modo mentionem iniecimus. Quod cum scribimus, nullo omnino modo cogitamus illos qui Dominum Iesum manu suscipientes permoventur affectu altae reverentiae ac pietatis, in regionibus, ubi eiusmodi usus est permissus.

Non autem neglegere licet primarium sacerdotum munus, qui sua in ordinatione idcirco consecrati sunt, ut Christi Sacerdotis gererent personam; quapropter eorum manus, haud secus ac vox et voluntas, factae sunt proximum Christi instrumentum. Sicut Eucharistiae igitur ministri, implent in Species sacras auctoritatis officium primarium, quoniam plenum est: panem namque et vinum offerunt et consecrant et deinde ipsis congregationis participibus, qui suscipere cu-

[66] *Hebr.* 5, 1.

piunt, sacras dividunt Species. Diaconis tantum permittitur ut fidelium dona ad altare perferant eaque a sacerdote consecrata distribuant. Quamquam non plane est priscus ritus, quam tamen eloquens hinc est in ordinatione nostra Latina unctio manuum, quasi poscatur hisce ipsis manibus peculiaris Sancti Spiritus gratia et vis!

Tangere sacras Species ác *partiti propriis manibus* est ordinatorum privilegium, quod indicat *actuosam participationem ministerii Eucharistiae.* Patet vero posse Ecclesiam tribuere talem potestatem hominibus qui nec sacerdotes sint nec diaconi, cuius generis sunt sive acolythi suum exsequentes ministerium, praesertim si ad futuram ordinationem destinantur, sive alii laici qui facultatem iusta de necessitate acceperunt, sed semper post consentaneam praeparationem.

ECCLESIAE BONUM COMMUNE

12. Ne paulisper quidem oblivisci possumus Eucharistiam esse peculiare bonum universae Ecclesiae. *Maximum immo donum est,* quod in gratiae Sacramentique ordine Sponsus Divinus suae tradidit traditque continenter Sponsae. Atque propterea omnino, quod de tali agitur tantoque dono, nos profunda moti fide facere debemus, ut vere christiana conscientia officiorum nostrorum ducamur. Etenim donum aliquod magis nos magisque obligat, quoniam compellat nos non tantum vi stricti cuiusdam iuris quantum potius propterea quod alicui nominatim committitur ideoque etiam sine vinculis iuridicialibus postulat *fiduciam animumque gratum.* Eucharistia autem prorsus est huius generis donum, huius generis bonum. Fideles itaque quoad singulas partes oportet nos manere erga ea quae illa in se exprimit necnon ad ea quae a nobis exposcit : gratiarum scilicet actionem.

Bonum totius Ecclesiae commune est Eucharistia tamquam unitatis eius sacramentum. Quam ob rem tenetur arcto officio

Ecclesia omnia constituendi quae ipsius respiciunt celebrationem ac participationem. Gerere nos ergo debemus secundum principia a novissimo Concilio praestituta, quod nempe in Constitutione de Sacra Liturgia circumscripsit ac praefinivit auctoritates obligationesque tum Episcoporum in propriis dioecesibus tum Episcopalium Conferentiarum, quandoquidem hae et illi in unitate collegiali cum Apostolica Sede agunt.

Accedit quod normae variis a Romanae Curiae Dicasteriis emissae pariter sunt hic servandae : tum in re liturgica — nempe in regulis per liturgicos libros statutis de mysterio eucharistico necnon in eidem mysterio dicatis Instructionibus[67] — tum in iis quae pertinent ad « communicationem in sacris », <(Directorio de re oecumenica »[68] et « Instructione de peculiaribus casibus admittendi alios christianos ad communionem eucharisticam in Ecclesia catholica »[69] sancitis. Etsi praesenti in statu renovationis liturgicae relictus est locus liberae « creatrici» cuidam operae, debet tamen illa districte oboedire postulatis substantialis unitatis. Qua in pluralismi via, ut aiunt (qui ceterum iam exortus est ex variarum linguarum usu in liturgiam inducto), eatenus tantum progredi licet, quatenus necessariae proprietates celebrationis Eucharistiae non tollantur quatenusque obtemperetur legibus recentiore liturgica renovatione praestitutis.

Necessaria ergo ubique adhiberi debet diligentia, ut intra ipsum cultus eucharistici pluralismum, a Concilio Vaticano II propositum, ostendatur unitas, cuius signum Eucharistia est et causa.

[67] Cf. Sacra Congr. Rit., Instructio *Eucharisticum Mysterium: AAS* 59 (1967), pp. 539-573; Rituale Romanum, *De sacra communione et de cultu Mysterii eucharistici esetra Missam,* ed. typica 1973; Sacra Congr. pro Cultu Divino, *Litterae circulares ad Conferentiarum Episcopalium Praesides de precibus eucharisticis: AAS* 65 (1973), pp. 340-347.

[68] Cf. nn. 38-63: *AAS* 59 (1967), pp. 586-592.

[69] Cf. *AAS* 64 (1972), pp. 518-525. Cf. etiam «Communicatio» subsequenti anno evulgata, ut eadem Instructio recte applicaretur: *AAS* 65 (1973), pp. 616-619.

Officium istud, cui ob ipsam rerum necessitatem invigilare debet Apostolica Sedes, suscipiendum est non solum *Conferentiis Episcopalibus* singulis, verum etiam cuique sine exceptione ministro Eucharistiae. Reminisci praeterea quisque debet se vere respondere de communi universae Ecclesiae bono. *Sacerdos ut minister* et celebrans et praeses eucharisticae fidelium congregationis habeat oportet peculiarem *sensum communis boni Ecclesiae,* quod per ministerium suum repraesentat at cui ipse vicissim subesse debet secundum rectam fidei disciplinam. Se ipsum arbitrari non licet velut « possessorem » qui libere decernat de liturgico textu et ritu sacro quasi de suo peculiari bono, ut ritui illi tribuat suum ipsius arbitrariumque modum. Id quod subinde videri potest maiorem quidem habere effectum magisque satis facere subiectivae cuidam pietati, nihilo setius tamen obiective fallitur semper communio illa quam potissimum in Sacramento unitatis vere proprieque decet declarari.

Singuli sacerdotes, qui Sanctum offerunt Sacrificium, meminerint proinde non se *solos* huius Sacrificii tempore precari cum propria communitate, verum totam simul precari Ecclesiam, quae sic atque etiam per *usum liturgici textus approbati* aperiat hoc in Sacramento unitatem suam spiritalem. Si quis hanc rationem appellat « nimium uniformitatis studium », ostendit tantummodo se ignorare obiectivas postulationes germanae unitatis idque signum est nocentis individualismi, quem dicunt.

Quod autem minister sive celebrans ita subicitur ipsi « Mysterio », quod ab Ecclesia illi concreditum est in commodum totius Populi Dei, id elucere debet etiam in observatione liturgicarum normarum ad Sancti Sacrificii celebrationem attinentium. Hae regulae referuntur verbi causa ad habitum nominatimque ad sacras vestes, quas celebrans induit. Accidit, quemadmodum liquet, ut antehac fuerint etiamque nunc adiuncta sint, in quibus praescripta illa non urgeant. Intimis sensibus

commoti iam legimus in libris, quos sacerdotes conscripserunt quondam captivi in campis ad homines exterminandos institutis, narrationes de eucharisticis celebrationibus absque supra dictis normis, id est sine altari et sacris vestimentis. Si vero illis in condicionibus id documentum fuit animorum heroicorum magnamque aestimationem meretur, nihilominus tamen *communibus in adiunctis* intellegi potest neglegentia praeceptorum liturgicorum velut deminuta erga Eucharistiam reverentia, quam fortasse genuit singulare studium ipsius celebrantis vel mens non valens censuram facere opinionum vulgatarum vel etiam quidam *defectus spiritus fidei.*

Nos cunctos, qui ex Dei *gratia* ministri sumus Eucharistiae, obstringit peculiari modo officium curandi de ipsis sensibus seque gerendi rationibus fratrum nostrorum ac sororum sollertiae pastorali nostrae commissorum. Munus quidem nostrum est, in primis per vitae nostrae exempla, incitare quamlibet sanam significationem cultus erga Christum praesentem operantemque in hoc Sacramento amoris. Ipse prohibeat Deus, ne aliter agamus neve cultum illum labefaciamus, « desuescentes » signis variis formisque eucharistici cultus, quibus fortasse « tralaticia » at sana indicetur pietas, aut illum « fidei sensum », quem totus possidet Populus Dei, sicut monuit Concilium Vaticanum II.[70]

Extremam vero iam manum impposituri hisce considerationibus Nostris, velimus veniam petere — nomine quidem Nostro omniumque vestrum, Venerabiles ac Dilecti in episcopatu Fratres, — universarum illarum rerum quae, ob quasvis causas quamlibetque ob humanam debilitatem, impatientiam, neglegentiam vel etiam propter exsecutionem interdum imperfectam, singularem, falsam praescriptorum Concilii Vaticani II, ingerere potuerunt scandalum vel difficultatem circa doctrinae interpretationem et venerationem huic excelso Sacramento

[70] Cf. Conc. Oecum. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, n. 12: *AAS* 57 (1965), pp. 16 s.

debitam. Dominum exinde Iesum precamur, ut deinceps pariter nostra in ratione huius mysterii sacri tractandi vitetur id omne quod quocumque modo diluere possit vel confundere reverentiae sensum et amoris inter nostros fideles.

Utinam Christus nos ipse adiuvet, ut per vias renovationis verae procedamus ad illam plenitudinem vitae cultusque eucharistici, unde aedificatur Ecclesia ipsa ea in unitate, quam possidet iam et cupit magis etiam perfici in Dei viventis gloriam hominumque cunctorum salutem.

13. Sinite demum Nos, Venerabiles ac Dilecti Fratres, has iam finire meditationes Nostras, ad nonnullarum dumtaxat quaestionum tractationem pleniorem destinatas. Cum easdem cogitationes Nostras enuclearemus, ante oculos nobis obversabatur opus totum a Concilio Vaticano II peractum, atque mentem acriter intendimus in Pauli VI Encyclicas Litteras « Mysterium Fidei », tempore Concilii foras datas, necnon in omnia documenta idem post Concilium edita, quibus liturgica renovatio post Concilium ad effectum adduceretur. Viget enim arctissima et congruens necessitudinis coniunctio *inter liturgiae renovationem ac restaurationem totius vitae Ecclesiae.*

Ecclesia non solum agit sed et ipsa se exprimit in liturgia, ex liturgia vivit deque liturgia consentaneas vitae suae vires haurit. Idcirco liturgica renovatio, recto modo secundum Concilii Vaticani II mentem peracta, certo quodam sensu mensura est et condicio qua eiusdem universalis Synodi doctrina ad usum adducatur, quam quidem amplecti volumus profunda cum fide, habentes scilicet nobis persuasum per ipsum Concilium Spiritum Sanctum « dixisse Ecclesiae » veritates dedisseque consilia quae muneri eius perficiendo utilia essent coram hominibus huius nostri posteriorisque temporis.

*Aequabiliter nos in posterum etiam singularem adhibebimus curam, ut sequamur ac proveiiamus Ecclesiae renovationem secundum Concilii Vaticani **II** doctrinam, spiritu vivae*

semper Traditionis ducti. Re quidem vera pertinet ad Traditionis recto modo intellectae naturam recta quoque interpretatio rursus instituta « signorum temporum », secundum quae necesse est extrahantur copioso de Evangelii thesauro « nova et vetera ».[71] Hoc videlicet animo secundum evangelicam monitionem operans, Concilium Vaticanum II provide est annisum, ut vultus Ecclesiae in liturgia sacra restitueretur, cum saepius se ipsum revocaret ad id quod est « antiquum », ad id quod ex Patrum hereditate prodit exprimitque fidem ac doctrinam Ecclesiae tot iam saecula adunatae.

Ut autem illa Concilii praescripta in liturgiae provincia futuris quoque temporibus pergere valeant rite impleri, at potissimum in regione eucharistici cultus, *pernecessaria est sedula adiutrix opera* mutua inter Apostolicae Sedis Dicasterium, ad quod res pertinet, singulasque Episcopales Conferentias, adiutrix — inquimus — mutua opera, *vigil simul et creatrix,* oculis nempe intentis nunc ad sanctissimi Mysterii magnitudinem nunc ad progredientes motus spiritales socialesque mutationes tanti momenti pro nostra aetate, quoniam non solum difficultates quandoque inferunt, verum etiam homines ad novam rationem communicandi augusti huius Mysterii Fidei praeparant.

Ante omnia vero asseverare Nostra interest quaestiones liturgiae ac nominatim liturgiae eucharisticae nullo modo esse posse occasiones *dividendi catholicos et subruendi Ecclesiae unitatem.* Istud efflagitato iam simplici ex intellectu Sacramenti huius, quod Christus nobis ut spiritalis coniunctionis fontem reliquit. At quo pacto Eucharistia ipsa, quae in Ecclesia est « sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis »,[72] his diebus inter nos erigere possit murum divisionis materiamque praebere dissensionis cogitationum et agendi rationum, cum

[71] ***Mt.*** **13, 52.**

[72] **Cf. S. AUGUSTINUS, *In Evangelium Ioannis tract.,* 26. 13: *PL* 35, 1612 s.**

esse debeat centrum primarium et constitutivum unitatis ipsius Ecclesiae, quem ad modum ex suapte est natura?

Universi nos pariter debitores sumus erga Eedemptorem nostrum. Universi nos simul audiamus oportet illum veritatis amorisque Spiritum, quem is pollicitus Ecclesiae est quique in ea operatur. Pro hac igitur veritate et amore, nomine insuper ipsius Christi Crucifixi eiusque Matris, obsecramus vos et obtestamur, ut omnem deserentes contentionem ac partitionem consocientur nos universi ad hoc excelsum salutiferum munus, quod pretium est unaque fructus redemptionis nostrae. Quantum in ipsa profecto situm est, Apostolica Sedes annitetur, ut similiter in posterum instrumenta conquirat, quibus unitas illa asservetur de qua loquimur. Unusquisque vero diligenter sua caveat agendi ratione « contristare Spiritum Sanctum ».[73]

Haec ut tandem unitas et continua ordinataque cooperatio, quae ad illam perducit, valeant perseveranter proferri, flexis genibus imploramus singulis nobis lumen Spiritus Sancti per Mariae Sponsae eius sanctae Matrisque Ecclesiae deprecationem. Et dum omnibus benedicimus imo ex pectore, rursus convertimur ad vos, Venerabiles ac Dilecti Nobis Fratres in episcopatu, fraterna cum salutatione ac plena fiducia. Coniuncti nos hac collegiali unitate, cuius sumus participes, omnia suscipiamus, quo magis magisque Eucharistia fiat vitae et lucis fons conscientiis fratrum nostrorum ac sororum apud communitates singulas intra unitatem universalem Christi Ecclesiae in terris.

Caritate demum fraterna Nos impulsos vobis cunctisque in sacerdotio fratribus Benedictionem iuvat Apostolicam impertire.

Ex Aedibus Vaticanis, die xxiv mensis Februarii, Dominica I in Quadragesima, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PAULUS PP. II

[73] *Eph.* 4, 30.

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

Quibusdam locis ab Ecclesia Crucis Axeatae distractis nova conditur Praelatura nomine Funesiopolitana.

I O A II E S P A U L U S E P I S C O P U S
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Episcopus Crucis Axeatae persuasum sibi haberet tot Christifidelibus intra fines tam extensae dioecesis degentibus provideri satis apteque non posse, ipse nuper non dubitavit quin, ipsa Reipublicae Argentinae Conferentia Episcopali consulta, ab Apostolica hac Sede peteret ut quibusdam suae Ecclesiae detractis locis nova illic conderetur Praelatura. Nos igitur, pro certo scientes idem consilium etiam probari a Venerabili Fratre Pio Laghi, Archiepiscopo titulo Maurianensi atque in Republica Argentina Nuntio Apostolico, certiores autem facti de eorum consensu quorum interest necnon illorum qui id sua interesse contendunt, at praesertim mentem Nostram intendentes in Christianam fidelium omnium progressionem, vi et potestate Nostra Apostolica has per Litteras ea quae sequuntur decernimus atque iubemus. A dioecesi Crucis Axeatae seiungimus eadem loca quibus constant et circumscribuntur civiles regiones seu « departamentos » vulgo Ischilin, Tulumba, Rio Seco et Sobremonte, iisdemque simul sumptis validaque lege civili ita definitis novam constituimus et erigimus Praelaturam Funesiopolitanam appellandam ipsique suffraganeam Ecclesiae Cordubensi in Argentina, cuius proinde Archiepiscopi metropolitico iuri pro tempore subiicimus Funesiopolitanum ipsum Praelatum. Sedem novae Cathedrae Episcopi Praelati in urbe cui nomen Deán Funes constituimus templumque paroeciale ibi exstans Deo in honorem B. M. V. sub titulo ((Nuestra Señora del Carmen » dicatum Nos dignitate exornamus, quam templa Praelaturarum propria praeseferunt, eiusmodi videlicet iuribus et privilegiis ei datis; Funesiopolitano vero pro tempore Praesuli Ordinario loci tum honores et iura tribuimus tum officia et onera imponimus, quibus et augentur et ligantur ceteri Praelati. Statuimus ut eiusdem Praelaturae mensa constet tum Curiae emolumentis tum fidelium stipibus tum etiam portione ei obventura e bonorum Crucis Axeatae divi-

sione iuxta can. 1500 O. I. G. sedulo facienda. Circa Seminarium novae Ecclesiae et ea quae ad sacerdotalem autochthonum tironum educationem et institutionem attinent tum sacri canones serventur tum normae Decreti Concilii Vaticani II «Optatam totius» tum etiam peculiares regulae Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica editae. Selecti autem sacrorum alumni disciplinis philosophicis et theologicis instruendi ad Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum mittantur in Urbe situm. De regimine Praelaturae hodie conditae, de administratione, de eligendo Vicario Capitulari sede vacante, deque aliis id genus, ea omnino serventur quae iure canonico statuta sunt. Decernimus praeterea ut ibi, constitutione novae Praelaturae ad effectum deducta, presbyteri censeantur ei adscripti Ecclesiae, in qua ecclesiasticum officium vel beneficium habent; ceteri vero clerici necnon Seminarii alumni ei addicantur dioecesi, intra cuius fines legitimum habent domicilium. Denique praecipimus ut actorum documenta, quae aut ad novam Praelaturam eiusve clerum aut ad fideles aut ad bona temporalia pertinent, a Curia Crucis Axeatae ad Curiam Funesiopolitanae Praelaturae transmittantur. Quae omnia per has Litteras statuimus, ea exsequatur Venerabilis Frater Pius Laghi, quem diximus, a Nobis quidem deputatus et debitis facultatibus instructus, cum facultate talis officii subdelegandi presbytero opportune seligendo. Omnibus peractis exaratisque actorum documentis, certa singulorum exempla, usitato more etiam signata sigilloque impressa, ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittantur. Has Apostolicas Litteras et nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxv mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **SEBASTIANUS** Card. **RAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Godefridus Mariani, *Proton. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ **Plumbi**

In Secret. Status tab., n. 35619.

II

In Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis nova dioecesis conditur Lacus Carolini nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui ad beatissimi Petri similitudinem (cfr. *Io.* 21, 15-17) universae Ecclesiae regimini atque gubernationi praepositi sumus, nulli sane aut diligentiae, aut labori, aut sollicitudini parcimus, ut singulis orbis christiani Sedibus apte provideamus; quarum profecto si res ac fines aptiore distributione descripserimus, id sane magnopere eisdem prodesse confidimus. Qua re, cum Venerabilis Frater Gerardus L. Frey, Episcopus Lafayettensis, audita Conferentia episcopali Civitatum Foederatarum Americae Septemtrionalis, iam ab hac Apostolica Sede enixe postulaverit ut, divisa sua circumscriptione nova dioecesis excitaretur, Nos, consilio petito a Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacrae Congregationi pro Episcopis praepositis, haec quae sequuntur decernimus. A dioecesi Lafayettensi territorium separamus sequentium Comitatuum, quos dicunt : Allen, Beauregard, Calcasieu, Cameron, et Jefferson Davis, quibus novam dioecesim condimus, Lacus Carolini appellandam; cuius Sedem in urbe vulgo Lake Charles cognominata collocari volumus, Episcopi Cathedra in templo Immaculatae Conceptionis posita, in eadem civitate, quod cathedrale habebitur, cum iustis iuribus atque honoribus. Mensam episcopalem constituent sive Curiae emolumenta, sive populi collationes, sive pars bonorum, si qua sunt, quae novae Sedi obvenient iuxta canonem 1500 C.I.C. Canonicorum Collegium in Ecclesia Lacus Carolini constituatur, ad ecclesiasticas normas ; quod tamen dum fiat, Consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo consilio atque opere assistant. Ad Seminarium atque clericorum formationem quod attinet, serventur praescripta iuris communis, ratione habita Decreti Concilii Vaticani II «Optatam totius», atque regularum a Sacra Congregatione latarum pro Institutione Catholica. Condita vero dioecesi Lacus Carolini, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi addicantur, in cuius territorio beneficium seu officium habeant; ceteri vero clerici atque Seminarii tirones ei, in qua legitimo domicilio degant. Documenta et acta praeterea, quae Ecclesiam modo constitutam respiciant, ad eius Curiam cito mittentur, in tabulario

rerum religiosarum accurate servanda. Ultimum, dioecesis Lacus Carolini Sedi metropolitanae Novae Aureliae tamquam suffraganea subiciatur, ad normam Iuris Canonici. Ceterum, haec omnia Venerabilis Frater Ioannes Jadot, Archiepiscopus titulo Zuritanus idemque in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis Delegatus, ad exitum deducet, cuius consilio usi sumus. Be vero acta documenta ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittet, recte subscripta atque sigillo impressa. Poterit autem, si visum et alium legare, modo sacerdotem. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

œ **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Godefridus Mariani, *Proton. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco SB Plumbi

In Secret. Status tab., n. 85619.

III

Quibusdam locis ab Ecclesia Portalegrensi in Brasilia distractis nova conditur dioecesis nomine Novohamburgensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum sacer Praesul Ecclesiae Portalegrensis in Brasilia, incensus quidem desiderio tot Christifidelibus recte prospereque providendi intra fines tam amplae archidioecesis degentibus, rationem perficiendi consilii quaereret, studiosus nuper ipse non dubitavit quin, Conferentia Episcopali Brasiliensi consulta, huic proponeret Apostolicae Sedi ut, quibusdam suae Ecclesiae detractis locis, nova iis conderetur dioecesis. Nos igitur, pro certo scientes idem consilium etiam probari a Venerabili Fratre Carmelo Rocco, Archiepiscopo titulo Iustinianopolitano in Galatia atque Apostolico Nuntio in Brasilia, certiores autem facti de eorum consensu quorum interest necnon illorum qui id sua interesse

contendunt, at praesertim mentem Nostram intendentes in Christianam ubique fidelium progressionem, de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Sacrae Congregationis pro Episcopis praepositorum deque plenitudine potestatis Nostrae Apostolicae hisce Litteris ea decernimus atque iubemus, quae sequuntur. Ab archidioecesi Portalegrensi in Brasilia ea seiungimus loca eademque integra, quibus constant et circumscribuntur civiles regiones seu municipia vulgo Canela, Campo Bom, Dois Irmâos, Estancia Velha, Gramado, Igrejinha, Ivoti, Nova Petrópolis, Novo Hamburgo, Rolante, Sâo Leopoldo, Sapiranga, Taquara, Tres Coroas et illud quo quarta continetur regio municipii vulgo Santo Antonio appellati, iisdemque simul sumptis validaque lege civili ita definitis novam constituimus et condimus dioecesim Novohamburgensem nuncupandam ipsique suffraganeam Ecclesiae Portalegrensi in Brasilia, cuius proinde Archiepiscopi metropolitico iuri subicimus Novohamburgensem pro tempore Episcopum. Novae cathedrae episcopalis sedem constituimus in urbe Novo Hamburgo templumque ibi exstans Deo in honorem Sancti Aloisii Gonzaga dicatum Nos dignitate exornamus, quam cetera cathedralia templa praeseferunt, eiusdem videlicet iuribus et privilegiis ei datis ; Novohamburgensi autem pro tempore Ordinario loci tum honores et iura tribuimus tum officia et onera imponimus, quibus et augentur et ligantur ceteri Episcopi eodem munere fungentes. Decernimus ut, donec Capitulum Cathedrale ibi per alias sub plumbo Litteras rite constituatur, eius loco interea dioecesanus Consultorum coetus deligatur. Statuimus ut novae dioecesis mensa constet tum Curiae emolumentis tum fidelium stipibus tum etiam iusta bonorum portione, quae ei obveniat necesse est ex divisione iuxta can. 1500 C.I.C. sedulo facienda. Circa dioecesani Seminarii erectionem eaque omnia, quae ad sacerdotalem tironum educationem et institutionem attinent, tum sacri canones serventur tum normae Decreti Concilii Vaticani II «Optatam totius» tum etiam peculiares regulae Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica editae. Selecti autem sacrorum alumni disciplinis philosophicis et theologicis instruendi ad Pontificium Collegium Pium Brasiliense mittantur in Urbe situm, itemque ii presbyteri, qui ad sua studia explenda acciti fuerint. De regimine Ecclesiae hodie conditae, de administratione, de eligendo Vicario Capitulari sede vacante, deque aliis id genus, ea serventur, quae iure canonico statuta sunt. Decernimus praeterea ut ibi, institutione novae dioecesis ad effectum deducta, presbyteri censeantur ei adscripti Ecclesiae, intra cuius fines officium vel beneficium ha-

bent ; ceteri vero clerici necnon Seminarii alumni ei addicantur dioecesi, intra cuius fines legitimum habent domicilium. Denique praecipimus ut actorum documenta, quae aut ad novam dioecesim eiusve clerum aut ad fideles aut ad bona temporalia pertinent, a Curia Portalegrensi in Brasilia ad Curiam Novohamburgensem transmittantur, ut ibi in condendo tabulario diligenter custodiantur. Quae per has Litteras statuimus, ea exsequatur Venerabilis Frater Carmelus Rocco, quem diximus, a Nobis deputatus debitisque instructus facultatibus, haud excepta facultate eiusdem officii alicui presbytero subdelegandi. Omnibus peractis exaratisque actorum documentis, certa singulorum exempla usitato more signata sigilloque impressa ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittantur. Has Apostolicas Litteras et nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die secundo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAEOLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Godefridus Mariani, *Proton. Apost.*

Amatus Petrus Frutaz, *Proton. Apost.*

Loco $ß Plumbi

In Secret. Status tab., n. 88067.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Venerabili Servo Dei Iacobo Desiderato Laval honores Beatorum deferuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Miseratio illa qua Iesus affectus est cum turbas in deserto respexit gregi similes a nullo ducto pastore (cfr. *Marc.* 6, 34), cum ceteros Sanctos omnes usquequaque cepit, Christi sequaces, tum singulari ratione et modo servum Dei atque gratiae filium Iacobum Desideratum Laval ; quem semper quidem misericordia inclinavit in pauperes, quos mala premerent, maxime tamen in Nigritas Mauritianam Insulam incolentes, in Oceano Indiano, vix eo ipso

tempore civilem libertatem adeptos. Bene enim intellegebat fidelis Dei famulus nihil omnino iis prodesse, quod fuissent illi in libertatem vindicat^ nisi simul ad recta ac sancta religionis principia informaren tur, per quae una absolutam perfectamque libertatem tenerent. Iacobus Desideratus Laval, Sodalis Congregationis S. Spiritus sub tutela Immaculati Cordis B. M. V., natus est in Gallia, in oppido Groth, quod est in finibus dioecesis Ebroicensis, die duo de vicesimo mensis Septembris, anno **MDCCCIII**. Domi, praesertim a matre, observantiam et amorem erga pauperes ac miseros penitus didicit. Peractis vero studiis, patruo sacerdote solvente pecuniam, consilium cepit exercendae medicinae, qua egentibus se devovere posset. Lauream consecutus, in sua natali provincia quinque circiter annos eandem artem factitavit. At paulatim se a Deo vocari et allici ad sacerdotium intellexit. Qua re, anno aetatis suae tricesimo secundo, Seminarium S. Sulpitii Parisiense ingressus est; et, sacerdotio initiatus, parvae paroeciae vulgo Pinterville curio praefectus est. Statim autem intellexit suum esse pro paroecianis precari ac paenitentiam agere, iisque caritatem suam testificari. Vix tamen biennio exacto sensit se ad Evangelium in longinquis orbis terrarum plagis disseminandum inclinare. Cum autem studia obiret theologica, quosdam cognovit sacrorum alumnos, qui parabantur ad sese vitamque suam aliquando spirituali curae servorum Nigri tarum in S. Dominici et Reunionis insulis dandam. Inter illas pias animas Venerabilis Franciscus Maria Paulus Libermann fuit, qui ab ipso sacro Consilio Propagandae Fidei incitatus est, ad Institutum aliquod condendum. Ad servum autem Dei Iacobum Laval quod attinet, aliquis Moderatorum Seminarii Sulpitiani eum ad spiritualia exercitia agenda invitavit. Post quae ille, potestate sibi ab Episcopo facta omnique supellectile distributa pauperibus, se novo apostolatus generi commisit, atque ad Insulam Mauritianam perrexit, quo, die quarto decimo mensis Septembris, anno **MDCCCXLI**, in festo videlicet Exaltationis S. Crucis, pervenit. Nec tempori deinceps nec labori per viginti tres annos pepercit; neque difficultates ullae impedierunt, quin omnibus nuntium liberationis a vitio et a peccato afferret. Nimirum eius indefessa fides, spes non confusa, et caritas ad omnia parata pariterque ad omnes intenta, multas conversiones a Deo impetrarunt Nigritarum, quorum aegrotos invisebat lenibatque, studio et amore carcere quoque detentos amplectens. Ad hoc, exitiosa saeviente pestilentia, quae saepius insulam vastavit, omnes suas vires opesque in filiorum auxilium et salutem contulit. Tum autem apostolici labores, tum etiam vo-

luntaria vitae asperitas valetudinem venerabilis Servi Dei admodum debilitarunt. Qui, anno MDCCCLVI, apoplexia correptus in sacro Paenitentiae tribunali, procubuit. Attamen, usque ad mortem, quamvis apostolicae contentioni modum imposuisset, assiduus fuit in confessionibus audiendis, in omnibusque coram admittendis. Scilicet quidquid temporis supererai, orationi divinisque meditandis mysteriis impendebat. Tandem, ab omnibus observatus et cultus, a Nigritis amatus pater - que habitus, quos ipse filios appellabat, Sodales fiducia magna cohortatus, in pace Domini die nono mensis Septembris, anno MDCCCLXIV, in festo S. Petri Olaver sanctissime obiit. Venerabilis autem Servi Dei fama, ut magna fuerat in vita, ita post eius mortem crevit. Quare, de eius beatificatione procuranda iam cogitatum; ac inquisitiones canonicae coeptae sunt, tum in dioecesi Portus Ludovici, tum in Ebroicensi. Quibus ad exitum deductis, atque a Sacra Rituum Congregatione rite expensis, Benedictus XV, P. M. Commissionem introducendae Causae die vicesimo sexto mensis Iunii, anno MDCCCXVIII, signavit. Et hi quidem processus apostolici acti sunt in dioecesibus Portus Ludovici, Ebroicensi, Parisiensi atque Burdigalensi. Post hos vero quaestio acta est de virtutibus in variis Sacrae Rituum Congregationis (quae postea pro Causis Sanctorum appellata est) coetibus, ab anno MDCCCCLVII ad MDCCCCLXXi : quas venerabilem Dei famulum heroum more exercuisse Paulus VI, P. M. Decessor Noster, constare dixit, publico die vicesimo secundo Iunii, anno MDCCCCLXII, facto Decreto. Disceptatum deinde, apud eadem Sacram Congregationem, ad iuridicam consuetudinem ac normam, de miraculis, quae Iacobo Laval intercedente a Deo acta dicebantur. Inter vero sanationes miro modo factas, ii qui Causam agebant, illam selegerunt, qua Iosephus Edgardus Beaubois, Mauricianus, in vestigio temporis sanatus est ab eczemate acuto, dum ad Iacobi sepulchrum Deo supplicabat. Sanationem vero illam a Deo per miraculum factam esse iudicatum est; idque, post probationem Summi Pontificis Pauli VI, per Decretum publici iuris factum est, die septimo mensis Iunii, anno MDCCCCLXXVII. Idem vero Pontifex a lege de altero miraculo adducendo, discutiendo, probando exemit. His actis, dies hic undetricesimus mensis Aprilis, anno MDCCCCLXXIX, constitutus est ad sollemnem beatificationem tum Iacobi Desiderati Laval, tum Francisci Coli. In quo sane, inter Missam, formulam translaticiam sollemniter recitavimus, quae est : «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ioannis Margéot, Episcopi Portus Ludovici, et Raimundi Masnou Boixeda, episcopi Vicensis, necnon plurium aliorum Fratrum in Episcopatu, multorumque Christifidelium explentes,

de Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum consulto, auctoritate Nostra apostolica facultatem facimus, ut Venerabiles Servi Dei Iacobus Desideratus Laval et Franciscus Coli Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum die ipsorum natali : Beati Iacobi Desiderati Laval die nona Septembris, Beati Francisci Coli die secundo Aprilis, in locis et modis iure statutis, quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Santi ». Resp. Amen. Post haec homiliam habuimus de utriusque virtutibus. Quae vero statuimus rata haberi ab omnibus volumus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die xxvini, mensis Aprilis anno **MDCCCCLXXIX**, Pontificatus Nostri primo.

De speciali mandato Sanctissimi hae Litterae Apostolicae signatae et expeditae sunt d. 25 m. Martii a. 1980.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £ß Sigilli

In Secret. Status tab., n. 82681.

II

Sancta Teresia a Iesu Jornet Ibars caelestis Patrona senum Argentinae eligitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Viget memoria Sanctae Teresiae a Iesu Jornet Ibars, virginis, quae, amore in Deum ardens, caritate erga senes, praesertim derelictos, refulsit atque huiusmodi officium vere christianum Congregationi a se conditae voluit esse propositum. Quae cum a fidelibus in Argentina degentibus admodum colatur, decet eam novo honore ibi publice exornari. Quare excipiendas esse putavimus preces Venerabilis Fratris Nostri Radulfi S. R. E. Cardinalis Primatesta, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina, qui, cleri ac populi vota expromens, petivit, ut peractam rite a se electionem praeclarae eiusdem Caelitis qua senum in Civitate illa vitam agentium Patronae ratam haberemus. Quae cum ita sint, Nos e Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino consulto atque de Apostolica Nostra potestate Sanctam Teresiam a Iesu Jornet Ibars, virginem, caelestem apud Deum Patronam senum Argentinae confirmamus, cunctis adiectis

iuribus atque privilegiis liturgicis, servatis tamen iis, quae ad normam Instructionis eiusdem Congregationis «de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, sunt servanda. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Ceterum volumus, ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque nunc et in posterum habeant effectus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xxviii mensis Novembris, anno **MCMLXXIX**, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco ✠ Sigilli

In Secret. Status tab., n. 29776.

III

Templum S. Nicolai Barensis in urbe Tauromenio, in finibus Archidioecesis Messanensis, ad gradum Basilicae Minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Sanctos, id est amicissimos Dei caelorumque incolas, recte coli et invocari a populo christiano, Ecclesia sancta adprobat vehementer. Nam tum eorum illustria facta ad egregia stimulant, tum benigna intercessio tutissima fidelibus praesidia afferre consueverunt. Qua re, cum Venerabilis Frater Ignatius Cannavo, Archiepiscopus Messanensis, id ab hac Apostolica Sede, suo suorumque cleri atque fidelium nomine, petierit ut sacra aedes S. Nicolai episcopi, quae Tauromenii, in eius archidioecesi, exstat, titulo ac dignitate Basilicae Minoris ornaretur, Nos eius templi tum antiquitatis ratione habita, tum artis qua nitet, tum etiam pietatis ac religionis, quibus fides ibi alitur, aequo sane animo huius Venerabilis Fratris expostulationi concedimus. Quam ob rem, ea probantes, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis olim a Nobis potestatibus, hac in re statuerit, apostolica Nostra auctoritate princeps templum S. Nicolai episcopi, de quo supra facta est mentio, in numerum Basilicarum Minorum redigimus, factis iuribus ac privilegiis congruentibus, modo ea servata fuerint, quae Decretum « De Titulo Basilicae Minoris » poscit, die vi mensis Iunii factum, anno **MDCCCCLXVIII.**

Ceterum, quod egimus bonum, felix fortunatumque sit.

Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris, die vi mensis Februarii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £ß Sigilli
In Secret. Status tab., n. 85115.

IV

In urbe Góry Krzyzewskie, in finibus Poloniae, sinitur templum Deo dicari in honorem beatae Hedwigis Reginae.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Petiit a Nobis Venerabilis Frater Bogdanus Sikorski, Episcopus Plocensis, ut novum templum sibi liceret Deo dicare in honorem Beatae Hedvigis Reginae. Quod profecto pietati Nostrae fuit pergratum. Nam non solum nova aedes summo ac sempiterno Deo sacratur, qui fecit omnia, cuique ab omnibus tribui cultum oportet tamquam rerum principio ; sed etiam beatae Hedvigi honori cedit, quam christianus Poloniae populus et colit, et amat, et veneratur, historiae suae decus atque omnium virtutum exemplum egregium. Ceterum, inditum eius nomen tam familiare Nobis atque earum, quam ipsa Polona terra. Libenti igitur animo Venerabilis Fratris postulatis concedentes, ac populi religioni donantes, iis probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu divino, factis a Nobis olim facultatibus, hac de re statuerit, sinimus novum templum, in loco Góry Krzyzewskie surgens, in Polonia, posse ab eodem Venerabili Fratre Deo dicari in honorem beatae Hedvigis Reginae, servatis scilicet omnibus Apostolicae Sedis praescriptis cultum Beatorum respicientibus.

Contrariis nihil obstantibus.

Ceterum, vehementer confidimus fore ut sollemnia haec fidem in pectoribus confirment, caritatem alant ceu flammam, spem aeternarum promissionum, iuvante Deo, redintegrent.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die xu mensis Februarii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli
In Secret. Status tab., n. 85582.

HOMILIAE

I

Exeunte Synodo Particulari episcoporum Nederlandiae, in Xystino sacello habita: de Episcopis fidei doctoribus et Christifidelium pastoribus, nec non de authentico sacerdotio ministeriali Presbyterorum proprio.*

Vénérables et chers Frères,

1. En cet instant, nous nourrissons tous un même désir. Nous désirons remercier Dieu, Père, Fils et Saint-Esprit, pour ce ministère auquel nous avons participé au cours de plus de deux semaines. Ces journées, en effet, pendant lesquelles nous avons travaillé en commun dans le cadre du synode particulier des évêques des Pays-Bas, nous ne pouvons pas les regarder autrement qu'en nous laissant guider par la vérité de ces paroles du Concile Vatican II dans le premier chapitre de la constitution *Lumen Gentium:* «L'Eglise universelle se présente ainsi comme "un peuple rassemblé par l'unité du Père, du Fils et du Saint-Esprit" ».[1]

A partir de là notre gratitude s'adresse à cette Unité en trois Personnes dans laquelle l'unité de l'Eglise, du peuple de Dieu, trouve son origine. Nous désirons rendre grâce parce que nous avons pu confesser cette Unité, et en même temps la servir à chaque jour et à chaque heure de notre travail commun. Nous rendons grâce en même temps parce que, en recherchant notre unité réciproque, nous avons pu servir l'unité de l'Eglise — du peuple de Dieu — au plan de la province qui constitue l'Eglise dans votre patrie, et à un plan beaucoup plus large. Oui, vénérables et chers Frères, je suis profondément convaincu que notre travail a servi aussi à l'Eglise du Christ dans toute son universalité.

Pour ce travail que nous avons fait ensemble avec ténacité, je désire remercier très cordialement tous et chacun d'entre vous. En premier lieu, je veux dire aux deux Présidents délégués, Son Eminence le Cardinal "Johannes Willebrands et Son Excellence Monseigneur Godfried Danneels, combien j'ai apprécié à sa juste valeur la façon dont ils ont conduit les travaux de cette assemblée. Aux Evêques des Pays-

* Die 31 m. Ianuarii a. 1980.

[1] N. 4.

Bas, j'exprime ma profonde gratitude pour leur disponibilité généreuse et leur amour profond envers leurs fidèles et envers l'Eglise universelle, et aux deux Supérieurs religieux je veux dire combien je leur suis reconnaissant pour la contribution originale qu'ils ont apportée au synode. Je remercie de tout cœur les Eminentissimes Cardinaux préfets des Congrégations, mes proches collaborateurs, pour leur contribution à ces travaux, auxquels ils ont apporté l'expérience acquise dans leur charge. Au Secrétaire général, Son Excellence Monseigneur Jozef Tomko, à son Assistant, Son Excellence Monseigneur Albert Descamps, au Secrétaire spécial, le Révérend Père Joseph Lescrauwaet, je dis ma profonde gratitude pour les services compétents qu'ils ont apportés les uns et les autres. Je ne veux pas passer sous silence le dévouement du personnel du secrétariat du synode, du service de presse, ainsi que de tout le personnel adjoint. Qu'il me soit permis aussi d'adresser une parole de remerciement à tous les représentants des moyens de communication sociale qui, tout en respectant la réserve qui a nécessairement dû entourer les délibérations, se sont dévoués pour maintenir le contact avec l'ensemble de l'Eglise.

Pendant toutes ces journées, j'ai pu être avec vous et participer à la plupart des assemblées du matin et du soir. J'ai pu être le témoin de la probité, de l'attention et de l'objectivité avec lesquelles vous avez traité chaque problème. Une telle attention et un tel soin n'ont fait que manifester combien vous avez à cœur les problèmes que nous avons abordés ensemble et combien vous désirez consacrer à leur solution toutes vos forces. J'en remercie le Christ, et vous aussi vénérables et chers Frères. Cette ambiance, tranquille, concrète et sincère, d'échange d'idées sur chacun des thèmes étudiés, a montré que l'Esprit de notre Seigneur et Maître était avec nous, et que nous avons reçu aussi l'aide de sa Sainte Mère, à laquelle nous adressions chaque jour notre prière, particulièrement dans la récitation de l'Angélus.

2. Le problème étudié par le synode et qui a occupé complètement les semaines de ces discussions à Rome, est exprimé dans le titre de son ordre du jour : « L'exercice du travail pastoral de l'Eglise aux Pays-Bas dans les circonstances actuelles, afin que l'Eglise se manifeste toujours davantage comme communion».

Pour affronter ce thème important, nous avons dû ramener sans cesse les multiples expériences faites par l'Eglise qui est aux Pays-Bas sur le terrain de la réponse donnée il y a quelques années par l'épis-

copat du monde entier, réuni pendant quatre ans au Concile Vatican II, à la question qu'il se posait à lui-même : « Ecclesia quid dicis de teipsa?)). Cette réponse, exprimée d'une manière élaborée par le Magistère conciliaire, est devenue actuellement pour vous, vénérables et chers Frères, le point de référence systématique, et en même temps le fondement permettant de résoudre chacun des problèmes qui se posent chaque jour à votre expérience de pasteurs et à votre conscience d'évêques.

Au cours de nos discussions et de nos réflexions, une chose a toujours été claire : nous ne pouvons désirer — et nous ne désirons en réalité de tout notre cœur — qu'une Eglise qui corresponde totalement aux intentions du Christ Seigneur, telles qu'elles ont été exprimées et confirmées par le Concile. Nous croyons en effet que le Concile Vatican II est devenu pour notre époque le thème et le lieu privilégiés grâce auxquels l'Esprit Saint, l'Esprit de Jésus-Christ, «a parlé» à toute l'Eglise[2] et l'a guidée vers la vérité tout entière,[3] et donc aussi vers cette vérité de l'existence «dans le monde contemporain», de l'existence telle qu'elle nous apparaît à travers les « signes des temps ». En parlant à l'Eglise tout entière, l'Esprit de notre Seigneur et Rédempteur «a parlé» en même temps à *chacune des Eglises* qui demeurent dans la communion de cette Eglise une et universelle. C'est pourquoi, la préoccupation fondamentale de nous tous qui étions réunis en ce synode fut aussi le souci de faire que l'existence de l'Eglise aux Pays-Bas, son existence concrète, dans tous les secteurs de sa vie, puisse posséder et manifester pleinement les marques de cette identité que le Concile Vatican II a de nouveau exprimée, en accord avec toute la Tradition.

3. C'est pourquoi aussi cet effort quotidien du synode, à travers l'analyse des différents secteurs de la vie de l'Eglise dans votre patrie, a cherché d'abord à atteindre une conscience plus claire de tout ce qui constitue pour ainsi dire la vie quotidienne de l'Eglise dans ses différents aspects. Il a cherché ensuite à établir les orientations à suivre à l'avenir. En effet, l'identité de l'Eglise se manifeste précisément à travers cette forme concrète de son existence; elle se manifeste à travers sa manière de vivre chaque jour, et à travers la manière dont elle réalise son œuvre dans les différents secteurs de vie et d'activité.

Dans notre analyse conduite selon ces prémisses, nous avons abordé,

[2] Cf. *Ap* 2, 7.

[3] Cf. *Jn* 16, 13.

vénérables et chers Frères, tous les aspects essentiels, importants du point de vue de l'identité de l'Eglise aux Pays-Bas pour le moment présent et pour l'avenir. Il est en effet hors de doute que, dans les activités actuelles de l'Eglise, s'élabore en même temps la forme future de sa vie et de son apostolat.

C'est ainsi que nous avons pris comme point de départ de nos délibérations la réalité et les exigences fondamentales de la communion de l'Eglise, communion en même temps locale et universelle, se référant au spirituel comme à l'institutionnel, conscients que la communauté de foi, d'espérance et de charité unit tous les croyants avec le Christ et son Père, et les unit les uns aux autres. Dans le désir et la volonté unanimes de manifester cette communion, nous avons réaffirmé notre accord sur le contenu de la foi catholique selon l'enseignement du Magistère de l'Eglise, et nous en avons tiré les conclusions qui s'imposent quant à la fonction de l'Evêque comme docteur de la foi et comme pasteur, de chaque évêque dans son diocèse et de tous les évêques ensemble au sein de la Conférence episcopale.

Le synode a ainsi adopté des résolutions se référant au sacerdoce ministériel, à la vie des religieux et des religieuses, et à la participation des laïcs à la mission évangélisatrice de l'Eglise. Il a examiné comment promouvoir la vie sacramentelle, et surtout la célébration et la vénération de l'Eucharistie, source de vie et de croissance, et le sacrement de la réconciliation. Le synode a enfin insisté sur la valeur de la liturgie célébrée selon les règles de l'Eglise, sur l'importance du contenu doctrinal et des méthodes pastorales dans la catéchèse, et enfin sur la promotion d'un œcuménisme fidèle aux orientations du Concile.

4. Cette référence trop brève à la matière et aux conclusions du synode suffit pour relever la richesse de ses débats et l'ampleur de l'examen consacré au travail pastoral de l'Eglise aux Pays-Bas. A personne n'a échappé l'importance de tous les sujets abordés pour le développement futur des efforts pastoraux de tout le peuple de Dieu. Qu'il me soit permis toutefois de souligner ici un point particulier qui s'est révélé être au centre de toutes les autres questions soulevées et qui sera d'un impact très grand sur l'avenir de l'Eglise. Je me réfère ici au sacerdoce ministériel authentique des prêtres, aussi bien dans sa nature que dans ses relations avec l'évêque et dans son rapport à l'engagement des laïcs dans la mission de l'Eglise.

L'édification de la communauté ecclésiale et l'exécution de sa mission sont confiées à toute la communauté, mais, comme le dit la constitution dogmatique *Lumen Gentium,** cette responsabilité s'exerce en accord avec le charisme et la place de chacun dans le Corps du Christ. Toutes les vocations, tous les services, tous les charismes sont ordonnés à manifester dans leur variété la richesse de l'Eglise et à servir son unité. L'Eglise doit pouvoir exprimer la plénitude de sa vie par la richesse des vocations et des charismes, aussi bien dans le sacerdoce ministériel que dans l'apostolat des laïcs, et aussi dans la consécration religieuse selon l'esprit et le but spécifique de chaque Institut.

Mais chacun de ces ministères et de ces services possède une spécificité propre, et tous se complètent mutuellement sans se confondre.

A juste titre, chers Frères, vous avez insisté sur l'importance et la nécessité de la participation des laïcs dans la tâche pastorale de l'Eglise; vous avez loué aussi la collaboration active que vous prêtent les laïcs dans les diocèses néerlandais et qu'ils sont appelés à intensifier davantage encore. Car, sans le travail des laïcs, l'Eglise ne pourrait que difficilement être présente et agir dans le monde d'aujourd'hui.[5] Mais il importe, comme vous l'avez souligné, de sauvegarder, dans l'attribution des tâches et dans la délimitation des responsabilités, la distinction entre la contribution des laïcs et les tâches confiées aux prêtres et aux diacres. C'est dire toute l'importance des conclusions auxquelles est arrivé ce synode dans le domaine de la collaboration des laïcs aux tâches pastorales comme aussi dans celui de la formation des futurs prêtres.

Unanimes à professer la distinction essentielle entre le sacerdoce sacramentel et le sacerdoce commun des fidèles ainsi que le caractère permanent du sacerdoce sacramentel, les évêques des Pays-Bas ont aussi exprimé leur souci et leur volonté d'être secondés par un clergé célibataire et de faire tout leur possible pour promouvoir les vocations au sacerdoce. Us éprouvent le même souci en ce qui concerne la vocation religieuse, par laquelle des hommes et des femmes répondent à l'appel de Dieu dans la vie consacrée. Vous avez envisagé d'assurer la formation des candidats au sacerdoce dans de vrais séminaires, soit dans des séminaires assurant intégralement la formation, soit dans d'autres institutions possédant toutes les caractéristiques d'un séminaire bien

[4] **Cf. nn. 30-38.**

[5] **Cf. *Apostolicam Actuositatem, n.* 1.**

qu'une partie de l'enseignement soit donnée par des Ecoles supérieures de théologie reconnues par le Saint-Siège.

De la même façon, vous êtes décidés à souligner l'opportunité d'un engagement dans la voie du diaconat, vu la tâche spécifique et l'importance de ce ministère permanent tel qu'il a été restauré par le Concile Vatican IL Vous avez ensuite réaffirmé l'importance de la contribution propre du laïcat dans l'Eglise et vous êtes résolus à faire appel à la collaboration des laïcs dans les tâches pastorales qui peuvent leur être confiées selon les indications du Saint-Siège.

Voilà des résolutions qui augurent particulièrement bien de l'avenir pour l'Eglise aux Pays-Bas. Le Pape est convaincu que tous répondront à cet appel, donnant ainsi à cette Eglise sa pleine dimension de communauté chrétienne, qui est manifestée également par son œuvre missionnaire, tellement liée à toute sa tradition.

5. Dans tout le travail que nous avons fait au synode — et dans celui qui vous attend après la conclusion du synode —, ce qui était, ce qui est et ce qui demeurera notre rempart et notre force, c'est la référence constante de notre foi, de notre espérance et de notre amour au Christ, notre Maître et Seigneur, au Christ Rédempteur de l'homme, au Christ qui est devenu dans son mystère pascal l'époux de son Eglise.

C'est envers lui que nous avons cherché à maintenir notre fidélité au cours de nos réunions à Rome, dans notre réflexion quotidienne et dans nos échanges d'idées. Sa vérité et son amour étaient la source de la lumière pour nos considérations, nos résolutions et nos décisions. Et en faisant tout cela, nous avions toujours plus clairement conscience d'avoir besoin, pour notre service de l'Eglise, d'un grand courage et en même temps d'une grande prudence. Ce courage et cette prudence doivent dériver de notre confiance absolue dans cet amour qu'il donne en tout lieu à son Eglise, dans cette fidélité qu'il donne en retour à tous ceux qui cherchent à lui garder constamment leur fidélité. Cette conviction nous fait un devoir de regarder vers l'avenir avec l'espérance évangélique : «Ayez confiance, j'ai vaincu le monde».[6] Ainsi, nous serons capables de remplir notre mission d'évêques et de pasteurs à l'égard de l'Eglise sur la terre néerlandaise, et en même temps à l'égard de l'Eglise universelle ; nous serons capables de servir le peuple de Dieu de la manière qu'exige de nous l'Esprit de Jésus-Christ.

C'est sur lui aussi que nous bâtissons notre volonté et en même

[6] *Jn* 16, 33.

temps notre espoir de l'unité réciproque, de la « communio)) entre vous-mêmes, évêques et pasteurs de l'Eglise aux Pays-Bas, qui est indispensable pour accomplir ce ministère pastoral. Le synode a été pour vous, chers Frères, un temps d'heureuse union et d'échanges profonds de vos pensées; il a été un temps de véritable dialogue du salut. Ce dialogue, comme l'a enseigné Paul **VI**, est et doit demeurer un échange de pensées dans lequel se manifestent le respect et l'amour, et qui soit en même temps ordonné à la vérité, au bien de l'Evangile et à l'unité de l'Eglise. Au moment où ce temps heureux touche à sa fin, il ne nous reste rien d'autre à faire que de demander à l'Esprit de vérité et au Maître de la moisson que le même style de dialogue et le même climat salutaire d'union continuent toujours à exister entre vous pour le bien de toute l'Eglise, et en particulier pour celui des diocèses dont l'Esprit Saint vous a établis évêques.

6. Maintenant que les évêques néerlandais s'apprêtent à rejoindre leurs diocèses respectifs, je tourne ma pensée et mon affection vers toute l'Eglise qui est aux Pays-Bas et vers tous et chacun de ceux qui la constituent. Sachez, chers frères et sœurs, que le synode vous est reconnaissant de tout ce que vous avez entrepris pour contribuer au succès de ses délibérations. Au nom du synode, je vous remercie tout particulièrement de vos prières qui nous ont accompagnés durant cette période de grâce.

J'ai reçu de multiples échos d'initiatives qui témoignent de votre réponse fervente à l'appel que je vous avais adressé à la veille du synode : c'était un vrai réconfort et une inspiration pour ses participants de savoir que l'Eglise aux Pays-Bas était unie à eux par la prière dans les paroisses et les écoles, dans les maisons religieuses, dans les groupes de jeunes et les maisons de retraite. Je remercie spécialement aussi les frères et sœurs des Eglises et Communautés chrétiennes qui se sont joints aux catholiques pour implorer la lumière de l'Esprit sur nos travaux. C'est avec émotion et reconnaissance que je veux rappeler ici qu'un groupe de pasteurs protestants a envoyé un télégramme au début du synode pour nous assurer de leurs prières. L'union spirituelle ainsi manifestée est gage de la bénédiction de Dieu pour une union croissante entre tous ceux qui professent la même foi et la même espérance en Jésus-Christ. Que notre attente, notre désir et notre engagement correspondent à la volonté du Seigneur! Ainsi, nous pourrons promouvoir un œcuménisme sans timidité parce que authen-

tique, un œcuménisme dynamique qui soit une croissance dans la foi, un œcuménisme, pour tout dire, qui soit pleinement fidèle à P Esprit Saint.


il simbolo dell'accettazione di Dio in Cristo crocifisso e della più grande dignità dell'uomo.

Siamo venuti noi, i figli di questo secolo che è diventato di nuovo teatro di tale rifiuto di Dio da parte dell'uomo, come forse raramente è capitato nella storia. È diventato teatro dell'offesa e dell'oppressione dell'uomo in tanti vari modi.

Siamo qui venuti, e i nostri pensieri si soffermano presso la croce il cui mistero permane e la cui realtà si ripete in circostanze sempre nuove, in mezzo ai segni dei tempi, sempre nuovi.

Questo rifiuto di Dio da parte dell'uomo, da parte dei sistemi, che spogliano l'uomo di questa sua dignità che egli possiede da Dio in Cristo, di questo amore che soltanto lo Spirito di Dio può diffondere nei nostri cuori, questo rifiuto, ripeto, verrà bilanciato dall'accettazione, intima e fervente, di Dio che ha parlato a noi nella Croce di Cristo? Verrà bilanciato questo rifiuto dall'accettazione dell'uomo in questa sua dignità e in questo amore, il cui inizio sta nella Croce?

Ecco la principale domanda che sgorga dal cuore dell'uomo che, il Venerdì Santo, è raccolto accanto alla croce presso il Colosseo e segue le orme della Via Crucis di Cristo.

6. Però, la Via di Cristo e la sua Croce non sono soltanto una domanda, sono un'aspirazione perseverante ed inflessibile e un grido, un grande grido dei cuori.

Gridiamo quindi e preghiamo con Cristo :

«Padre, perdonali, perché non sanno quello che fanno».[5]

((Dio mio, Dio mio, perché mi hai abbandonato?».[6]

((Padre, nelle tue mani consegno il mio spirito ».[7]

Gridiamo e preghiamo come facendo eco a queste parole di Cristo :

Padre, accoglici tutti nella Croce di Cristo; accogli la Chiesa e l'umanità, la Chiesa e il mondo.

Accogli coloro che accettano la croce; coloro che non la capiscono e coloro che la evitano ; coloro che non la accettano e coloro che la combattono nell'intento di cancellare e di sradicare questo segno dalla terra dei viventi.

Padre, accoglici tutti nella croce del Tuo Figlio !

Accogli ciascuno di noi nella Croce di Cristo. Senza guardare a

[5] *Le* 23, 34.

[6] *Mt* 27, 46.

[7] *Lc* 23, 46.

tutto ciò che passa nel cuore dell'uomo, senza guardare ai frutti delle sue opere e degli avvenimenti del mondo contemporaneo, accetta l'uomo !

La Croce del Tuo Figlio rimanga il segno dell'accoglienza del figliol prodigo da parte del Padre.

Rimanga il segno dell'Alleanza, dell'Alleanza nuova ed eterna.

II

Ex externo Basilicae Vaticanae podio, die Resurrectionis D.N.I.Chr.*

1. ((...e vide che la pietra era stata ribaltata».[1]

Nella registrazione **degli** avvenimenti del giorno che sussegui quel sabato, queste parole hanno un significato chiave.

Nel luogo dove era stato deposto Gesù, la sera del venerdì, giunge Maria di Magdala, giungono le altre donne. Gesù era stato deposto in una tomba nuova, scavata nella roccia, nella quale nessuno era stato ancora sepolto. La tomba era stata collocata ai piedi del Golgota, là dove Gesù spirò crocifisso, dopo che il centurione gli aveva trafitto il costato con la lancia per costatare con certezza la realtà della morte. Gesù fu avvolto in bende dalle mani caritatevoli ed affettuose delle pie donne che, insieme con la Madre e con Giovanni, il discepolo prediletto, avevano assistito al suo estremo sacrificio. Calando, però, rapidamente la sera ed iniziandosi il sabato pasquale, le generose ed amorevoli discepole furono costrette a rinviare l'unzione del corpo santo e martoriato di Cristo alla prossima occasione, appena la legge religiosa di Israele lo avesse permesso.

Si recano, quindi, al sepolcro nel giorno dopo il sabato, di buon mattino, cioè al primo albeggiare, preoccupate di come rimuovere la grossa pietra che era stata messa all'ingresso del sepolcro, il quale, per di più, era stato anche sigillato.

Ed ecco, giunte sul posto, videro che la pietra era stata ribaltata dal sepolcro.

2. Quella pietra, collocata all'ingresso della tomba, era divenuta primariamente un muto testimone della morte del Figlio dell'Uomo.

Con una simile pietra si concludeva il corso della vita di tanti uo-

* **Die 6 m. Aprilis a. 1980.**

[1] *Gv* 20, 1.

mini di allora, nel cimitero di Gerusalemme ; anzi l'arco della vita di tutti gli uomini nei cimiteri della terra.

Sotto il peso della pietra tombale, dietro la sua massiccia barriera si compie, nel silenzio del sepolcro, l'opera della morte : cioè l'uomo tratto dalla polvere si trasforma lentamente in polvere.[2]

La pietra, posta la sera del Venerdì Santo, sulla tomba di Gesù, è diventata, come tutte le pietre tombali, il testimone muto della morte dell'Uomo, del Figlio dell'Uomo.

Che cosa testimonia questa pietra il giorno dopo il sabato, nelle prime ore dello spuntare del giorno?

Che cosa dice? Che cosa annunzia la pietra rimossa dal sepolcro?

Nel Vangelo non vi è una pronta risposta umana adeguata. Essa non appare sulle labbra di Maria di Magdala. Quando spaventata per l'assenza del corpo di Gesù nella tomba, la donna corre ad avvertire Simon Pietro e l'altro discepolo, quello che Gesù amava,[3] il suo linguaggio umano trova soltanto queste parole per esprimere l'accaduto :

«Hanno portato via il Signore dal sepolcro e non sappiamo dove l'hanno posto».[4]

Anche Simon Pietro e l'altro discepolo si recarono in fretta al sepolcro ; e Pietro, entratovi, vide le bende per terra, ed il sudario che era stato posto sul capo di Gesù in un luogo a parte.[5]

Allora entrò anche l'altro discepolo, e vide e credette ; ambedue «non avevano ancora compreso la Scrittura, che Egli cioè doveva risuscitare dai morti ».[6]

Videro e compresero che gli uomini non erano riusciti a sopraffare Gesù con la pietra tombale, sigillandola col contrassegno della morte.

3. La Chiesa che oggi, come in ogni anno, con la Domenica di Risurrezione termina il suo Triduo Pasquale, canta con gioia le parole dell'antico Salmo : ((Celebrate il Signore, perché è buono ; / perché eterna è la sua misericordia. / Dica Israele che egli è buono : eterna è la sua misericordia...; / la destra del Signore si è alzata, / la destra del Signore ha fatto meraviglie. / Non morirò, resterò in vita / e annunzierò le opere del Signore. / La pietra scartata dai costruttori / è di-

[2] Cfr. *Gn* 3, 19.

[3] Cfr. *Gv 20,* 2.

[4] *Gv* 20, 2.

[5] *Gv* 20, 7.

[6] *Gv* 20, 9.

ventata testata d'angolo ; / ecco l'opera del Signore ; / una meraviglia ai nostri occhi ».[7]

Gli artefici della morte del Figlio dell'uomo «assicurarono il sepolcro con le guardie e misero alla pietra il sigillo)).[8]

Spesse volte i costruttori del mondo, per il quale Cristo volle morire, hanno cercato di mettere una pietra definitiva sulla Sua tomba.

Ma la pietra rimane sempre rimossa dal suo sepolcro ; la pietra, testimone della morte, è diventata testimone della risurrezione : « La destra del Signore ha fatto meraviglie ».[9]

4. La Chiesa annunzia sempre e di nuovo la Risurrezione di Cristo. La Chiesa con gioia ripete agli uomini le parole degli Angeli e delle Donne, pronunciate in quel mattino radioso in cui la morte fu sconfitta.

La Chiesa annunzia che è vivo Colui che è diventato la nostra Pasqua, Colui che è morto sulla croce, rivela la pienezza della Vita.

Questo mondo che, purtroppo, oggi, in diversi modi, sembra volere la ((morte di Dio », ascolti il messaggio della Risurrezione.

Voi tutti che annunziate (da morte di Dio», che cercate di estromettere Dio dal mondo umano, sostate e pensate che ((la morte di Dio » può portare in sé fatalmente anche la «morte dell'uomo»!

Cristo è risorto perché l'uomo trovi l'autentico significato dell'esistenza, perché l'uomo viva con pienezza la propria vita : perché l'uomo, che viene da Dio, viva in Dio.

Cristo è risorto. Egli è la pietra angolare. Già allora si tentò di rigettarlo e di sopraffarlo con la vigilata e sigillata pietra del sepolcro. Ma quella pietra fu ribaltata. Cristo è risorto.

Non respingete Cristo, voi che costruite il mondo umano.

Non respingetelo voi che, in qualsiasi modo ed in qualsiasi settore, costruite il mondo d'oggi e di domani : il mondo della cultura e della civiltà, il mondo dell'economia e della politica, il mondo della scienza e dell'informazione.

Voi che costruite il mondo della pace ... o della guerra? Voi che costruite il mondo dell'ordine... o del terrore? Non rifiutate Cristo: Egli è la pietra angolare !

[7] *Sai* 117/118/1-2. 16-17. 22-23.

[8] *Mt 27,* 66.

[9] *Sal* 117/118, 16.

Non lo rifiuti nessun uomo, perché ognuno è responsabile del suo destino : costruttore o distruttore della propria esistenza.

Cristo è risorto prima ancora che il suo Angelo avesse ribaltato la pietra tombale. Egli poi si rivelò come pietra angolare, sulla quale si costruisce la storia dell'umanità intera e quella di ognuno di noi.

5. Cari Fratelli e Sorelle ! con sincera letizia accogliamo questo giorno tanto atteso ! Con viva gioia condividiamo il messaggio pasquale noi tutti che accogliamo Cristo come Pietra angolare.

In virtù di questa Pietra angolare che unisce, costruiamo la nostra comune speranza con i Fratelli in Cristo d'Oriente e di Occidente, con i quali non ci unisce ancora la piena comunione e la perfetta unità.

Accettate, cari Fratelli, da noi il bacio pasquale della pace e dell'amore. Cristo risorto risvegli in noi un desiderio ancor più grande di questa unità per la quale Egli ha pregato nella vigilia della sua Passione.

Non cessiamo di supplicare per essa insieme con Lui. Poniamo la nostra fiducia nella forza della Croce e della Risurrezione; tale forza è più potente della debolezza di ogni divisione umana!

Fratelli diletti ! Annuntio vobis gaudium magnum, quod est « Alleluia)) !

6. La Chiesa si avvicina oggi ad ogni uomo con l'augurio pasquale : l'augurio di costruire il mondo su Cristo; augurio che estende all'intera famiglia umana.

Vogliano accogliere tale augurio coloro che condividono con noi il messaggio della risurrezione e la gioia pasquale; e anche coloro che, purtroppo, non ne sono partecipi. Cristo, «nostra Pasqua», non cessa di essere pellegrino con noi sul cammino della storia, ed ognuno può incontrarlo perché egli non cessa di essere Fratello dell'uomo in ogni epoca ed in ogni momento.

Nel Suo nome mi rivolgo oggi a tutti, ed a tutti porgo l'augurio più fervido e santo.

Vota sua et omina Summus Pontifex pronuntiavit lingua Italica, Gallica, Anglica, Germanica, Hispanica, Lusitana, Albaniensi, Bulgarica, Cecha, Slovachiensi, Dacoromana, Bielorussica, Lituana, Lettonica, Russica, Ucraina, Croata, Hungarica, Slovena, Servia, Servia-Lusatia, Hiberna, Suetica, Nederlandica, Arabica, Armeniana, Svailica, Sinensi, Iaponica, Graeca, Hebraica, Polonica, Latina.

NUNTIUS **TELEGRAPmCUS**

Ad Praesidem conferentiae episcoporum Salvatoriae missus, occasione oblata cruentae necis Exc.mi P. D. Ansgarii A. Romero y Galdámez, Archiepiscopi S. Salvatoris in America.*

Al conocer con ánimo traspasado de dolor y aflicción la infausta noticia del sacrilego asesinato de Monseñor Osear A. Romero y Galdámez, cuyo servicio sacerdotal a la Iglesia ha quedado sellado con la inmolación de su vida mientras ofrecía la víctima eucaristica, no puedo menos de expresar mi más profunda reprobación de Pastor universal ante este crimen execrable que, además de flagelar de manera cruel la dignidad de la persona, hiere en lo más hondo la conciencia de comunión eclesial y de quienes abrigan sentimientos de fraternidad humana. Encomendando piadosamente el alma del celoso Arzobispo, elevo fervientes plegarias por los queridísimos hijos de El Salvador para que deponiendo para siempre todo atisbo de violencia o de venganza mezquina, logren hacer cada vez más accesible las vías de la fe y del amor cristiano cuya fuerza es garantía de auténtica salvación y de justicia entre los hijos de la Patria salvadoreña. A los hermanos en el episcopado, a los sacerdotes, familias religiosas y pueblo fiel y en especial a los diocesanos de San Salvador y familiares del difunto Prelado envío de corazón la Bendición Apostólica.

IOANNES PAULUS PP. II

* Die 25 m. Martii a. 1980.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Sacra Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit. Videlicet :

die 4 Februarii 1980. — Cathedrali Ecclesiae Civitati Regalensi Exc. muni P. *D.* Raphaelem Torija de la Fuente, hactenus Episcopum titularem Doritanum.

die 8 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Colimensi Exc.mum P. D. Iosephum Fernández Arteaga, hactenus Episcopum Apatzinganiensem.

die 11 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Isclanae Exc. P. D. Didacum Parodi, hactenus Episcopum titularem Centenariensem.

die 13 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Novohamburgensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Aloisium Sinesium Bohn, hactenus Episcopum titularem Abbiritanum Germanicianorum et Auxiliarem Exc.mi P. D. Iosephi Neotonii de Almeida Batista, Archiepiscopi Brasiliapolitani.

die 15 Februarii. — Cathedrali Ecclesiae Stocktonensi Exc.mum P. D. Rogerum M. Mahony, hactenus Episcopum titularem Tamascaniensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Numanensi R. P. Agnellum Andrew, Ordinis Fratrum Minorum sodalem.

die 21 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Apolloniensi R. D. Vincentium Cirrincione, Vicarium Episcopalem ad fovendam pastoralem in archidioecesi Panormitana, quem deputavit Auxiliarem Em.mi P. D. Salvatoris S. R. E. Cardinalis Pappalardo, Archiepiscopi Panormitani.

die 23 Februarii. — Praelaturae Ipilensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Fridericum Escaler, S. I., hactenus Episcopum Praelatum Kidapavanensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Labacensi R. D. Aloisium Sustar, Canonicum Ecclesiae cathedralis eiusdem archidioeceseos.

die 3 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Assidonensi-Jerezensi Exc.mum

P. D. Raphaelem Bellido Caro, hactenus Episcopum titularem Mutiensem.

die 4 *Martii.* — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Altamirensis R. D. Iosephum Lizares Estrada, Vicarium Generalem dioecesis Gusmanopolitanae.

— Cathedrali Ecclesiae Belogradensi R. D. Aloisium Türk, Delegatum Episcopalem eiusdem archidioeceseos.

— Cathedrali Ecclesiae Altensi R. P. D. Ansgarium García Urízir, e clero Altensi, hactenus Administratorem Apostolicum ad nutum S. Sedis eiusdem dioecesis.

die 5 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Trentonensi Exc.mum P. D. Ioannem C. Reiss, hactenus Episcopum titularem Simidiccensem.

— Cathedrali Ecclesiae Salinensi Exc.mum P. D. Danielem W. Kucera, O. S. B., hactenus Episcopum titularem Natchetensem.

die 11 Martii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Zamensi Minori R. D. Carmelum Ioannem Giaquinta, e clero archidioecesis Bonaérensis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Michaelis Stephani Hesayne, Episcopi Viedmensis.

die 12 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Risinitanae R. D. Ladislaum Ziólek, Canonicum Capituli Cathedralis et Cancellarium Curiae Lodzensis.

die 14 Martii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Telensi, R. P. Antonium Eliseum Zuqueto, hactenus vicesprovincialem Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum in urbe Rio de Janeiro, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Quirini Adolfi Schmitz, Episcopi Otonipolitani.

— Cathedrali Ecclesiae Pesqueirensi, R. D. Emmanuelem Palmeira da Rocha, e clero Campi Grandis.

die 18 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Amarillensi R. P. D. Rufum T. Matthiesen, Administratorem Apostolicum eiusdem dioecesis.

die 21 Martii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Pauzerensi R. D. Emmanuelem Camillum Vial Risopatrón, sodalem Instituti Schön statten si s Sacerdotum Saecularium, quem deputavit Auxiliarem Em.mi ac Rev.mi P. D. Radulfi S. R. E. Cardinalis Silva Henriquez, Archiepiscopi S. Iacobi in Chile.

die 24 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Calabocensi R. P. Helimenem Rojo, sodalem Congregationis Iesu et Mariae (Eudistarum), rectorem seminarii minoris archidioecesis Caracensis.

die 25 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Cameracensi Exc.mum P. D. Iacobum Delaporte, hactenus Episcopum titularem Dianensem.

die 27 Martii. — Cathedrali Ecclesiae Chascomusensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Rodulfum Bufano, hactenus Episcopum titularem Aquensem in Mauretania et Auxiliarem Episcopi Sancti Iusti.

— Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Arthuri Elchinger, Episcopi Argentinensis, constituit R. P. Rogerium Heckel, Societatis Iesu sodalem et Secretarium Pontificiae Commissionis a Iustitia et Pace.

die 28 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Centenariensi R. D. Raimundum Godinez Flores, e clero archidioecesis Guadalaiarensis, Cancellarium illius Curiae metropolitanae, quem deputavit Auxiliarem Em.mi ac Rev.mi P. D. Iosephi S. R. E. Cardinalis Salazar López, Archiepiscopi Guadalaiarensis.

— Coadiutorem c.i.s. Exc.mi P. D. Petri Pauli Koop, M. S. C, Episcopi Linensis, Exc.mum P. D. Aloisium Colussi, hactenus Episcopum titularem Goritanum et Auxiliarem Exc.mi P. D. Geraldi Fernandes Bijos, C. M. F., Archiepiscopi Londrinensis.

— Cathedrali Ecclesiae Itapevensi, R. D. Ferdinandum Legal, S.D.B., hactenus Inspectorem Societatis Sancti Francisci Salesii in urbe Sancti Pauli in Brasilia.

die 3 Aprilis. — Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Ioannis Dadone, Episcopi Fossanensis, necnon Administratorem Apostolicum ad nutum Sanctae Sedis Cathedralis Ecclesiae Fossanensis, R. D. Severinum Poletto, Vicarium Episcopalem pro pastorali actione in dioecesi Casalensi.

die 9 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Larensi R. D. Eduardum Ernestum Fuentes Duarte, e clero dioecesis Sololensis, quem deputavit Auxiliarem Em.mi ac Rev.mi P. D. Marii S. R. E. Cardinalis Casariego, archiepiscopi Guatimalensis et Praelati SS.D.N.I.C. de Esquipulas.

die 16 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Mariae Exc.mum P. D. Alfredum Disandro, hactenus Episcopum titularem Turrensem et Auxiliarem Em.mi Cardinalis Archiepiscopi Cordubensis in Argentina.

die 19 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Rosamarkensi R. D. Marcellum A. Gervais, e clero dioecesis Londonensis, quem deputat Auxiliarem Exc.mi P. D. Ioannis Sherlock, Episcopi Londonensis.

die 21 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Itaguaiensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Vitalem Wilderink, O. Cann., hactenus Episcopum titularem Iuncensem in Byzacena et Auxiliarem Exc.mi P. D. Waldyri Calheiros de Nováis, Episcopi Barrensi de Pirai-Voltaredondensi.

— Cathedrali Ecclesiae Guamensi, noviter erectae, R. P. D. Michaelem Giambelli, B., hactenus Administratorem Apostolicum «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » eiusdem praelaturae.

— Coadiutorem sine iure successionis Metropolitanae Ecclesiae Sancti Salvatoris in Brasilia, Exc.mum P. D. Iohannem de Souza Lima, hactenus Archiepiscopum Manaënsem.

die 22 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Berolinensi Exc.mum P. D. Ioachimum Meisner, hactenus Episcopum titularem Vinensem.

die 23 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Lucensi in Hispania R. P. Iosephum Gómez González, ex Ordine Fratrum Minorum, Superiorem Conventus eiusdem Ordinis civitatis Compostellanae.

die 24 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Elpasensi Exc.mum P. D. Raimundum Peña, hactenus Episcopum titularem Trisipensem.

die 26 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Mutiensi R. P. Alfredum Noriega Arce, e Societate Iesu, curionem paroeciae vulgo « Nuestra Señora de los Desamparados» in urbe Lima, quem deputavit Auxiliarem Em.mi ac Rev.mi P. D. Ioannis S. R. E. Cardinalis Landázuri Ricketts, Archiepiscopi Limani.

SACRA CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS ET CULTU DIVINO

Instructio de quibusdam normis circa cultum mysterii eucharistici.

Inaestimabile donum sanctissimae Eucharistiae postquam Ioannes Paulus Pp. II Epistula, die xxiv mensis Februarii anno MCMLXXX ad Episcopos et per eos ad Sacerdotes data, denuo tractavit, Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino quasdam normas, ad tanti mysterii cultum pertinentes, diligentiae sacrorum Antistitum proponit.

Quae vero subiciuntur, ea non quidem summam efficiunt illarum rerum, quas Apostolica Sedes post Concilium Vaticanum II exactum in documentis ad sanctissimam Eucharistiam spectantibus et adhuc vigentibus edixit, praesertim in Missali

Romano,[1] in Rituali *De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam,*[2] in Instructionibus ab hisce incipientibus verbis : *Eucharisticum mysterium,*[3] *Memoriale Domini** *Immensae caritatis,*[5] *Liturgicae instaurationes.*[6]

Haec Sacra Congregatio fructus permultos et certos instaurationis liturgicae cum gaudio agnoscit, cuius modi sunt fidelium magis actuosa et conscia participatio mysteriorum liturgicorum, res doctrinalis et catechetica adaucta per usum sermonis vulgaris et copiam lectionum biblicarum, altior sensus communitarius vitae liturgicae, incepta feliciter peracta, ut discrepantia tolleretur inter vitam et cultum, inter pietatem liturgicam et pietatem singulorum, inter liturgiam et pietatem popularem.

Hae tamen res, praestabiles quidem animumque confirmantes, tacere non sinunt de sollicitudine, quacum perquam multiplices et crebros pravos usus advertimus, qui e variis partibus orbis catholici nuntiantur : confusio munerum, praesertim quod ad ministerium sacerdotale attinet et ad officium laicorum (recitatio precis eucharisticae, quae sine discrimine et coniuncte fit, homiliae a laicis habitae, laici sacram communionem distribuentes, dum sacerdotes ea dispertienda se abstinent); augescens defectus sensus illius, quo sacrum percipiatur (derelictus usus vestium liturgicarum, sacrae celebrationes pro more extra ecclesias sine vera necessitate habitae, deficiens reverentia et observantia sanctissimi Sacramenti hisque similia); neglectio indolis ecclesialis, quae liturgiae est propria (usus textuum privatorum, amplificata inductio precum eucharisticarum non approbatarum, detorta adhibitio textuum litur-

[1] Ed. Typica altera, Romae 1975.

[2] Ed. Typica, Romae 1973.

[3] S. Congr. Rituum, die 25 Maii 1967: *AAS* 59 (1967), 539-573.

* S. Congr. pro Cultu Divino, die 29 Maii 1969: *AAS* 61 (1969), 541-545.

[5] S. Congr. de Disciplina Sacramentorum, die 29 Ianuarii 1973: *AAS* 65 (1973), 264-271.

[6] S. Congr. pro Cultu Divino, die 5 Septembris 1970: *AAS* 62 (1970), 692-704.

gicorum quatenus finibus socialibus-politicis servire iubentur). Huiusmodi in casibus vera deprehenditur adulteratio liturgiae catholicae : « vitium *falsitatis* incurrit qui ex parte Ecclesiae cultum exhibet Deo contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum et in Ecclesia consuetum » .[7]

Haec autem omnia bonos fructus edere nequeunt. Inde consequuntur — ac quidem non consequi nequeunt — laesura unitatis fidei et cultus in Ecclesia, incertitudo quoad doctrinam, scandalum et dubitatio Populi Dei atque, paene necessitate fatali, repugnationes violentae.

Fideles iure fruuntur veram habendi liturgiam, quae talis est, cum eo modo peragitur, quem Ecclesia voluit et statuit, quae etiam facultates, quae fieri possint, praevidit eam adiunctis aptandi, prout necessitates pastorales variis in locis aut diversi hominum coetus postulant. Experimenta, mutationes, opera « creatrix » non legitima fideles confundunt. Praeterea usus textuum non approbatorum eo perducit, ut necessarius ille nexus inter *legem orandi* et *legem credendi* evanescat. Ad haec quod spectat, in memoriam est revocanda hortatio Concilii Vaticani II : « nemo omnino alius, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in Liturgia addat, demat, aut mutet ».[8] Paulus vero VI rec. mem. monuit: «Qui renovatione (liturgica) abutitur, ut experimenta suo arbitratu faciat, vires disperdit et sensum ecclesialem offendit ».[9]

A) DE SANCTA MISSA

1. ((Duae partes e quibus Missa quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica, tam arcte inter se coniunguntur, ut unum actum cultus efficiant ».[10] Ad mensam panis Domini non accedatur, nisi postquam quis ad mensam verbi

[7] S. Thomas, *Summa Theologica,* 2-2, q. 93, a. 1.

[8] Conc. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 22, § 3.

[9] Cf. *Allocutio* die 22 Augusti 1973 habita: *L'Osservatore Romano,* 23 Augusti 1973.

[10] Conc. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 56.

eius constiterit.[11] Est ergo maximum momentum Sacrae Scripturae in Missa celebranda. Quam ob rem neglegi non licet, quod Ecclesia statuit: « In celebrationibus sacris abundantior, varior et aptior lectio sacrae Scripturae instauretur ».[12] Normae in Lectionario constitutae observentur, quod attinet sive ad numerum lectionum sive ad ea quae circa peculiaria adiuncta proponuntur. Gravis abusus admitteretur, si pro verbo Dei verbum hominis, quicumque is est, substitueretur.[13]

2. Lectio pericopes evangelicae administro ordinato, id est diacono aut sacerdoti, reservatur. Ceterae lectiones, cum fieri potest, lectori ad hoc instituto aut aliis laicis, spirituali ratione et arte praeparatis, committantur. Post primam lectionem psalmus responsorius sequitur, qui est pars integralis liturgiae verbi.[14]

3. Homiliae propositum est Dei verbum in lectionibus prolatum fidelibus explanare atque eiusmodi nuntium ad aetatis nostrae sensum accommodare. Homilia ergo munus est sacerdotis aut diaconi.[15]

4. Eucharisticae precis pronuntiatio, ipsa sua natura quasi culmen totius celebrationis, sacerdotis est propria vi eius ordinationis. Itaque abusus est id agere, ut quaedam partes precis eucharisticae a diacono, a ministro inferiore vel fidelibus recitentur.[16] Coetus tamen interest neque segnis neque iners: sacerdoti enim in fide et cum silentio sociatur atque in eucharisticae precis cursu nonnullis interventibus statutis suam assensionem profitetur. Qui sunt: responsiones in dialogo Praefatio-

[11] Cf. *ibidem*, n. 56; cf. etiam Conc. Vat. II, Const. dogm. de Divina Revelatione, *Dei Verbum*, n. 21.

[12] Conc. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 35, § 1.

[13] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 2, a.

[14] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani*, n. 36.

[15] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 2, a.

[16] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, litt. circ. *Eucharistiae participationem*, die 27 Aprilis 1973: *AAS* 65 (1973), 340-347, n. 8; Instr. *Liturgicae instaurationes*, n. 4.

nis, *Sanctus,* acclamatio post consecrationem et ultimum *Amen* post *Per ipsum,* quod proprium est sacerdotis. Hoc praesertim *Amen* cantu est ditandum, utpote *Amen* in tota Missa praecipuum.

5. Solum illae preces eucharisticae adhibeantur, quae in Missali Romano inveniuntur, vel ab Apostolica Sede legitime probatae sunt iuxta modos terminosque ab ea definitos. Abusus gravissimus est eucharisticas preces ab Ecclesia probatas mutare vel alias a privatis compositas inducere.

6. Oportet meminisse alias orationes vel cantus non esse eucharisticis precibus superponendas.[17] In prece eucharistica proferenda sacerdos tam clare textus verba pronuntiet, quo facilius et fideles ea comprehendant et verus coetus formetur, Memorialis Domini celebrationi plane deditus.

7. *Concelebratio.* Concelebratio, in Occidentis liturgia restituta, modo singulari sacerdotii manifestat unitatem. Qua de causa concelebrantes signa, quae hanc unitatem illustrant, observent: exempli gratia, iam ab initio celebrationis praesentes adsint, praescriptis sacris vestibus induantur, locum obtineant, qui eorum ministerio ut concelebrantium competit, atque ceteras normas fideliter observent, ut ritus decore peragatur.[18]

8. *Eucharistiae materia.* Exemplo Christi obsecuta, Ecclesia ad Cenam Dominicam celebrandam panem et vinum cum aqua constanter adhibuit. Panis quidem, ad Eucharistiae celebrationem destinatus, secundum totius Ecclesiae traditionem esse debet tantummodo triticeus atque, iuxta traditionem Ecclesiae Latinae, azymus. Materia celebrationis eucharisticae, ratione signi, « oportet revera ut cibus appareat ». Quod intellegendum est ad panis soliditatem spectare, non ad formam, quae, ut traditus fert mos, ita debet manere. Neque licet farinae

[17] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* n. 12.
[18] Cf. *ibidem,* nn. 156, 161-163.

tritici et aquae res extraneas addere. Eius confectio attenti animi postulat curam ita ut compositio nihil detrimenti afferat dignitati, quae eucharistico pani debetur, eius fractio digne fieri possit, neque nimia fragmenta oriri, neque in manducatane sensum religiosum fidelium offendi contingat. Vinum autem in celebratione eucharistica adhibendum promi debet « de generatione vitis » (*Lc* **22**, 18) sitque naturale et merum, id est extraneis substantiis non admixtum.[19]

9. *Communio eucharistica.* Communio donum est Domini, quod fidelibus a ministro traditur ad eiusmodi officium destinato. Non licet ipsis fidelibus panem consecratum sumere neque calicem sacrum tantoque minus de manu in manum inter se ea transmittere.

10. Religiosus vel laicus fidelis, qui extraordinarius constitutus est Eucharistiae minister, poterit communionem impertire solummodo, cum sacerdos vel diaconus vel acolythus desunt, cum sacerdos debilitate provectave aetate impeditur, vel cum fidelium ad communionem accedentium numerus tantus est, ut ipsa Missae celebratio nimis protrahatur.[20] Reprobandus ideo mos est eorum sacerdotum, qui, licet celebrationi ipsi intersint, a communione tamen distribuenda se abstinent, laicis id munus committentes.

11. A fidelibus semper Ecclesia flagitavit reverentiam et pietatem erga Eucharistiam, quo tempore eam recipiunt.

Quod vero spectat ad modum accedendi ad suscipiendam communionem, ea quidem recipi potest a fidelibus sive genuflexis sive stantibus secundum normas a Conferentia Episcopali edictas. « Cum fideles communicant genuflexi, non exigitur ab eis aliud signum reverentiae erga sanctissimum Sacramentum, quia ipsa genuflexio adorationem exprimit. Cum autem

[19] Cf. *ibidem,* nn. 281-284; S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Liturgicae instaurationes,* n. 5; *Notitiae* 6 (1970), 37.

[20] Cf. S. Congr. pro Disciplina Sacramentorum, Instr. *Immensae caritatis,* n. 1.

communicant stantes, enixe commendatur ut, processionaliter accedentes, debitam reverentiam faciant ante susceptionem Sacramenti, loco et tempore opportuno, ne accessus et recessus fidelium perturbetur ».[21]

Verbum « Amen », quod fideles proferunt communionem suscipientes, actus fidei ipsorum est in Christi praesentiam.

12. Ad communionem vero sub utraque specie quod attinet, serventur ea quae statuit Ecclesia, sive afficientia ipsam venerationem eidem Sacramento debitam sive tangentia utilitatem eorum qui Eucharistiam suscipiunt, pro rerum, temporum et locorum varietate.[22]

Neque Conferentiae Episcopales nec Ordinarii ipsi ultra ea procedant, quae hodierna disciplina statuuntur : concessio communionis sub utraque specie ne fiat sine discrimine et sacrae celebrationes bene definiantur; hominum vero coetus, qui hac fruuntur facultate, accurate circumscripti sint, ordinati et eiusdem naturae.[23]

13. Etiam post communionem Dominus sub speciebus praesens manet. Idcirco, communione impertita, particulae sacrae, quae superfuerunt, aut consumantur aut ab idoneo ministro deferantur ad locum Eucharistiae asservandae destinatum.

14. Vinum consecratum ex contrario statim post communionem sumi debet neque asservari licet. Attendatur autem, ut sola consecretur vini copia ad communionem necessaria.

15. Normae pariter observentur attinentes ad purificationem calicis aliorumque vasorum sacrorum, quae eucharisticas continuerunt species.[24]

[21] S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 34; cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* nn. 244, c; 246, b; 247, b.

[22] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* nn. 241-242.

[23] Cf. *ibidem,* n. 242 in fine.

[24] Cf. *ibidem,* n. 238.

16. Peculiaris honor et cura vasis sacris impendantur, sive calici et patenae ad Eucharistiae celebrationem aptis, sive pyxidibus in sacra communione adhibendis. Eorma autem vasorum sacrorum ad usum liturgicum, cui destinantur, idonea sit oportet. Materia esse debet nobilis, durabilis et usui sacro utique accommodata. De qua re Conferentiae Episcopalis cuiusque regionis est iudicare.

Non licet adhibere simplicia canistra vel alia vasa, quae extra sacras celebrationes communi usui destinantur aut viliora sunt, ad qualitatem quod attinet, aut omni artificio carent.

Calices et patenae, antequam adhibeantur, oportet ab Episcopo vel presbytero benedicantur.[25]

17. Fideles moneantur, ne post communionem iustam et consentaneam gratiarum actionem omittant, sive in ipsa celebratione silentii spatium interponendo vel hymnum, psalmum aliudve laudis canticum concinendo,[26] sive post celebrationem per congruum tempus in oratione, ut fieri potest, immorando.

18. Quemadmodum notum est, variae sunt partes, quas mulier in coetu liturgico potest implere: cuius generis sunt lectio verbi Dei et pronuntiatio intentionum orationis universalis. Non tamen mulieribus licet munera obire acolythi seu ad altare ministrantis.[27]

19. Peculiaris vigilantia et specialis cura inculcantur, cum agitur de sanctis Missis, quae ope instrumentorum audivisifi-

[25] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* nn. 288, 289, 292, 295; S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Liturgicae instaurationes,* n. 8; *Pontificale Romanum, Ordo dedicationis ecclesiae et altaris,* p. 125, n. 3.

[26] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* n. 56 j.

[27] Cf. S. Congr. pro Cultu Divino, Instr. *Liturgicae instaurationes,* n. 7.

eorum transmittuntur. Etenim, cum latissime diffundantur, ita eas peragi oportet, ut sint exemplo.[28]

Quod ad celebrationes attinet, quae in domibus privatis fiunt, normae Instructionis, a verbis *Actio pastoralis* incipientis ac die XV mensis Maii anno MCMLXIX editae, observentur.[29]

B) DE CULTU EUCHARISTICO EXTRA MISSAM

20. Pietas tum publica tum privata erga sanctissimam Eucharistiam etiam extra Missam vehementer inculcatur: etenim praesentia Christi, qui a fidelibus in Sacramento adoratur, a sacrificio manat tenditque ad communionem sacramentalem et spiritualem.

21. Cum pia disponuntur exercitia eucharistica, ratio habeatur temporum liturgicorum ita ut eadem exercitia congruant liturgiae, ab ea quodammodo deriven tur et ad eam populum manuducant.[30]

22. Quod autem attinet ad sanctissimae Eucharistiae expositionem, sive brevem sive protractam, ad processiones eucharisticas, ad conventus eucharisticus, ad totam denique pietatis eucharisticae temperationem, observentur pastorales praescriptiones ac normae, quae in Rituali Romano continentur.[31]

23. Hoc non est obliviscendum : « ante benedictionem cum sanctissimo Sacramento congruum tempus tribuatur lectionibus verbi Dei, canticis, precibus et orationi aliquamdiu in silentio protractae ».[32] Sub finem adorationis canitur hym-

[28] Cf. Conc. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 20; Pont. Consilium Instrumentis Communicationis socialis praepositum, Instr. *Communio et progressio,* die 23 Martii 1971: *AAS* 63 (1971), 593-656, n. 151.

[29] *AAS* 61 (1969), 806-811.

[30] Cf. Rituale Romanum, *De Sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam, n.* 79-80.

[31] Cf. *ibidem,* nn. 82-112.

[32] *Ibidem,* n. 89.

nus et recitatur vel canitur una ex orationibus, ex pluribus deligenda, quae in Rituali Romano exhibentur.[33]

24. *Tabernaculum,* in quo Eucharistia asservatur, collocari potest in altari vel etiam extra illud, in loco ecclesiae admodum conspicuo, revera nobili et convenienter exornato, aut in sacello ad privatam fidelium precationem et adorationem idoneo.[34]

25. Tabernaculum esse debet solidum, inviolabile, non translucidum.[35] Iuxta illud, quo videlicet loco Eucharistiae praesentia significatur conopeo aliove apto instrumento a competenti auctoritate definito, lampas, ut signum honoris qui Domino adhibetur, perenniter ardeat.[36]

26. Coram sanctissimo Sacramento, sive in tabernaculo asservato sive publice exposito, venerandus usus genua flectendi, signum scilicet adorationis, servetur.[37] Qui actus poscit, ut quasi spiritu vivificetur; quocirca, ut cor ex intima veneratione ante Deum flectatur, genuum flexio ne fiat festinanter neque neglegenter.

27. Quodsi quidquam inductum fuerit his normis contrarium, debet emendari.

Maxima pars difficultatum, quae in exsequenda renovatione liturgiae, praesertim Missae, inveniebantur, ex eo profluit quod nonnulli sacerdotes et fideles non satis sibi exploratas et cognitas habuerunt ipsas rationes theologicas et spirituales, ob quas res secundum principia a Concilio statuta sunt mutatae.

[33] Cf. *ibidem,* n. 97.

[34] Cf. *Institutio generalis Missalis Romani,* n. 276.

[35] Cf. Rituale Romanum, *De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam,* n. 10.

[36] Cf. S. Congr. Rituum, Instr. *Eucharisticum mysterium,* n. 57.

[37] Cf. Rituale Romanum, *De sacra Communione et de cultu Mysterii eucharistici extra Missam,* n. 84.

Sacerdotes oportet altius percipiant sincerum modum Ecclesiam considerandi,[38] cuius vivum quasi documentum est celebratio liturgica, potissimum vero Missa. Sine congruenti institutione biblica sacerdotes fidelibus explicare non valebunt significationem liturgiae ut repraesentationis, per signa factae, historiae salutis. Etiam cognitio historiae liturgiae conferet ad inductas mutationes comprehendendas, non ut novitates sed ut redintegrationem atque accommodationem verae sinceraeque traditionis.

Liturgia praeterea magnam postulat aequilibritatem, quoniam, ut Constitutio *Sacrosanctum Concilium* docet, illa « summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam, cuius proprium est esse humanam simul ac divinam, visibilem invisibilibus praeditam, actione ferventem et contemplationi vacantem, in mundo praesentem et tamen peregrinam; et ita quidem ut in ea quod humanum est ordinetur ad divinum eique subordinetur, quod visibile ad invisibile, quod actionis ad contemplationem, et quod praesens ad futuram civitatem quam inquirimus ».[39] Sine hac aequilibritate verus vultus christianae liturgiae deformatur.

Quo facilius haec praeclara ad effectum deducantur, necesse erit liturgica formatio in seminariis et altioris doctrinae facultatibus provehatur[40] necnon participatio sacerdotum in cursibus, conventibus, congressionibus vel coetibus per hebdomadam de re liturgica habitis, ubi studium et consideratio sacris celebrationibus vim exempli praeferentibus valide compleantur. Hoc enim modo sacerdotes actioni pastorali usque efncaciori se dedere poterunt in liturgica fidelium catechesi, in componendis lectorum manipulis, in formatione sive spiri-

[38] Cf. Conc. Vat. II, Const. dogm. de Ecclesia, *Lumen Gentium.*

[39] Conc. Vat. II, Const. de s. Liturgia, *Sacrosanctum Concilium, n. 2.*

[40] Cf. S. Congr. pro Institutione catholica, Instr. De institutione liturgica in seminariis, *In ecclesiasticam futurorum sacerdotum formationem,* die 3 Iunii 1979.

tuali sive practica ad altare ministrantium, in erudiendis coetuum animatoribus, in paulatim augenda cantuum copia, in omnibus denique inceptis, quae altiorem usque cognitionem liturgiae possint adiuvare.

In renovatione liturgica exsequenda magnum in se recipiunt officium Commissiones nationales ac dioecesanae, Instituta et Sedes liturgiae excolendae, maxime quod attinet ad opus textus liturgicos in linguas vertendi et ad clerum ac populum secundum spiritum renovationis, a Concilio statutae, formandos.

Horum autem collegiorum opus Auctoritati ecclesiasticae oportet inserviat, unde fiat ut haec confidere possit cooperationi fideli in praeceptiones normasque directorias Ecclesiae atque alienae ab inceptis ad arbitrium initis et a particularitatis studio, quibus fructus instaurationis liturgicae pessumdari possint.

Hoc Documentum traditur sacrorum administris decimo anno expleto ex quo Missale Romanum a Paulo PP. VI, secundum praescriptiones Concilii confectum, est promulgatum.

Expedire videtur, ut quaedam verba, ab eodem Pontifice Maximo circa fidelitatem normis celebrationis servandam prolata, in memoriam revocentur: « gravius censendum est, quod illuc divisio inducitur, ubi congregavit nos in unum Christi amor, scilicet in Liturgiam atque in Eucharisticum Sacrificium, cum denegetur obsequium normis de re liturgica statutis. At vero, nomine ipsius Traditionis Nos ab omnibus filiis Nostris atque ab omnibus catholicis communitatibus postulamus, ut cum dignitate pietatisque fervore renovatae Liturgiae ritus celebrentur ».[41]

Episcopi, ut ((moderatores, promotores atque custodes vitae liturgicae in Ecclesiis sibi commissis »,[42] maxime idoneos qui-

[41] *Allocutio in Consistorio Secreto habita* die 24 Maii 1976: *AAS* 68 (1976), 374.

[42] Conc. Vat. II, Decr. *Christus Dominus,* n. 15.

dem modos invenient, quibus sollerter ac firmiter ad effectum adducantur hae normae ad Dei gloriam et bonum Ecclesiae.

Romae, die **III** mensis Aprilis, Feria v in Cena Domini, anno MCMLXXX.

Haec Instructio, a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino confecta, a Summo Pontifice Ioanne Paulo II die XVII mensis Aprilis eodem hoc anno approbata est, qui Sua eam auctoritate confirmans foras dari iussit et ab universis, ad quos pertineret, observari.

IACOBUS R, Cardinalis KNOX
Praefectus

Vergilius Noè
Secretarius adiunctus

SACRA CONGREGATIO PRO CLERICIS

NOTAE DIRECTIVAE DE MUTUA ECCLESIARUM PARTICULARIUM COOPERATIONE PROMOVENDA AC PRAESERTIM DE APTIORE CLERI DISTRIBUTIONE

I.

PROOEMIUM

Quid Concilium Vaticanum II de hac re senserit.

1. **POSTQUAM APOSTOLI** a Christo Domino ad coelum ascensuro missionem acceperunt, qua eius testes constituebantur « usque ad ultimum terrae» *(Act.* 1, 8), eorum labores sollicitudinesque nihil aliud specta-

runt quam ut fideliter expleretur mandatum Christi : ((Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae» *(Me.* 16, 15).

Quod quidem Christi,mandatum fideliter studioseque ad effectum traducere Ecclesia, historia teste, per saeculorum decursum nunquam cessavit. Ac nuper etiam Apostolorum successoribus in Oecumenico Concilio Vaticano II undique terrarum adunatis id ipsum mandatum placuit hisce verbis urgere : « (Pastores) praesertim solliciti sint de illis orbis terrarum regionibus in quibus verbum Dei nuntiatum nondum est aut in quibus, praecipue ob parvum sacerdotum numerum christifideles in periculo versantur a vitae christianae mandatis discedendi, immo et ipsam fidem amittendi». Quam ob rem Episcopis curae sit «ut apti praeparentur sacrorum administri necnon auxiliares tum religiosi tum laici pro missionibus atque regionibus cleri penuria laborantibus »-[1]

Institutio Consilii de Clero aptius distribuendo.

2. Ad quod Concilii propositum efficiendum Summus Pontifex Paulus VI f. r., Litteris Apostolicis *Ecclesiae Sanctae* motu proprio datis, institui iussit apud Apostolicam Sedem peculiare Consilium « cuius erit generalia tradere principia quibus regatur aptior, attentis variarum ecclesiarum necessitatibus, cleri distributio ».[2] Huius autem Consilii sedes, vi Constitutionis Apostolicae *Regimini Ecclesiae Universae,* apud S. Congregationem pro Clericis constituta est.[3]

Sacrum hoc Dicasterium, ad rem quod attinet, iam Conferentias Episcopales consuluit atque de hac materia Congressum Internationalem in Melita insula anno 1970 celebravit.[4] Postquam autem saepe etiam ad commune studium aceita sunt membra huius S. Congregationis atque cetera Curiae Romanae Officia crebro sunt audita, rei momento et opportunitate rite consideratis, directivas notas apparandas curavit, quas per hoc documentum, approbante Summo Pontifice, publici iuris facit.

[1] Decr. *Christus Dominus,* n. 6.

[2] Mp. *Ecclesiae Sanctae,* I, 1, in *AAS* 58 (1966), p. 757 sq.

[3] N. 68, par. 2, *AAS* 59 (1967), p. 885 sq.

[4] *Atti del I° Congresso « pro meliori cleri distributione in mundo », Il mondo è la mia parrocchia,* Roma 1971.

II.

DE NECESSITATE MANDATUM CHRISTI IMPLENDI

Universa Ecclesia ad evangelizandum vocatur.

3. Via ac ratio, qua Ecclesia mandatum Christi adimplere debet, evangelizatio est secundum exemplum ipsius Conditoris, qui primus exstitit Evangelii praeco. Reapse Ecclesia tamquam munus sibi proprium atque praecipuum semper evangelizationem agnovit. Immo hanc tantummodo ob causam ipsa exsistit, ut Episcopi in Synodo anno 1974 adunati sollemniter declaraverunt : « Hoc iterum asseverare volumus, mandatum Evangelii omnibus hominibus nuntiandi primariam naturalemque esse missionem Ecclesiae».[5]

Nemo, igitur, qui in Ecclesiae baptizatus et confirmatus est, ex hoc officio sese eximere potest, quemadmodum a Concilio Vaticano II admonemur : « Cum tota Ecclesia missionaria sit, et opus evangelizationis officium populi Dei fundamentale, S. Synodus omnes ad profundam renovationem interiorem invitat, ut vivam conscientiam propriae responsabilitatis in Evangelii diffusione» habeant.[6]

Licet omnes christifideles pro sua quisque parte cooperari debeant in Ecclesiae missione exsequenda, attamen, ratione habita diversitatis membrorum quoad munera adimplenda,[7] diversum pariter erit officium quod Episcopi, presbyteri, religiosi necnon laici absolvere debent.

Officium Episcoporum.

L Officium evangelizandi in primis est Episcoporum, ad quos pertinet — ((sub Petro et cum Petro »[8] — non solum in opus evangelizationis incumbere pro fidelibus suae cuiusque dioecesis, sed etiam sollicitudinem habere pro totius mundi salute. Ipsi enim « qua membra Collegii Episcopalis et legitimi Apostolorum successores singuli ea sollicitudine pro universa Ecclesia ex Christi institutione et praecepto tenentur[9] quae, etiamsi per actum iurisdictionis non exerceatur, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum».[10]

[5] *Declarationes Patrum Synodalium,* n. 4 «L'Osservatore Romano» (27 octobris 1974, p. 6). Cf. Adhortatio Ap. *Evangelii Nuntiandi,* nn. 6-15, *AAS* 68 (1976), p. 5 sq.

[6] Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 35.

[7] Const. *Lumen Gentium,* n. 13.

[8] Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 38.

[9] Cf. Litt. Enc. *Fidei Donum,* Pii Pp. XII, *AAS* 49 (1957), p. 237.

[10] Const. *Lumen Gentium,* n. 23.

Ac revera Episcopi est omnibus viribus curare ut in fidelibus sibi concreditis a prima aetate suscitetur et alatur sensus vere catholicus,[11] quo ipsi amare possint totum Corpus Christi mysticum, ac praesertim membra diligant quae prae ceteris paupertate ac doloribus laborant et persecutionem patiuntur propter iustitiam.[12] Ipsius est insuper promovere ardorem missionalem in suo populo, ut auxilia sive spiritualia sive materialia Evangelii operariis in terris missionum ne desint; fovere vocationes iuvenum ad opus missionale suscipiendum ; itemque excitare in candidatis ad presbyteratum conscientiam universalitatis sui muneris, ita ut promptos ac paratos se reddant ad operam praestandam etiam extra dioecesim cui sunt addicti.[13]

Munus presbyterorum.

5. Presbyteri, qui una cum Episcopis «in persona Christi Capitis »[14] agunt, modo eminenti collaborant ad regnum Dei in terris dilatandum, sive officium pastoris animarum obeundo, sive verbum Dei predicando, sive Sacramenta Novae Legis fidelibus administrando.[15] Ipsi, igitur, per ministerium suum « Ecclesiam universalem in suo loco visibilem faciunt ».[16]

Ex altera vero parte communitas christiana summopere indiget praesentia sacerdotum, cum ipsa plene constituta dici nequeat, nisi ope sacrificii Christi, quod «per manus eorum nomine totius Ecclesiae in Eucharistia incruente et sacramentaliter offertur » ;[17] quae actio liturgica censenda est centrum congregationis fidelium.[18] Iure igitur merito Synodus Episcoporum anno 1971, de sacerdotio ministeriali agens, declaravit : « Deficiente praesentia et actione illius (sacerdotis) ministerii, quod per manuum impositionem cum oratione recipitur, Ecclesia plenam certitudinem de sua fidelitate ac de sua visibili continuitate habere nequit ».[19]

[11] **Cf. S. Congregatio pro Episcopis, *Directorium de pastorali ministerio Episcoporum,* 1973 n. 43, Romae.**

[12] **Const. *Lumen Gentium,* n. 23.**

[13] **Cf. Decr. *Christus Dominus,* n. 6; Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 38.**

[14] **Decr. *Presbyterorum Ordinis,* n. 2.**

[15] ***Ibidem,* nn. 4, 5, 6.**

[16] **Const. *Lumen Gentium,* n. 28.**

[17] **Decr. *Presbyterorum Ordinis,* n. 2.**

[18] ***Ibidem,* n. 5.**

[19] **I. n. 4. *AAS* 63 (1971), p. 898 sq.**

Iamvero huiusmodi spirituale donum, quod presbyteri per sacram ordinationem recipiunt, « illos non ad limitatam quandam et coarctatam missionem praeparat, sed ad amplissimam et universalem salutis usque ad ultimum terrae; nam quodlibet sacerdotale ministerium participat ipsam universalem amplitudinem missionis a Christo apostolis concreditae».[20] Quam quidem animi dispositionem quilibet sacerdos in se alere debet; si quis vero a Spiritu Domini peculiarem vocationem recipiat, is minime recusabit, consentiente Episcopo, se in alienam dioecesim conferre, ut ibi ministerium suum exercere pergat.

Utcumque est, omnes sacerdotes moveantur oportet necessitatibus Ecclesiae universalis; ac proinde certiores fieri studeant de condicionibus sive Missionum sive etiam particularium ecclesiarum quae peculiari quadam difficultate premantur, ita ud adhortari possint fideles ad succurrendum Ecclesiae necessitatibus.[21]

Cooperatio religiosorum.

6. Religiosi utriusque sexus iam professionis votorum vi intime coniunguntur cum mysterio Ecclesiae, ac proinde ex ipsa peculiari eorum vitae ratione officium consequuntur adlaborandi « ad regnum Christi in animis radicandum et roborandum, illudque ad omnes plagas dilatandum ».[22] Quapropter Concilium Vaticanum II non solum eos hortatur ad missionalem spiritum servandum, sed etiam Instituta religiosa invitat ad sese aptanda hodiernae aetatis condicionibus, salva propria ipsorum indole, hoc quidem proposito, «ut praedicatio Evangelii apud omnes gentes efficacior fiat».[23]

Ad rem quod attinet, religiosi ac religiosae, qui ad Instituta Missionalia pertinent, praeclarum exemplum praebuerunt et nunc etiam praebent vitae Christi causae totaliter mancipatae. In ipsis plane admiranda est illa alacritas, quae proficiscitur ex ipsorum consecratione Deo facta eosque in omnibus promptos ac paratos ad serviendum Deo, Ecclesiae ac fratribus reddit ; nam vi religiosae suae consecrationis iidem « potissimum liberi sunt sponteque valent omnia deserere et abire ad terminos orbis ut Evangelium praedicent».[24]

[20] **Decr. *Presbyterorum Ordinis,* n. 10.**

[21] **Cf. Epistula Apostolica *Graves et Increscentes, AAS* 58 (1966), p. 750 sq.**

[22] **Const. *Lumen Gentium,* n. 44.**

[23] **Decr. *Perfectae Caritatis,* n. 20. Cf. Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 40.**

[24] **Adhortatio Apostolica *Evangelii Nuntiandi,* n. 69.**

Denique religiosus status, cum « donum peculiare » sit, ad bonum universae Ecclesiae ordinatur, cuius missio salvifica minime praetermittere potest religiosorum participationem.[25]

Laicorum vocatio.

7. Laici omnes, vi suscepti Baptismatis et Confirmationis, ab ipso Domino deputantur ad apostolatum peragendum : « vocatio enim christiana, natura sua, vocatio quoque est ad apostolatum ».[26] Qui quidem laicorum apostolatus, etsi praecipue in paroeciis exercetur, extendatur tamen oportet ad alios quoque campos, scilicet interparoeciales, dioecesanos, nationales et internationales ; immo ipsi solliciti esse debent ((de necessitatibus populi Dei in orbe terrarum dispersi » ; idque facere poterunt adiuvando opera missionalia, scilicet auxilia sive materialia sive personalia sacris missionibus ministrando.[27]

Laici praeterea vocari possunt a Hierarchia ad cooperationem magis immediatam apostolatui praestandam; ac revera postremis decenniis Ecclesia manifesto ostendit, quam multiplicibus modis et quam uberibus laici auxiliatricem conferre possint operam ad ipsius salutiferam missionem. Hoc patet ex Adhortatione Apostolica *Evangelii Nuntiandi,* quae in recentioribus experientiis innixa, agit de variis mansionibus, quarum in numero recensentur catechistae, ii qui ministerio Verbi Dei sunt addicti, operum caritatis ministri, communitatum parvarum praepositi etc. Huiusmodi collaboratio laicorum, ubique utilis, in missionibus censetur utilissima ad Ecclesiam condendam, vivificandam et amplificandam.[28]

Omnia igitur Ecclesiae membra sive pastores, sive laici, sive religiosi, suo quisque modo participant missionariam Ecclesiae naturam. Diversitas membrorum, quae respondet variis ministeriis variisque charismatibus, hoc modo est intelligenda iuxta S. Paulum Apostolum, quod « omnia membra non eundem actum habent », sed, aliud alii serviens, efficiunt unum corpus Christi *(Rom.* 12, 4), ut mandatum sibi proprium aptius exsequendi possint ; universa enim Ecclesia a Spiritu Sancto ad cooperandum compellitur ut propositum Dei effectu compleatur.[29]

[25] **Const. *Lumen Gentium,* n. 43. Cf. SS. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, et pro Episcopis: Notae directivae pro mutuis relationibus inter Episcopos et Religiosos in Ecclesia, *AAS* 70 (1978), p. 373 sq.**

[26] **Decr. *Apostolicam Actuositatem,* n. 2.**

[27] ***Ibidem,* n. 10.**

[28] **N. 73; cf. Const. *Lumen Gentium,* n. 33.**

[29] **Const. *Lumen Gentium,* n. 17.**

III.

DE CHRISTI MANDATO NOSTRA AETATE ADIMPLENDO

Tabula statisticae incolarum orbis.

8. Nunc vero, si cogitationem convertimus ad mundum evangelizandum, peculiarique modo ad homines nondum ad christianam fidem adductos, facere non possumus quin animadvertamus impares omnino esse vires, quibus Ecclesia hodie uti potest ad hoc immensae molis opus aggrediendum.

Etenim anno 1977 incolae orbis ad homines 4.094.110.000 numerabantur, quorum nonnisi 739.127.000 erant catholici, hoc est 18 centenae partes summae incolarum totius orbis.[30] Si vero numerus sacerdotum consideretur, respectu habito ad incolas, res ita se habent : pro centum milibus incolarum computantur 2 sacerdotes in Asia, 4 in Africa, 13 in America Latina, 26 in Oceania, 29 in America Septentrionali et 31 in Europa.

Inaequalis virium apostolicarum distributio in Ecclesia.

9. Si porro distributio sacrorum ministrorum inter ipsos catholicos consideretur, tabulae statisticae id ostendunt : pro centum milibus catholicorum numerantur 16 sacerdotes in America Latina, 33 in Africa, 43 in Asia Meridionali et Extremo Oriente, 93 in Europa, 104 in Oceania, 120 in America Septentrionali et 133 in Asia Medio-Orientali.

Exinde, quoad sacerdotum distributionem, hoc animadvertitur discrimen : dum in Europa et in America Septentrionali resident 45% catholicorum universi orbis, ministerium ibidem exercent 77,2% omnium sacerdotum Ecclesiae catholicae; e contra in America Latina et in Insulis Philippinis incolunt universim 45% catholicorum totius Ecclesiae pro quibus spiritualem curam agunt tantummodo 12,62% omnium Ecclesiae sacerdotum. Aliis verbis, dum in Europa et in America Septentrionali pro quodam determinato numero christifidelium adsunt 4 sacerdotes, pro eodem numero in America Latina et in Insulis Philippinis 1 tantummodo sacerdos habetur. Ad eandem fere conclusionem pervenimus, si in iisdem regionibus numerum diaconorum, religiosorum laicorum et religiosarum consideramus.

Verum quidem est problema aptioris ministrorum distributionis

[30] Cf. *Annuarium Statisticum Ecclesiae,* 1977, p. 44.

solvi non posse simpliciter adhibendo considerationem numericam, quia ratio quoque habenda est evolutionis historicae necnon peculiaris status Ecclesiarum particularium quae, si magis progressae sunt, maiorem etiam, uti patet, ministrorum numerum exigunt. Nihilominus indicia statistica, quae supra memoravimus, grave suum pondus servant ac difficiles quaestiones proponunt tum iis qui cordi habent sanum Ecclesiae incrementum, tum iis praesertim qui in Ecclesia auctoritate sunt praediti, ut infra dicetur.

Maximum impedimentum e sacerdotum paucitate oritur.

10. Nostris temporibus, quod maximo impedimento est ad Christi mandatum adimplendum, videtur ponendum esse in numero graviter imminuto vocationum ad sacerdotium et ad vitam religiosam; qua quidem deminutione postremis hisce decenniis laborant multae, si non omnes, regiones antiquitus christianae sive ob paucitatem candidatorum, sive ob dolendam quorundam defectionem, sive etiam ob mediam aeta-. tem sacerdotum sat provectam.

Meminisse tamen iuvat talem sacerdotum penuriam, si ratio habeatur condicionum in quibus egentiores dioeceses versantur, nimis relativam dicendam esse, ut supra relatum est. Revera Cleri paucitas per se causa esse nequit, cur generositas praepediatur. « Dioeceses quae huiusmodi inopia laborant — iam admonuit Summus Pontifex Pius XII — ne excludant a se supplicem vocem quae dissitis sacris expeditionibus invocat opem. Viduae obolus a Domino profertur in exemplum imitandum; si pauper dioecesis alteram diocesim pauperem iuvat, minime potest contingere ut ea inde indigentior fiat, cum Deus se liberalitate vinci non patiatur».[31]

Quaelibet igitur particularis ecclesia secum consideret propheticum illud messianicum effatum: «pauperes evangelizantur» *(Lc.* 7, 28), ne prudentia nimis humana vel terrestris coerceat generosos sensus qui impellunt ad fidei donum afferendum iis omnibus qui hodie «pauperes» quocumque modo appellari possunt. Quare persuasum omnibus esse debet Christi mandatum nullo modo adimpleri posse, si ecclesia particularis ecclesiis indigentioribus id tantum offere velit, quod sibi superfluum esse videatur.

[31] Litt. Enc. *Fidei Donum, AAS* 49 (1957), p. 244.

Consilium Dei et humanarum virium eœiguitas

11. Si numerum catholicorum cum numero hominum non catholicorum comparamus, ac praeterea munus etiam consideramus quod Ecclesia hodie explere debet ut mandatum Christi ad effectum adducat, facile fieri potest ut animo concidamus ; eo vel magis quod scimus huiusmodi proportionem proximo futuro tempore fortasse peiorem fore, atque in dies etiam augescere plurimorum catholicorum indifferentismum, qui est consectarium aliorum maiorum, scilicet saecularismo naturalismi, materialismi, etc., quibus hodie inficitur vivendi ratio in Nationibus antiquitus christianis.

Attamen obliviscendum non est Ecclesiam — si ad eius media tantummodo humana attendatur — semper imparem fuisse excelsae missioni suae in mundo adimplendae; immo talis mediorum insufficientia ab ipso Ecclesiae Conditore praevisa fuit, qui, cum septuaginta duos discipulos designaret, haec dixit : « Messis quidem multa, operarii autem pauci », atque addidit : « Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam » *(Lc.* 10, 2) ; quibus quidem verbis hoc in mentem suorum discipulorum inculcare voluit, scilicet medium omnium efficacissimum ad impedimenta superanda esse precationem, cum hic non de humano quodam conatu aut incepto agatur, sed de divino consilio efficiendo. Per precationem, enim, qua nosmetipsos egere auxilio Dei profitemur, non solum partes nostras sumimus in consilio Dei exsequendo, atque ita animum disponimus ut nos « mitti » sinamus, verum etiam, quod maximi momenti est, in ipsam vocationum multiplicationem efficacem influxum exercemus, cum Dominus messis expresse monuerit numerum operariorum a precatione dependere.

Revelatum quidem nobis est propositum Dei, qui vult omnes homines salvos fieri ; at absconditum et arcanum manet tempus quo regnum Messianicum plenam suam consummationem attinget: «Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate» *(Act.* 1, 7). Quibus verbis innui videtur mandatum Christi, ut plene impleri possit, peculiaribus temporis momentis indigere. Ac revera Ecclesiae historia testatur, saeculis volventibus, aliquando reapse momenta favorabilia advenisse, cum nempe populorum multitudines semen verbi Dei receperunt ; fatendum tamen est alia fuisse et adhuc esse tempora quae, praesertim quibusdam populis, minus favorabilia videntur.[32]

[32] **Cf. Adhortatio Ap. *Evangelii Nuntiandi,* n. 50.**

Investigare autem quaenam sint tempora ac momenta gratiae, et statuere quinam populi maturi iam videantur ad Evangelium amplectendum, ad eos spectat qui, Christi lumine illustrati, signa temporum valent interpretari, atque imprimis ad eos quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei *(Act.* 20, 28). Hoc loco exemplum afferre placet Pii Papae XII, qui per Encyclicas Litteras *Fidei Donum* universis Ecclesiae filiis Africam commendaverat tamquam continentem terram evangelizationi excipiendae iam maturam.[33]

Testimonium Ecclesiae primaevae.

12. Quae omnia testimoniis Ecclesiae primaevae manifesto confirmantur. Acta enim Apostolorum loculenter ostendunt[34] maiores nostros in fide ita reapse sensisse, eorumque apostolicam agendi rationem hanc fuisse, ut scilicet Evangelii nuntios ad alias regiones mitterent, etiamsi sui loci communitas nondum tota ad Christi fidem conversa esset. Hac agendi ratione Apostoli eorumque cooperatores mandato Christi obtemperaverunt: «Euntes docete omnes gentes» *(Mt.* 28, 19), totam spem suam reponentes in voluntate Dei, qui «omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire » *(1 Tim.* 2, 4).

Eadem via ac ratio a Concilio Oecumenico Vaticano II commendatur : « Valde convenit ut Ecclesiae novellae quam primum missioni universali Ecclesiae opere participent, mittendo et ipsae missionarios, qui Evangelium ubique terrarum annuntient, *etsi penuria Cleri laborent));* atque etiam ratio additur : « Communio enim cum Ecclesia universali quodammodo consummabitur cum et ipsae navitatem missionalem ad alias gentes actuose participabunt».[35]

IV.

DE MUNERE ET OFFICIO ECCLESIARUM PARTICULARIUM

Ecclesia particularis ut communitas.

13. Dioecesis, uti ecclesia particularis, est portio populi Dei, quae Episcopo cum presbyterii cooperatione regenda et sanctificanda concreditur.[36] Ut autem vera et viva dioecesana communitas efformetur,

[33] *AAS* 49 (1957), pp. 225 sq.
[34] Cf. 8, 14; 11, 22; 13, 3 etc.
[35] Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 20.
[36] Decr. *Christus Dominus,* n. 11.

requiritur ut minores communitates, ac praesertim paroeciae, in se dioecesis sensum colant, se ipsas tamquam vivas dioecesis cellulas sentiant, atque ita Ecclesiae universalitati inserantur.[37] Quapropter Concilium parochos admonet ipsorum munus ita obeundum esse ut ((fideles atque communitates paroeciales tum dioecesis, tum totius Ecclesiae universalis membra revera se sentiant».[38]

In hac ecclesia particulari «vere inest et operatur Una Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia».[39] Quare dioecesis, in concretis loci ac temporis adiunctis, perfectissime Ecclesiam repraesentare debet, eademque signum tale evadat oportet, ut Christum indicare possit iis omnibus, qui cum ipsa quocumque modo rationes habeant.[40]

Relatio ecclesiae particularis ad alias ecclesias.

14. Cum Ecclesia particularis constituta sit « ad imaginem Ecclesiae universalis »,[41] inde fit ut in eius sinu spes et angor, gaudium et luctus totius Ecclesiae necessario reverberentur. Verum quidem est ecclesiam particularem oportere imprimis evangelizare illam portionem populi Dei, quae ipsius curis commissa est, scilicet eos qui fidem amiserunt vel religionem iam amplius non exercent;[42] nihilominus sanctissimum eius officium etiam est « promovere omnem actuositatem quae toti Ecclesiae communis est».[43]

Hic sequitur ut ecclesia particularis vivere intra suos fines clausa nullo modo possit, sed, utpote viva portio Ecclesiae universalis, debeat ceterarum ecclesiarum necessitatibus patere. Quare eius participatio in universali evangelizandi missione non relinquitur ipsius arbitrio, quantumvis generoso, sed est munus quod ei inhaeret tamquam fundamentalis lex vitae ; nam vitalis eius ardor minuitur, si suis rebus unice intenta, minime curat necessitates aliarum ecclesiarum ; e contra nova vitae ubertate reflorescit, quotiescumque ad alios latius se pandit. Quod quidem officium ac munus ecclesiae particularis praeclare confirmatur a Concilio Vaticano II, quod asserit renovationem, immo et ipsam sanam reformationem ecclesiae particularis pendere a gradu caritatis ecclesialis, quo ipsa fidei donum aliis ecclesiis offerre studet : « Gratia

[37] **Decr.** ***Apostolicam Actuositatem,*** **n. 10.**

[38] **Decr.** ***Christus Dominus,*** **n. 30.**

[39] ***Ibidem,*** **n. 11.**

[40] **Decr.** ***Ad Gentes divinitus,*** **n. 20.**

[41] **Const.** ***Lumen Gentium,*** **n. 23.**

[42] **Cf. Exhortatio Ap.** ***Evangelii Nuntiandi,*** **nn. 55, 56.**

[43] **Const.** ***Lumen Gentium,*** **n. 23.**

renovationis in communitatibus crescere nequit, nisi unaquaeque spatia caritatis ad terminos terrae dilatet, similemque curam habeat de iis qui de longe ac de illis qui propria membra sunt».[44]

Mutuae cooperationis significatio.

15. Ecclesia universalis magnum commodum profecto percipiet, si dioecesanae communitates inter se relationes fovere studuerint, mutuo auxiliorum ac bonorum commercio; hinc illa oritur communio et cooperatio inter ecclesias, quae hodie admodum necessaria est, ut evangelizationis opus feliciter pergat.[45]

Cum sermo est de hoc argumento, saepe locutiones adhibentur ut «dioeceses divites» vel «dioeceses pauperes»; qui quidem loquendi modus in errorem inducere poterit, quasi alia ecclesia solummodo offerat, alia vero solum accipiat auxilium. E contra res aliter se habet; de mutua enim cooperatione agitur, quia adest vera reciprocitas inter has ecclesias; paupertas enim ecclesiae quae opem recipit, divitiorem reddit eam ecclesiam quae donando re aliqua se ipsam privat, idque efficit sive augendo zelum apostolicum communitatis ditioris, sive praesertim communicando suas experientias pastorales, quae saepe utilissimae evadunt, quaeque respicere possunt simpliciorem sed efficaciorem methodum pastoralem, auxiliares laicos apostolicum munus exercentes, parvas communitates etc.

Mutuae huius cooperationis auctores erunt ipsi ministri ab Episcopo selecti, qui veluti nuntios se sentient suae communitatis, cum Christi legatione fungantur apud aliam communitatem.

Quo vividior atque efficacior evadat huiusmodi mutua experientiarum pastoralium communicatio, dioecesis aut etiam magna paroecialis communitas poterunt sibi aliam pauperem communitatem associare veluti geminam sororem, cui, praeter subsidia materialia, etiam aliquos sacros ministros adiutores mittat. Experientia testatur huius generis cooperationem utrique communitati valde prodesse posse.[46]

Necessitas audiendi voces opem implorantes.

16. Quae cum ita sint, ecclesiae particulares in se foveant oportet sensum communis responsabilitatis ac, pronas aures praebendo vocibus

[44] **Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 37.**

[45] ***Ibidem,* n. 38.**

[46] **Cf. Instructio S. Congregationis pro Gentium Evangelizatione, *Pro aptius, AAS* 61 (1969), p. 276 sq.**

opem implorantibus, promptas sese gerere debent ad eos adiuvandos qui auxilio indigent. In primis autem iuvandae videntur ecclesiae novellae, quae gravi sacerdotum paucitate subsidiorumque materialium inopia laborant ; sed auxilium ferendum est etiam illis ecclesiis diu iam fundatis, quae ob varias circumstantias magna debilitate afficiuntur.[47]

Egentioribus ecclesiis maxime prodesse poterunt, uti patet, sacerdotes aliique collaboratores, qui in earum auxilium mittantur. Finis huiusmodi adiutorii non est, uti patet, ut lacunae simpliciter expleantur, sed potius ut apostolicis loci viribus tales sacri ministri inserantur qui, paedagogorum instar, veri fiant adiutores in fide; ita quidem ut illae ecclesiae, salva earum authochtone cultura, paulatim maturiores robustioresque evadant, ac tandem aliquando per se ipsae valeant suis necessitatibus consulere. Hinc patet ratio, cur Episcopi aliique Superiores rogentur, ut ad huiusmodi evangelizationis opus mittant « aliquos e melioribus suis sacerdotibus».[48]

Necessitas structuras ecclesiasticas renovandi.

17. Quo aptius ecclesia particularis respondere possit proprio ipsius muneri, quod postulat ut ceterarum ecclesiarum particularium necessitatibus subveniat, in primis necesse est ut ipsa, intra suos fines, nova ratione vires suas ordinet, traditas structuras recognoscendo ac reformando. Ratio inde petenda est, quod in regionibus antiquitus christianis socialia phoenomena inducta sunt, quae suapte natura societatis structuras immutaverunt; quo fit, ut ipsas structuras ecclesiasticas renovari oporteat, ut mutatis rerum condicionibus respondeant. Ex his novis phoenomenis satis sit memorare : hominum migrationem in regiones industriae incrementis distinctas; nimium vitae urbanae studium et incolarum deminutionem in aliis regionibus; multitudines migrantium sive laboris sive rei politicae causa ;[49] sat diffusas voluptuarias peregrinationes (vulgo *turismo)* per temporis spatium plus minusve diuturnum (v. gr. occasione feriarum vel finis hebdomadae).[50] Haec

[47] **Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 19.**

[48] ***IUdem,* n. 38.**

[49] **Mp. *Pastoralis Migratorum cura, AAS* 61 (1961), p. 601; et Instructio S. Congregationis pro Episcopis, *ibidem,* p. 614 sq. ; Mp. Litterae Circulares P. Commissionis de spirituali migratorum atque itinerantium cura: Chiesa e Mobilità umana, *AAS* 70 (1978), p. 357 sq.**

[50] **Cf. *Directorium Generale pro Ministerio Pastorali quoad « Turismum »* S. Congregationis pro Clericis, in *AAS* 61 (1969), p. 361 sq.**

phaenomena postulant peculiarem praesentiam sacerdotum, qui, uti patet, in hisce mutatis vitae adiunctis novum ac speciale genus curae animarum inire debebunt.

Quamobrem hodie quaestio ponitur utrum et quomodo renovandae sint structurae, quae olim aptae erant ad satisfaciendum spiritualibus necessitatibus populi Dei. Sine dubio huiusmodi renovatio haud facile negotium est atque magna prudentia et circumspectione indiget. Quam ad rem Episcopus, adiuvantibus Consiliis sive Presbyterali sive Pastorali, utiliter apparare poterit organicam quandam laboris rationem, qua aptius adhibeantur ii qui reapse curam animarum gerunt. Differre huius quaestionis solutionem iam non possumus sine gravi Ecclesiae detrimento. Haud raro accidit ut, non obstante lamentabili Cleri paucitate, sint sacerdotes qui se frustratos sentiant, propterea quod munera ab ipsis peragenda totum eorum tempus explere non valeant, ac proinde iure cupiant operosiorem vitam agere.

Quo aptius consulere possit animarum necessitatibus, quae in dies gravius urgent, Episcopus auxiliatricem operam adhibere debet sacerdotum religiosorum qui, ceterum, «vera quadam ratione ad clerum dioecesis pertinere dicendi sunt » ; itemque vocentur oportet ceteri omnes sodales religiosi utriusque sexus qui, licet exempti, in sinu populi Dei vivunt et operantur, quia et ipsi «peculiari ratione ad familiam dioecesanam pertinent » ; in utroque casu debita ratio habenda est indolis propriae cuiuslibet Instituti religiosi.[51] Ad rem quod attinet, Sacrae Congregationes tum pro Episcopis tum pro Religiosis et Institutis Saecularibus nuperrime sapientes normas ediderunt ad mutuas relationes fovendas in campo formationis, actionis et organizationis.[52]

Postremis temporibus Pastores frequentius in dies laicos advocant ad auxiliatricem operam dandam in ecclesialibus communitatibus; hi, libenter varia suscipientes munera, vires suas devovent servitio Ecclesiae vel tota vita vel per quoddam temporis spatium. Hoc modo hodiernis temporibus reviviscit praxis Ecclesiae primaevae, cum laici variis ministeriis sese addicebant iuxta proprias propensiones et charismata, atque iuxta necessitates et utilitates populi Dei « ad maiorem usque fovendam ecclesialis communitatis vivacitatem».[53]

[51] **Decr. *Christus Dominus,* nn. 34, 35.** Cf. ***Ecclesiae Sanctae,* I, n. 36.**

[52] ***AAS* 70 (1978), p. 473 sq.**

[53] **Exhortatio Ap. *Evangelii Nuntiandi,* n. 73.**

V.

DE ORGANIS PROMOVENTIBUS COOPERATIONEM INTER ECCLESIAS PARTICULARES

Conferentiae Episcopales.

18. Quo efficacius evadat cooperatio inter ecclesias particulares, praecipuae ac necessariae partes pertinent ad Conferentias Episcopales, quae ex munere sibi proprio officium habent ordinandi coniunctum actionis pastoralis exercitium. Quam ad rem Paulus PP. VI, f. r. per Apostolicas Litteras motu proprio datas *Ecclesiae Sanctae,* haec praescripsit : « Synodorum Patriarchalium et Episcoporum Conferentiarum erit, attentis Apostolicae Sedis praescriptis, ordinationes statuere et normas pro Episcopis edere, ut apta obtineantur cleri, tum proprii territorii, tum ex aliis regionibus advenientis, distributio qua nempe necessitatibus omnium dioecesium proprii territorii provideatur, atque bono Ecclesiarum in terris Missionum et in Nationibus cleri penuria laborantibus prospiciatur

Quare, praeter necessitatem providendi curae proprii territorii, aliae duae necessitates, quibus consulatur oportet, commendatur Conferentiis Episcopalibus; scilicet nuntiatio Evangelii in territoriis missionalibus et adiutorium praestandum generatim ecclesiis debilioribus. Utraque necessitas incumbit cuilibet ecclesiae particulari; attamen, ut res bene procedat, requiritur collaboratio omnium Episcoporum eiusdem Nationis vel territorii. Ad hisce duabus necessitatibus consulendum duae praescribuntur Commissiones penes singulas Conferentias Episcopales : altera pro Cleri distributione et altera pro Missionibus.[55] Cum haec posterior Commissio instituenda sit ad conscientiam missionalem specifice fovendam, cumque ambae insuper ad finem quodammodo similem spectent, cooperatio inter utramque videtur necessaria, immo aliquando expedit ut eaedem uniantur.

Sollicitudo pro territorio Missionum.

19. Quod attinet ad primam Evangelii nuntiationem, hoc est Missiones, suprema moderatio spectat ad S. Congregationem pro Gentium Evangelizatione, quae «competens est in rebus quae respiciunt omnes Missiones ad regnum Christi ubique diffundendum institutas, ideoque

[54] I, 2.

[55] Mp. *Ecclesiae Sanctae,* I, 2, III, 9.

in constituendis et mutandis necessariis ministris atque circumscriptionibus ecclesiasticis ; in proponendis iis qui easdem regant ; in efficientiore provehendo clero autochthone, cui pedetemptim maiora attribuantur munera et regimen ; in dirigenda et coordinanda tota activitate missionali ubique terrarum, tum quoad ipsos praecones Evangelii, tum quoad cooperationem missionariam fidelium».[56]

Conferentiarum autem Episcopalium est promovere actuosam participationem Cleri dioecesani in apostolatu sacrarum Missionum ; statuere certam stipem pro operibus missionalibus; arctiores in dies fovere necessitudines cum Institutis missionalibus atque operam dare ut erigantur aut iuventur Seminaria quae Missionibus destinantur.[57]

Semper ad opera missionalia quod attinet, Commissio Episcopalis specialis, penes quaslibet Conferentias Episcopales constituta, promovere debet activitatem missionalem necnon recte ordinare collaborationem inter dioeceses ; quapropter fovere debet relationes cum aliis Conferentiis atque operam dare ut aequitas in auxilio Missionibus ferendo pro viribus servetur.[58]

Sollicitudo pro ecclesiis particularibus debilioribus.

20. Ut supra dictum est, Conferentia Episcopalis alteram instituere debet Commissionem Episcopalem « cuius erit necessitates variarum dioecesium territorii (proprii) atque etiam earum possibilitates de proprio clero cedendi aliis Ecclesiis indagare, ad exsecutionem adducere conclusiones a Conferentiis definitas et probatas easque ad Episcopos territorii perferre, cleri distributionem respicientes».[59]

Quare ad hanc Commissionem duo munera spectant, quorum prius positum est in removendis inaequalitatibus quae in proprio territorio forte inveniantur. Etenim haud raro magnum animadvertitur discrimen inter dioeceses quoad numerum sacerdotum, cum nonnullae dioeceses sacerdotibus abundent, in aliis vero ob sacerdotum penuriam ipsa fidei conservatio in periculum adducatur.

Alterum autem munus respicit curam adhibendam erga ecclesias particulares, quae extra proprii territorii fines sitae sunt, ut iisdem

[56] **Const. Ap. *Regimini Ecclesiae Universae,* n. 82, *AAS* 59 (1967), p. 885 sq.**

[57] **Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 38.**

[58] **Mp. *Ecclesiae Sanctae,* III, 9.**

[59] **Mp. *Ecclesiae Sanctae,* I, 2.**

auxilia afferantur vi illius communionis inter ecclesias particulares, de qua supra sermo habitus est.

Huiusmodi labor hac ratione peragatur, ut in primis investigatio instituatur circa necessitates, comparando numerum fidelium cum pastorum numero; ac deinde Conferentiae Episcopali proponatur schema de urgentioribus necessitatibus et de possibilitate adiuvandi ecclesias debiliores.

Quod autem attinet ad hoc alterum Commissionis munus, laudabilia sane incepta iam inita sunt, quae in hoc campo laetos afferunt fructus.[60]

Cooperatio cum Consiliis Superiorum Religiosorum.

21. Ad recte coordinandas activitates ministeriales et opera apostolatus in territorio eiusdem Conferentiae Episcopalis, requiritur arcta collaboratio inter Clerum dioecesanum et Instituta religiosa. Promovere huiusmodi collaborationem spectat ad Conferentiam Episcopalem. Cum autem felix exitus communis laboris valde pendeat ab agendi ratione quae, particularibus utilitatibus posthabitis, ad generale bonum Ecclesiae unice spectet, expedit ut Episcopi et Superiores religiosi statis temporibus una simul conveniant ad communia negotia tractanda sui territorii.[61] Hac de causa Litterae Apostolicae motu proprio datae ***Ecclesiae Sanctae*** praescribunt institutionem Commissionis mixtae inter Conferentias Episcopales et Consilium Nationale Superiorum Maiorum ad examinandas quaestiones quae utrique parti communes sint.[62] Argumentum praecipuum, de quo in sessionibus huius mixtae Commissionis agendum erit, reapse aequiorem opportunioremque virium apostolicarum distributionem respiciet, simul in luce ponendo prioritates et optiones faciendas in communi nisu promovendi actionem pastoralem

[60] Ad fovendas relationes cum dioecesibus Americae Latinae exstant sequentes Commissiones Episcopales: in Belgio COPAL, in Gallia CEF AL, in Italia CEIAL, in Hispania CECADE-OCSHA, in Germania Foederata «Adveniat», in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis NCCB-LAB, in Canada OCCAL, etc.; hae omnes cooperantur cum Commissione Pontificia pro America Latina (CAL), quae intimam consuetudinem habet cum Consilio Episcopali Latino-Americano (CELAM). Habetur insuper Consilium Generale Pontificiae Commissionis Americae Latinae (COGECAL) ad quod constituendum concurrunt CAL, CELAM, praesides Commissionum Episcopalium Nationalium supra memoratarum, necnon praesides Unionis Internationalis Superiorum Generalium et praeses Confoederationis Religiosorum Americae Latinae.

[61] Decr. *Christus Dominus,* n. 35, 5°, 6°.

[62] II, 43. Cf. SS. Congr. pro Religiosis et Institutis Saecularibus et pro Episcopis, *Notae directivae,* nn. 60-65, *AAS* 70 (1978), p. 503 sq.

consociatam.[63] Deliberationes autem talis Commissionis postea, ratione competentiae, subiciendae erunt iudicio Conferentiae Episcopalis et Consilii Superiorum religiosorum.[64]

Conscientia fidelium excitanda.

22. Numquam satis urgetur id quod primum ac praecipuum utriusque Commissionis officium habendum est, scilicet officium assidue edocendi fideles sive de necessitatibus Missionum sive de ecclesiis particularibus quae in difficilibus condicionibus versantur. Quare opus est, ut ipsae omnia ad id adhibeant instrumenta communicationis socialis, adiuvent ac diffundant commentarios et alia huius generis scripta, itemque opportuna rerum agendarum programmata praeparent aut iisdem efficiendis cooperentur, ita ut de hac re problemata bene in comperto sint posita.

Quibus omnibus, praeter rectam et celerem informationem, illud etiam propositum est, ut fideles magis magisque conscii reddantur suarum responsabilitatem, iidemque, per maturam actuosamque ecclesiarum particularium cooperationem, vividiorem in dies sensum catholicitatis assequantur.[65]

VI.

DE SS. MINISTRIS IN ALIENAS DIOECESES MISSIS

Necessitas vocationis specialis.

23. Licet omnes christifideles opus evangelizationis modo suo participare debeant, nihilominus qui sacrum ministerium in aliena dioecesi perfungi desiderat, speciali indiget vocatione. Iamvero tota communitas, promovente Episcopo, precibus et operibus paenitentiae impetrare tenetur a Spiritu Sancto dona vocationum, ita ut praesto sint sacerdotes, religiosi et laici qui, relicta patria domo, exeant ad mandatum Christi in alieno agro implendum.[66]

Ad animos iuvenum praeparandos quod attinet, iam inde a prima aetate in iisdem mens vere catholica inculcanda est; quod vero spectat

[63] Decr. *Perfectae Caritatis,* n. 23.

[64] *Notae directivae, n.* 63, *AAS* 70 (1978), p. 504.

[65] Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 36.

[66] *Ibidem,* n. 23. Cf. Decr. *Optatam totius,* n. 2.

ad sacerdotii candidatos, eo semper enitendum est in iis instituendis, ut ipsi, praeter amorem dioecesis ad cuius servitium ordinantur, erga universam quoque Ecclesiam sensum sollicitudinis colant.[67]

Idoneitas ministrorum.

24. Haec tamen specialis vocatio praesupponit aptam indolem et peculiares dotes naturales. E qualitatibus psychicis videntur necessaria esse constantia animi ac sincerus servitii animus. In discernendis igitur spiritibus Superiores magnam adhibeant curam ad aptos idoneosque candidatos reperiendos. Cum vero optandum sit ut Episcopi sacerdotes optimae notae ad hoc opus mittant, hi non solum secura doctrina sacra optime instructi sint oportet, verum etiam fide robusta, spe indeficienti zeloque animarum excellere debent,[68] ut fidem in aliis, quantum in ipsis est, revera gignere valeant.

Praeparatio necessaria.

25. Cuncti ministri qui alienam dioecesim petunt, indigent praeparatione in iis quae ad politiorem humanitatem, orthodoxam doctrinam et apostolicam vivendi formam spectant. Qui vero ad dioecesim alterius Nationis Evangelii nuntiandi causa migraturi sunt, insuper modo speciali formandi sunt : nempe debent cognoscere illius populi culturam et religionem; magni aestimare linguam et mores; acquirere scientiam sermonis una cum cognitione condicionum socialium, usuum ac consuetudinum ; perspicere demum ordinem moralem et ideas intimas, quas ille populus secundum sacras suas traditiones de Deo, de mundo et de homine sibi efformaverit.[69]

Conventio facienda de transitu.

26. Transitus ministrorum, praesertim sacerdotum, ab una in aliam dioecesim ordinate fiat. Ordinarius *a quo* notitias sinceras et apertas Ordinario *ad quem* exhibeat de mittendis, praesertim si motiva transitus in suspicionem veniant.

Necesse est omnino ut iura et officia sacerdotum qui sponte ad talem transitum sese offerunt, accurate definiantur per conventionem scrip-

[67] **Decr. *Optatam totius,* n. 20.**

[68] **Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 25.**

[69] ***Ibidem,* n. 26.**

tam inter Episcopum *a quo* et Episcopum *ad quem*;[70] quae conventio ipsius quoque sacerdotis interventu exarata, ut vigorem iuris habeat, a sacerdote accipi et subscribi debet ; exemplar vero conventionis asservetur apud sacerdotem et apud utramque Curiam.

Similis conventio fiat etiam cum auxiliaribus laicis ; quoad religiosos, observandae sunt etiam Constitutiones Instituti, cui religiosus est ascriptus. Idem principium valet quoad numeros sequentes, congruis congrua referendo.

Obiectum conventionis.

27. In hac conventione definiantur oportet :

a) spatium temporis servitii peragendi; *b)* officia a sacerdote obeunda ac locus ministerii et habitationis, ratione tamen habita vitae condicionum in regione, quam sacerdos petit; *c)* subsidia quaelibet a quo et quaenam praestanda ; *d)* cautiones sociales in casu aegrotationis, inhabilitatis et senectutis. Addi utiliter poterit, si casus ferat, possibilitas patriam invisendi post certum quoddam temporis spatium.

Quae conventio mutari nequit, nisi accedat consensus eorum, quorum interest. Firmum manet ius Episcopi *ad quem* sacerdotem in propriam dioecesim remittendi, praemonito Episcopo *a quo,* servata utique naturali et canonica aequitate, si ministerium eius noxium evaserit.

De officiis episcopi a quo *et* ad quem *erga sacerdotes.*

28. Erga sacerdotes qui sacrum ministerium extra propriam dioecesim exercent, Episcopus *a quo* peculiarem sollicitudinem pro viribus gerat, eosque consideret uti membra suae communitatis procul agentes ; idque faciat sive per commercium epistulare, sive eos visitando per se aut per alios, sive adiuvando iuxta tenorem conventionis. Episcopus vero *ad quem,* qui horum sacerdotum auxilio fruitur, sponsor manet eorum vitae sive materialis sive spiritualis, item secundum conventionem.

Sacerdotes membra presbyterii alienae dioecesis.

29. Ad regiones quae lingua, moribus, condicionibus socialibus notabiliter differunt, nisi peculiaris urgeat necessitas, de more singuli sacerdotes ne mittantur, sed potius coetus, ita ut mutuo sibi adiutorio

[70] **Mp.** ***Ecclesiae Sanctae,*** **I, 3, par. 2.**

sint.[71] Qui coetus tamen clero locali ita sese inserere studeat, ut fraternae collaborationi praeiudicium minime afferatur.

Sacerdotes in alienam dioecesim ingressi Episcopum loci revereantur eidemque iuxta conventionem oboedientiam praestent. Quoad modum vivendi, sese accomodent condicionibus sacerdotum autochthonum, eosque amicitia prosequi studeant, cum omnes unum efforment presbyterium sub auctoritate Episcopi.[72] Proinde ipsi ita communitati locali inseri debent ac si nativa membra essent illius ecclesiae particularis; quod non communem animi disponibilitatem exigit et altum spiritum servitii. Ipsi, cum sint ministri novae familiae addicti, a criticis iudiciis de ecclesia locali ferendis sese abstineant, relinquendo tale munus propheticum Episcopo, qui plenam habet responsabilitatem regiminis ecclesiae particularis.

Reditus sacerdotum in patriam.

30. Sacerdotes qui, elapso temporis spatio in conventione statuto, ad propriam redire cupiunt dioecesim, libenter recipiantur ; huiusmodi reditus, pari modo ac missio, praeparetur oportet. Ii omnibus iuribus gaudeant in patria dioecesi, cui incardinati remanserunt, ac si in ea sacro ministerio sine intermissione addicti fuissent.[73] Iidem per varias experientias, quibus callent, non parvum spirituale emolumentum propriae dioecesi afferre possunt; redeuntibus insuper spatium temporis sufficiens concedatur ad nova ministeria assumenda, ut immutatis condicionibus, quae interim evenerint, sese accommodare valeant.

Incardinatio in dioecesi hospita.

31. Quoad incardinationem sacerdotum in alienis dioecesibus consequendam, in vigore adhuc manent praescripta Codicis Iuris Canonici. Ad incardinationem, tamen, ope legis obtinendam, Litterae Apostolicae *Ecclesiae Sanctae* novam praebent normam, quae scilicet rationem habet servitii peracti : « Clericus autem qui a propria dioecesi in aliam legitime transmigraverit, huic dioecesi, transacto quinquennio, ipso iure incardinatur, si talem voluntatem in scriptis manifestaverit tum Ordinario dioecesis hospitis tum Ordinario proprio; nec horum alteruter ipsi contrariam scripto mentem inter quattuor menses significaverit».[74]

[71] **Decr. *Presbyterorum Ordinis,* n. 10.**

[72] **Decr. *Ad Gentes divinitus,* n. 20.**

[73] **Mp. *Ecclesiae Sanctae,* I, 3, par. 4.**

[74] ***Ibidem,* I, 2 par. 5.**

CONCLUSIO

Hodiernae Ecclesiae condiciones, praesertim quod attinet ad sacrorum ministrorum numerum plane imparem urgentioribus evangelizationis necessitatibus, tales sunt ut multos ad deteriorem rerum interpretationem inclinare possint et quamdam ingenerent animi deiectionem circa futuram Ecclesiae sortem.

Quae iudicandi ratio christiano homine digna non est, ac multo minus addecet animarum pastores.

Revera huiusmodi consideratio unum tantum ex aspectibus, non autem totam ecclesialis realitatis veritatem complectitur, si mens vult res attingere non levi et externa ratione, sed christiano modo, scilicet lumine fidei ; huius enim supernae lucis ope nos valemus inter vicissitudinum humanarum contextum introspicere praesentiam vivam atque operantem Spiritus Sancti, qui Ecclesiam animat eamque infallibiliter perducit ad Dei consilium pro hominum salute perficiendum, acerrimis non obstantibus impugnationibus quae Ecclesiae cursum praepedire conantur.

Quemadmodum, igitur, per totum historiae Ecclesiae decursum in opere evangelizationis praecipue Spiritum Sanctum agere agnoscimus sive christianos permovendo ad regnum Dei propagandum, sive hominum corda aperiendo verbo Dei, ita pariter sub eiusdem Spiritus ductu futurus Ecclesiae cursus est positus. Interim, proprium nostrum omnium officium hoc est, ut Spiritum Domini instanter precemur, nosmetipsos eius divinis impulsionibus fidentes ac dociles committamus, totis viribus adlaborantes, ut apud christifideles persuasio de natura missionaria Ecclesiae vivida perstet, itemque magis magisque crescat conscientia officiorum, quibus singuli christiani ac praesertim animarum pastores tenentur erga Ecclesiam universalem.

Quem quidem laborem peragere ac vivificare studeamus, semper ducti atque animati superna illa spe « quae non confundit » *(Rom.* 5, 5), utpote quae innitatur in verbis Christi, qui discipulos suos relicturus inter insidias et hostiles vires huius mundi pollicitus est: «Ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi» *(Mt.* 28, 20), «Confidite, ego vici mundum» *(Io.* 16, 33).

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis pro Clericis, die 25 mensis Martii, anno 1980, in sollemnitate Annuntiationis Domini.

SILVIUS Card. **ODDI,** *Praefectus*

© Maximinus Romero De Lema, Archiep. tit. Civitatis novae, *a Secretis*

SACRA CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

PROVISIO ECCLESIARUM

Decretis Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, Ioannes Paulus PP. II iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit. Videlicet :

die 20 Decembris 1979. — Titulari episcopali Ecclesiae Uzipparitanae R. D. Matthiam U Shwe, e clero saeculari autochthone, Rectorem Seminarii Maioris Rangunensis Archidioecesis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Ioannis Baptistae Gobbato, Episcopi Taunggyiensis.

die 28 Ianuarii 1980. — Cathedrali Ecclesiae Bondoënsi R. D. Marcellum Bam'ba Gongoa, e Dioecesi Butana eiusdemque Scholarum catholicarum coordinatorem.

— Cathedrali Ecclesiae Kolensi R. P. Ludovicum Nkinga Bondala, Congregationis Immaculati Cordis Mariae sodalem, hactenus Superiorem Missionariorum de Scheut Kinshasanae Provinciae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Caudinae R. P. Georgium Dion, Missionariorum Oblatorum B. M. V. Immaculatae Congregationis sodalem, radiophonicae divulgationis socio-religiosae in civitate Manilensi artificem, quem constituit Vicarium Apostolicum Ioloënsem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Tadamatensi R. D. Paridem Taban, e clero saeculari autochthone, curionem in oppido vulgo Loa nuncupato, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Irenaei Wien Dud, Archiepiscopi Iubaènsis.

die 9 Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Sinnensi R. D. Paulum Fouad Tabet, e clero archidioeceseos Heliopolitanae et Mariammensis Maronitarum, Praelatum honorarium et munere Consiliarii Nuntiaturae Apostolicae fungentem, quem archiepiscopali dignitate ornavit atque Pro-Nuntium Apostolicum in Trinidad et Tobago, Barbados, Jamaica et Bahamas Nationibus, necnon Delegatum Apostolicum in Antillarum Regionibus constituit.

die IS Februarii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aquaenovensi in Proconsulari R. D. Laurentium Monsengwo Pasinya, e clero Inongoënsi, Conferentiae Episcopalis Zairensis Secretarium Generalem, quem

deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Leonis Lesambo Ndamwize, Episcopi Inongoënsis.

die 6 Martii. — Metropolitanae Ecclesiae Tharensi et Nonsengensi R. D. Laurentium Khai Saen-Phon-On, eiusdem Archidioecesis Vicarium Generalem.

— Metropolitanae Ecclesiae Rabaulensi R. P. Albertum Bundervoet, Congregationis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu sodalem necnon Adsistentem Generalem.

— Cathedrali Ecclesiae Muyinganae R. P. D. Rogerum Mpungu, e clero autochthone, hucusque Administratorem Apostolicum eiusdem Dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Patnensi R. P. Benedictum I. Osta, Iesu Societatis, parochum ecclesiae cathedralis necnon Vicarium eiusdem Dioecesis Generalem.

— Cathedrali Ecclesiae, noviter erectae in India, Muzaffarpurensi R. P. Ioannem Baptistam Thakur, Societatis Iesu sodalem, in civitate Patnensi Sancti Xaverii Scholae rectorem.

— Cathedrali Ecclesiae, nuper erectae, Hamiltonensi in Nova Zelandia Exc.mum P. D. Eduardum Gaines, hactenus Episcopum titularem Sancti Secundini in Dominica atque Aucopolitani Episcopi Auxiliarem.

— Cathedrali Ecclesiae, noviter erectae in Nova Zelandia, Palmerstonaquilonianae R. D. Petrum Iacobum Cullinane, professorem Theologiae in Seminario Maiore Nationali de Mosgiel.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bigastrensi R. D. Alfonsum Coto Monge, e clero Archidioeceseos Sancti Iosephi in Costarica, rectorem Seminarii Centralis eiusdem Archidioecesis, quem Vicarium Apostolicum Limonensem constituit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Girumontensi R. D. Antonium Selvanayagam, Generalem Kuala Lumpurensis Archidioecesis Vicarium, quem eiusdem Archidioecesis Exc.mi P. D. Dominici Vendargon, Ordinarii, Auxiliarem deputavit.

die 18 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Macrensi in Mauretania R. D. Paulum Puente, e clero Santanderiensi, Praelatum honorarium Sanctitatis Suae, quem archiepiscopali dignitate ornavit atque Pro-Nuntium Apostolicum in Indonesiana Republica nominavit.

die 28 Martii. — Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Andreae Makarakiza Archiepiscopi Kitegaënsis in Burundia Ecclesiae Metropolitanae, constituit Exc.mum P. D. Ioachimum Ruhuna, hactenus Episcopum Ruyigiensem, quem archiepiscopali dignitate ornavit.

— Cathedrali Ecclesiae Gibutensi E. P. Michaelem Iosephum Gerardum Gagnon, e Societate Missionariorum Africae, eorundem Sodalium Superiorem in Medio Oriente atque Maris Rubri Regione operantium necnon Vicarium Exc.mi P. D. Bernardi Ioannis Gremoli, Arabiae Vicariatus Apostolici Ordinarii, Delegatum pro Iemenitarum Septemtrionali Statu.

— Cathedrali Ecclesiae, noviter erectae in India, Imphalensi Exc.mum P. D. Iosephum Mittathany, hactenus Episcopum Tezpurensem.

— Cathedrali Ecclesiae Kilvaënsi-Kasengaënsi R. D. Dominicum Kimpinde Amando, e clero Dioeceseos Kalemiensis-Kirunguensis eiusdemque Vicarium Generalem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aquensi in Mauretania R. D. Ferdinandum Iosephum Fonseca, Archidioecesis Bombayensis Vicarium Generalem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Simonis Ignatii Pimenta, Bombayensis Archiepiscopi.

die 19 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Ruyigiensi R. D. Iosephum Nduhirubusa, Cancellarium curiae episcopalis et professorem Theologiae Moralis apud Seminarium Maiorem Regionalem in Buiumburaënsi civitate.

die 24 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Bosetanae R. D. Antonium Magnoni, e Archidiocesi Mutinensi, Praelatum honorarium ac Sacrae Congregationis pro Sacramentis Subsecretarium, quem archiepiscopali dignitate ornavit atque Pro-Nuntium Apostolicum in Nova Zelandia inque Fisiensibus Insulis necnon Delegatum Apostolicum in Oceani Pacifici Regione constituit.

NOMINATIONES

Decretis ut infra datis Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit :

die 9 Februarii 1980. — R. P. Hieronymum Michaelem Martin, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, *Administratorem Apostolicum « ad nutum Sanctae Sedis »* dioeceseos Berberatensis.

die 18 Martii. — Exc.mum P. D. Gabrielem Montalvo, Archiepiscopum titulo Celenensem, *Delegatum Apostolicum* in Libyco Statu.

die 26 Aprilis. — Exc.mum P. D. Ioannem Iosephum Larrañeta Olleta, Episcopum titularem Marazanensium regionum, *Vicarium Apostolicum* Portus Maldonadi Vicariatus Apostolici.

die 2 Maii. — R. P. Ioannem Berchmans, in saeculo Eugenium Jung, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum, *Administratorem Apostolicum* Insularum Comorensium Apostolicae Administrationis.

SACRA CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

CADUKCEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Alani de Solminihac, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, Episcopi Cadurcensis.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Vitae religiosae et ecclesiasticae disciplinae restitutor, Venerabilis Servus Dei Alanus de Solminihac, qui Concilii Tridentini decreta ad effectum deducere summo studio et inconcussa constantia est annisus, statim postquam anno 1659 ad superos evolavit praeclara sanctitudinis fama atque multiplici sanationum gratia coepit clarere, ita ut thaumaturgus Galliae inter occidentem et meridiem spectantis passim praedicaretur. Quae quidem signa famam virtutum comprobare videbantur, quibus se exercuerat, quasque eum, heroum in modum, coluisse Pius Pp. XI die 19 mensis Iunii anno 1927 edixit; qui hunc praesulem sancto Carolo Borromaeo comparare non dubitavit in opere efficiendi ut Ecclesia esset « sancta et immaculata, non habens maculam aut rugam » (cfr. ***Eph.,*** 5, 27).

Inter plura autem sanctitatis signa, Venerabilis Alani de Solminihac intercessione a fidelibus impetrata, praecipuum hoc pro eius Beatificatione propositum est, quod puellae Mariae Ladoux, quattuor vel quinque annorum aetatem agenti, obtigit. Die enim 27 mensis Iunii anno 1661, eius pater, professione mercator, cum sedem ex urbe Monte Albano (vulgo *Montauoan),* in Gallia, ad pagum v. dictum *Montcucq,* in finibus dioeceseos Cadurcensis, mutaret, ipsam puellam posuit in ampla cista, suppelectili plena, quam equo aptaverat. Sed perdurante itinere corruit equus et malo fato puella se in cultrum impegit, qui in cista erat, et graviter in vesica vulnerata est, ita ut vesica ipsa per vulnus exonerare tur.

Medici, dominus Pages, qui primas praebuit curas vespere ipsius diei 27 Iunii, et dominus Petrus Durant, medicae artis professor apud studiorum universitatem Cadurcensem, qui biduo post puellam visitavit,

singillatim et communi consilio vulnus in vesica esse mortale, therapiam illius tempestatis haud esse efficacem ad casum, aliosque convocare peritos esse prorsus inutile ; hinc prognosim infaustam quoad vitam edixerunt. Qua sententia audita, puellae parentes ad Venerabilis Alani de Solminihac intercessionem confugerunt, et emisso voto, genibus positis, sese ad Venerabilis sepulcrum petituros ibique Missae sacrificium per sacerdotem oblaturos puellamque illuc adducturos promiserunt, si convaluisset. Et ecce, dictu mirabile ! Dum eodem die 29 mensis Iunii puellae pater peregrinationem instituit, vulnus in vesica clauditur, ita ut deinde ipsa per viam naturalem evacuaretur ; atque postero die etiam vulnus in ventre sanatum est. Quam perfectam sanationem medici paucos post dies plene agnoverunt praeter naturae leges evenisse.

Hac super sanatione, simulque super aliis undecim sanationibus, quae mirae ferebantur, nostri Venerabilis intercessioni tributis, facta est, instantibus Canonicis Regularibus Cadurcensibus, ne probationes périrent, ab Ordinario Cadurcensi canonica investigatio, et quidem mense Decembri anno 1661, duobus scilicet vix transactis annis a pio obitu eiusdem Venerabilis. Aliae quoque eiusmodi investigationes institutae sunt eadem in ecclesiastica Curia Cadurcensi insequentibus annis usque ad annum 1665. Varias autem ob causas Processus, qui vocabatur, Ordinarius Informativus super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere Servi Dei nonnisi ab anno 1769 ad annum usque 1775 actus fuit. Inter miras sanationes tunc propositas et casus praedictae puellae Mariae Ladoux pervestigatus est.

C'est l'Eveque de Rome qui vient à vous, c'est-à-dire le Chef spirituel de la communauté catholique de Rome. Mais il a en même temps la charge d'être le Centre d'unité entre les chrétiens du monde entier, d'être leur Pasteur, comme les pasteurs de troupeau qui n'oublient aucune brebis. Dans cette léproserie, tous ne sont pas catholiques; je respecte leurs sentiments religieux, leur façon de s'adresser à Dieu, selon leur conscience. Car personne n'est dispensé de se tourner vers Dieu ; et comment l'oublier quand la misère nous étreint? Mais je crois que j'ai une bonne parole pour tous. Car le Christ Jésus, le Fils de Dieu, que je sers et que je représente parmi vous, s'est arrêté avec prédilection devant la souffrance humaine, la maladie, l'infirmité, et surtout

* **Die 12 m. Maii a. 1980.**

l'infirmité qui met un peu à l'écart des autres, comme la lèpre, et qui crée ainsi une double souffrance. Certes, il est venu pour tous, afin que tous, grands et petits, riches ou pauvres, justes et pécheurs sachent que le Boyaume de Dieu leur était ouvert, que l'Amour de Dieu était sur eux, que la vie de Dieu leur était destinée, moyennant la foi et la conversion. Le Pape aussi s'adresse à tout le peuple et, s'il rencontre spécialement les chefs spirituels et civils, c'est parce que leurs responsabilités sont plus vastes, pour le bien d'un grand nombre. Mais je faillirais à ma mission si je ne passais pas un temps appréciable avec ceux que Jésus aimait particulièrement, à cause de leur misère, parce qu'ils avaient besoin de réconfort, de soulagement, de guérison, d'espérance. J'ai donc voulu que ma visite ultime en Afrique soit pour vous. Et à travers vous, je visite en esprit et j'embrasse tous les autres lépreux et infirmes de ce pays, et de toute l'Afrique.

2. Grâce à la médecine, grâce au zèle d'admirables pionniers, grâce au dévouement quotidien de nombreux infirmiers et infirmières, d'amis de toute sorte qui vous aident, parmi lesquels beaucoup de religieux, grâce aussi aux responsables civils qui ont favorisé cette prise en charge, on a pu améliorer votre sort; non seulement votre santé mais votre environnement, en vous permettant souvent de vivre comme dans un village, en famille. Maintenant la lèpre ne fait plus peur comme avant, surtout si on la dépiste et si on la soigne assez tôt. Je me joins à vous pour remercier tous ces amis des lépreux, qui vous consacrent leur vie. Sans le savoir peut-être ou sans le croire, ils font exactement ce que le Christ a demandé. Que Dieu les soutienne et les récompense !

3. Mais je suis sûr aussi qu'ils reçoivent de vous des consolations.

Non seulement parce que vous les aimez, mais parce qu'ils admirent votre patience, votre sérénité, votre courage, la solidarité qui vous lie entre vous, le sens familial que vous gardez. Car vous n'êtes pas seulement des assistés : vous vous prenez en charge, vous faites tout pour vivre, pour marcher, pour travailler, avec les moyens pauvres, avec les membres handicapés que la maladie vous laisse. Cet espoir est beau. J'en suis moi-même ému. Ce désir de vivre plaît à Dieu, et je vous souhaite de le développer. Vous êtes, pourrait-on dire, vos propres médecins.

4. Mais je ne viens pas seulement pour vous donner cet encouragement humain. Je viens pour confirmer ce que des prêtres, des sœurs,

des laïcs chrétiens vous ont sans doute déjà dit: dans votre misère, Dieu vous aime. Ce mal ne correspond pas à son dessein d'amour. Et vous-mêmes n'en portez nullement la faute. N'y voyez pas une fatalité. Voyez-y seulement une épreuve. Le Christ que nous adorons a subi lui-même une épreuve, celle de la Croix, une épreuve qui l'a défiguré, et cela sans aucune faute de sa part. Il s'en est remis à Dieu, son Père. Il s'est tourné vers Lui pour demander aussi la délivrance. Mais il a accepté ; il a offert. Et sa souffrance est devenue pour d'innombrables hommes, pour vous, pour moi, une cause de salut, de pardon, de grâce, de vie. C'est un grand mystère que cette solidarité dans la souffrance. C'est le cœur de notre religion. Ceux qui sont chrétiens comprennent mon langage. Votre souffrance, accueillie, portée avec patience, amour des autres, offerte à Dieu, devient source de grâce, pour vous auxquels le Seigneur réserve son paradis, et pour beaucoup d'autres. Vous pouvez aussi prier pour moi, et pour tous ceux qui me confient leur misère.

Que Dieu vous aide ! Que Dieu vous donne la paix !

5. Je me tourne maintenant vers ceux d'entre vous qui ont ouvert leur âme à la foi en Jésus-Christ Sauveur et qui ont reçu le baptême et la confirmation, après une longue préparation. Quelle grâce ! Il sont visiblement agrégés à la famille des chrétiens, l'Eglise. Après avoir renoncé au démon et à ses séductions et proclamé leur foi, ils ont reçu eux aussi, comme nous, avec le pardon de leurs péchés, la vie du Christ, pour avoir part à son sacrifice et à sa résurrection. L'amour de Dieu est répandu dans leur cœur par l'Esprit Saint. Ils pourront recevoir en nourriture le Pain sacré qui est le Corps du Christ. Ils sont habités par Dieu, Père, Fils et Saint-Esprit. Et ils deviendront à leur tour les témoins de l'amour du Christ pour leurs frères souffrants.

Que Dieu vous bénisse, chers fils et filles ! Qu'il bénisse tous les habitants de cette léproserie ! Qu'il bénisse tous vos frères qui souffrent de la lèpre ainsi que leurs familles, leurs amis et ceux qui les assistent !

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI

DECLARATIO DE EUTHANASIA

Iura et bona quae humanae personae inhaerent., magnum obtinent momentum in quaestionibus quae apud nostrae aetatis homines agitantur. Ad rem quod attinet, Concilium Oecumenicum Vaticanum II praecellentem personae humanae dignitatem, peculiarique modo ius ipsius ad vitam, sollemniter confirmavit. Quapropter idem Concilium denuntiavit crimina contra vitam, quorum in numero ponuntur u cuiusvis generis homicidia, genocidia, abortus, euthanasia et ipsum voluntarium suicidium » (Constitutio pastoralis *Gaudium et Spes,* n. 27).

Recentiore tempore S. Congregatio pro Doctrina Fidei Jn omnium Christifidelium mentem doctrinam de abortu procurato revocavit.[1] Nunc vero eadem S. Congregatio opportunum ducit Ecclesiae doctrinam de euthanasia proponere.

Verum quidem est, hoc in doctrinae campo, ultimos Pontifices [2] principia exposuisse, quae vim suam integre servant; at medicae artis progressus effecerunt ut in quaestione de eutha-

[1] *Declaratio de abortu procurato,* die 18 novembris 1974, *AAS* 66 (1974), pp. 730-747,

[2] Pii XII *Allocutio ad Delegatos Unionis Internationalis Sodalitatum mulierum catholicarum,* die 11 septembris 1947, *AAS* 39 (1947), p. 483. *Allocutio ad membra Unionis Catholicae Italicae inter obstetrices,* die 29 octobris 1951, *AAS* 43 (1951), pp. 835-854. *Allocutio ad membra Consilii Internationalis inquisitionis de medicina exercenda inter milites,* die 19 octobris 1953, *AAS* 45 (1953), pp. 744-754. *Allocutio ad participantes XI Congressum Societatis Italicae de anaesthesiologia,* die 24 februarii 1957, *AAS* 49 (1957), p. 146. Cfr. etiam *Allocutio circa quaestionem de «reanimatione»,* die 24 novembris 1957, *AAS* 49 (1957), pp. 1027-1033. Pauli VI *Allocutio ad membra Consilii Specialis Nationum Unitarum versantis in quaestione « Apartheid »,* die 22 maii 1974, *AAS* 66 (1974), p. 346. Ioannis Pauli II *Allocutio ad Episcopos Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis,* die 5 octobris 1979, *AAS* 71 (1979), p. 1225.

nasia hisce ultimis annis novi aspectus in medium proferrentur; qui quidem aspectus postulant ut novis dilucidationibus proponantur, ad ethicas normas quod attinet.

In hominum societate, quae hodie est, cum saepe in discrimen vocentur ipsa fundamentalia vitae humanae bona, fit ut mutatio civilis culturae vim habeat in ipsam rationem mortem et dolorem aestimandi; animadvertendum etiam est auctam esse medicae artis virtutem sanandi vitamque prorogandi quibusdam datis condicionibus, quae quidem interdum nonnullas de re morali quaestiones gignunt. Itaque homines, qui in tali rerum statu versantur, anxii sibi interrogationes ponunt de extremae senectutis et mortis significatione. Ac proinde consentaneum est, ut iidem quaestionem sibi ponant an ius habeant sibi vel suis procurandi « dulcem mortem », quae breviores dolores reddere possit, quaeque ipsis videtur hominis dignitati magis respondere.

Qua de re plures Conferentiae Episcopales Sacrae Congregationi pro Doctrina Fidei quaestiones proposuerunt. Nunc autem haec Sacra Congregatio, postquam circa varios euthanasiae aspectus peritorum sententiam iam quaesivit, in animo habet hac Declaratione episcoporum petitionibus respondere, quo ipsi facilius fideles sibi créditos recte docere possint, idque habeant unde ad gravissimam hanc causam publicae rei moderatoribus considerationis elementa praebeant.

Argumenta hoc in documento proposita ad eos in primis spectant, qui fidem et spem suam reponunt in Christo, e cuius vita, morte et resurrectione christianorum vita ac mors praesertim novam significationem acceperunt, iuxta S. Pauli verba: « Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus sive morimur, Domini sumus » (*Rom* 14, 8; cf. *Phil* 1, 20).

Ad eos autem quod attinet, qui alias religiones profitentur, horum plerique nobiscum in id profecto consentient, quod scilicet fides in Deum Creatorem, Providentem et vitae Dominum

— si quidem eam ipsi participent — unicuique personae humanae praecellentem dignitatem tribuit, eiusque reverentiam tuetur.

Sperandum est hanc Declarationem consensum adipisci posse etiam hominum bonae voluntatis, qui etsi philosophicae doctrinae vel ideologiae diversitate inter se discrepant, nihilominus de iuribus personae humanae vivam conscientiam ferunt. Haec ipsa iura, alioquin, recentiorum annorum decursu, saepe proclamata sunt per declarationes Conventuum Internationalium;[3] cum autem hic agatur de iuribus fundamentalibus cuiusvis humanae personae propriis, patet fas non esse argumentis inniti ductis a pluralismo politico vel a libertate religiosa, ut eorundem iurium vis universalis denegetur.

I

VITAE HUMANAE VALOR

Vita humana est fundamentum omnium bonorum itemque necessarius fons et condicio cuiusvis activitatis humanae necnon consortionis socialis. Quod si maxima pars hominum vitam aestimant rem sacram esse, et fatentur neminem eadem libere uti posse, christifideles tamen in ea quiddam praestantius cernere valent, donum scilicet amoris Dei, quod conservare fructuosumque reddere debent. Qua ex altera consideratione haec consectaria sequuntur:

1. Nemini attentare licet vitam alicuius hominis innocentis, quin sese opponat amori Dei erga ipsum, quin fundamentale ius violet, quod nec amitti nec alienari potest, ac proinde quin summae gravitatis crimen committat.[4]

[3] Attendatur peculiari modo ad Admonitionem 779 (1976) de iuribus aegrotorum et morientium, quae acceptata fuit a Coetu Deputatorum Consilii Europae, in XXVII sessione ordinaria. Cfr. SIPECA, n. 1, mense martio 1977, pp. 14-15.

[4] Hic omnino praetermittuntur quaestiones de poena mortis et de bello, quae postulant ut aliae fiant peculiares considerationes, quae huius Declarationis argumento extraneae sunt.

2. Omnis homo vitam secundum Dei consilium agere debet. Ea ipsi committitur tamquam bonum quod iam hisce in terris fructus facere oportet, sed cuius plena et absoluta perfectio in aeterna vita exspectanda erit.

3. Voluntaria mors igitur, seu suicidium, pariter ac homicidium nefas est; talis enim hominis actio habenda est reiectio supremae Dei potestatis eiusque amoris consilii. Suicidium, praeterea, saepe est etiam recusatio amoris erga seipsum, negatio naturalis instine tus vivendi, fuga a iustitiae et caritatis officiis quae debentur sive proximis, sive variis communitatibus, sive consortioni hominum universae — quamvis interdum, ut omnes norunt, animi status contingant quae culpam minuere aut etiam plene auferre possint.

A suicidio tamen plane distinguendum est illud vitae sacrificium, quo quis ob excelsam causam — cuiusmodi est Dei honor, salus animarum, vel servitium pro fratribus — vitam suam profundit aut in discrimen adducit (cf. *Io* 15, 14).

II

EUTHANASIA

Ut autem quaestio de euthanasia rite tractetur, expedit in primis vocabulorum significationem accurate explicare.

Etymologia spectata, *euthanasia* apud antiquos *placidam mortem* significabat acerbis doloribus vacuam. Hodie amplius non attenditur ad hanc originariam vocis significationem, sed potius ad quendam medicae artis interventum, quo dolores infirmitatis vel supremi vitae agonis imminuuntur, interdum etiam cum periculo vitam praemature auferendi. Denique hoc verbum strictiore sensu accipitur, ita ut eius vis et notio sit : *mortem inferre miserationis causa,* eo quidem proposito, ut extremi dolores radicitus tollantur, vel ut pueris abnormibus, aegrotis insanabilibus aut mente captis evitetur infelicis vitae

prorogatio, fortasse ad plures annos, quae nimium grave onus familiis vel societati imponere possit.

Necessarium igitur est ut plane pateat, quae notio huic voci in praesenti documento tribuatur.

Nomine euthanasiae significatur actio vel omissio quae suapte natura vel consilio mentis mortem affert, ut hoc modo omnis dolor removeatur. Euthanasia igitur in voluntatis proposito et in procedendi rationibus, quae adhibentur, continetur.

Iamvero, denuo firmiter declarandum est neminem nihilque ullo modo sinere posse ut vivens humanum innocens occidatur, sive sit fetus vel embryon, sive infans vel adultus, sive senex, sive morbo insanabili affectus, sive in mortis agone constitutus. Praeterea nemini licet mortiferam hanc actionem petere sibi aut alii, qui sit ipsius responsabilitas, commissus, immo in eadem ne consentire quidem potest explicite vel implicite. Nec auctoritas ulla potest eam legitime iniungere vel permittere. Agitur enim de legis divinae violatione, de offensione dignitatis personae humanae, de crimine contra vitam, de facinore in hominum genus.

Fieri potest ut ob diuturnos ac vix tolerandos dolores, ob rationes in animi affectibus innixas, vel ob alterius generis causas, aliqui ad persuasionem adducantur se legitime posse mortem sibi petere aut aliis afferre. Quamquam hisce in casibus hominis culpa imminui aut omnino deesse potest, nihilominus error iudicii in quem conscientia, bona fide fortasse, incidit, naturam huius actus mortiferi non mutat, qui per se repudiandus semper erit. Gravissime aegrotantium implorationes, quandoque mortem invocantium, haud intelligendae sunt quasi veram euthanasiae voluntatem significent; etenim fere semper agitur de anxiis invocationibus auxilii et amoris. Praeter medicas curas, id quo aegrotus indiget, est amor, est fervidus animi affectus humanus et supernaturalis, quo proximi omnes, parentes et filii, medici et aegrotorum ministri eum complecti possunt ac debent.

III

DOLORIS SIGNIFICATIO APUD CHRISTIANOS ET ANALGESICORUM REMEDIORUM USUS

Non semper mors advenit in miserabilibus condicionibus post vix tolerandorum dolorum cruciatum. Neque necesse est ut casus omnino singulares prae oculis habeamus. Plura enim eaque concordia testimonia opinari iubent naturam ipsam consuluisse, ut leviores redderentur separationes illae in morte faciendae, quae si homini acciderent optima utenti valetudine, acerbae praeter modum ipsi evaderent. Quo fit ut morbi diuturnitas, provecta senectus, solitudinis ac derelictionis status . eiusmodi inducant psychologicas condiciones, quae acceptionem mortis faciliorem efficiant.

Nihilominus fatendum est mortem, quam saepe acerbi diuturnique dolores praecedunt aut comitantur, eventum exstare, qui naturaliter hominis animum angore afficit.

Corporis dolor certe condicionis humanae pars est, quae vitari non potest; ratione biologica spectata, is monitum praebet, cuius utilitas est indubia : at, cum psychologicam hominis vitam attingat, eius vis saepe biologicam utilitatem superat atque adeo augere potest, ut optabilis sit eius amotio, quoquo pacto obtinenda.

Secundum christianam doctrinam, tamen, dolor praesertim in extremis vitae momentis, proprium obtinet locum in salvifico Dei consilio; is enim est participatio passionis Christi et coniunctio cum redemptionis sacrificio, quod Ipse obtulit voluntati Patris obtemperans. Quare mirum non est si christiani quidam cupiunt modice uti anaestheticis medicamentis, ita ut partem saltem dolorum suorum voluntarie assumentes, per eos conscio modo cum doloribus Christi cruci afnxi sese coniungere valeant (cf. Mí 27, 34). Nihilominus a prudentia alienum est heroicam quandam agendi rationem tanquam generalem normam imponere. E contrario humana et christiana

prudentia pro pluribus aegrotis suadet usum eorum medicamentorum quae apta sint ad leniendum vel auferendum dolorem, etiamsi inde, ut secundarii effectus, torpor et imminuta animi conscientia consequantur.

Quod autem ad eos attinet quibus deest facultas sensa sua exprimendi, recte praesumi potest ipsos velle haec doloris lenimenta sumere, eademque sibi ministrari secundum medicorum consilia.

At intensivus analgesicorum remediorum usus difficultatibus non caret, quia ad eorum efficaciam servandam, ob assuetudinis phaenomenon, communiter portio sumenda augeri debet. Iuvat hic commemorare quandam Pii XII declarationem, quae adhuc integram vim suam retinet. Medicorum coetui, qui hanc quaestionem proposuerant: « Doloris et conscientiae sublatio ope narcoticorum medicamentorum [...] iuxta religionem et disciplinae moralis normas potestne permitti medico et aegroto (etiamsi mors immineat atque horum medicamentorum usus praevideatur breviaturus esse vitam)? », Pontifex respondit: « Si alia subsidia desunt, et si in hisce rerum adiunctis id minime impedit quominus alia religiosa et moralia officia impleantur: licet ».[5] Quo in casu, uti patet, mors nullo modo est animo intenta aut quaesita, etsi rationabili de causa in eius periculum incurritur; id tantummodo in propositis fuit, ut dolores efficaciter lenirentur, adhibitis ad id analgesicis remediis, quae medicae arti praesto sunt.

Attamen analgesica medicamenta, quibus aegroti sui conscientiam amittunt, peculiari consideratione digna sunt. Multum interest, enim, homines posse non solum moralibus praeceptis et officiis erga familiares satisfacere, verum etiam ac praesertim plene sibi conscios ad occursum Christi rite animum disponere. Pius XII idcirco admonet « fas non esse morientem sine gravi causa sui conscientia privari ».[6]

[5] Pii XII, *Allocutio* diei 24 februarii 1957, *AAS* 49 (1957), p. 147.

[6] *Ibid.*, p. 145; cfr. *Allocutio* diei 9 septembris 1958, *AAS* 50 (1958), p. 694.

IV

PROPORTIO SERVANDA IN REMEDIORUM THERAPEUTICORUM USU

Nostris temporibus magni refert, mortis momento, personae humanae dignitatem et christianam vitae significationem servari, cavendo a quadam « technicitate », uti aiunt, quae periculum abusus secumfert. Ac revera sunt qui loquuntur de « iure ad mortem », qua quidem dictione non intelligitur ius alicuius ad mortem sibi consciscendam per se vel per alium, quemadmodum ipsi placet, sed ius monendi omni cum tranquillitate, humana et christiana dignitate servata. Si res ita consideretur, artis therapeuticae usus interdum nonnullas quaestiones afferre potest.

Pluribus in casibus fieri potest ut rerum status adeo implexus sit, ut dubitationes oriantur de modo, quo doctrinae moralis principia in rem traduci oporteat. Decisiones capiendae ad conscientiae iudicium tandem pertinent sive aegroti vel eorum qui legitime ipsius nomine agunt, sive etiam medicorum qui omnes prae oculis habere debent tum disciplinae moralis praecepta tum. multiplices casus aspectus.

Uniuscuiusque officium est consulere valetudini suae et efficere ut sibi curationes ministrentur. Ii autem quibus infirmorum cura concredita est, omni cum diligentia operam suam praestare debent ac remedia praebere, quae necessaria vel utilia videantur.

Suntne igitur in omnibus rerum adiunctis cuncta prorsus remedia experienda ?

Haud multo ante moralis disciplinae cultores respondebant usum mediorum « extraordinariorum » numquam praecipi posse. Huiusmodi responsio, quae, ut principium, semper valet, hodie fortasse minus perspicua apparet sive ob parum definitum dicendi modum, sive etiam ob celeres progressus, qui in

re therapeutica facti sunt. Hinc est quod quibusdam potius placet loqui de mediis « proportionatis » et « non proportionatis ». Utcumque res se habet, recta mediorum aestimatio fieri poterit, si artis therapeuticae genus, eiusque difficultatum et periculorum gradus ac sumptus necessarii necnon possibilitas eodem utendi, cum effectibus, quos exspectare licet, comparentur, debita ratione habita tum status aegroti tum ipsius corporis et animi virium. Quo facilius haec generalia principia ad rem deducantur, iuvare poterunt accuratiores explicationes, quae sequuntur :

— Si alia remedia non suppetunt, licet, ex consensu aegroti, media adhibere, quae novissima medicae artis inventa protulerunt, etiamsi haud satis adhuc experimentis probata sint nec aliquo periculo careant. Aegrotus, qui ea accipiat, poterit etiam exemplum generosi animi praebere in bonum generis humani.

— Pariter licet horum mediorum usum abrumpere, quotiescumque exitus spem in eis repositam fallit. At in hoc capiendo consilio, ratio habeatur iusti desiderii aegroti eiusque familiarium, nec non sententiae medicorum, qui vere periti sint; hi profecto prae ceteris aequam aestimationem facere poterunt, cum sumptus instrumentorum et hominum in id impendendorum non respondet effectibus qui praevidentur, et cum medicae artis adhibita subsidia imponunt aegroto dolores aut incommoda graviora quam utilitates quae inde ei afferri possunt.

— Semper licet satis habere communia remedia, quae ars medica suppeditare potest. Quapropter nemini obligatio imponenda est genus curationis adhibendi quod, etsi in usu iam est, adhuc tamen non caret periculo vel nimis est onerosum. Quae remedii recusatio comparanda non est cum suicidio: verius habenda est vel simplex acceptatio condicionis humanae; vel cura vitandi laboriosum medicae artis apparatum cui

tamen par sperandorum effectuum utilitas non respondet; vel denique voluntas onus nimis grave familiae aut communitati non imponendi.

— Imminente morte, quae remediis adhibitis nullo modo< impediri potest, licet ex conscientia consilium inire orationibus renuntiandi, quae nonnisi precariam et doloris plenam vitae dilationem afferre valent, haud intermissis tamen ordinariis curis, quae in similibus casibus aegroto debentur. Tunc: causa non est cur medicus animi angore afficiatur, quasi alicui,, qui in periculo versaretur, auxilium negaverit.

CONCLUSIO

Normae quae hac Declaratione continentur, proficiscuntur ab impenso studio opem hominibus ferendi, secundum Creatoris consilium. Si ex una parte vita habenda est Dei donum, ex altera vero mors vitari nequit; necesse igitur est ut nos, mortis horam nullo modo properantes, eam excipere valeamus plene-nobis conscii responsabilitatis nostrae et omni cum dignitate. Mors, enim, finem quidem imponit terrestri huic vitae, sed simul ad immortalem vitam aditum patefacit. Quapropter ad hoc eventum omnes homines animum rite disponere debent, humanorum valorum praefulgente luce, ac multo magis christifideles suae fidei lumine ducti.

Quod attinet ad publicae sanitati tuendae addictos, ii profecto nihil reliqui faciant ut totam artis suae peritiam in bonum, infirmorum et morientium impendant; quibus tamen meminerint aliud solacium deberi, idque multo magis necessarium, scilicet immensam bonitatem et ardentem caritatem. Huiusmodi ministerium, quod hominibus praestatur, ipsi Christo Domino etiam praestatur, qui dixit: « Quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis » *(Mt* 25, 40).

Hanc declarationem in Conventu ordinario huius S. Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus PP. II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Doctrina Fidei, die 5 Maii 1980.

FRANCISCUS Card. SEPER
Praefectus

Fr. Hieronymus Hamer, O. P.
Archiep. tit. Loriensis
Secretarius

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

DECRETA

I

GREAT - ORMENSIS

De concathedralis erectione deque nominis dioecesis mutatione.

Cum in finibus dioecesis Creat-Ormensis urbs exstet vulgo *Billings* nuncupata, quae in dies succrescens magnum incrementum coepit, opportunum visum est praefatae urbis nomen veteri de Curia appellationi, rectius immutatae, adiungere.

Quapropter Exc.mus P. D. Thomas J. Murphy, Episcopus Great-Ormensis, animarum bono satius consulere cupiens, ab Apostolica Sede nuper postulavit, ut dioecesis nomen congrue mutaretur atque templum in memorata urbe exstans, Deo in honorem Sancti Patricii dicatum, ad dignitatem Concathedralis eveheretur.

Sacra Congregatio pro Episcopis, re mature perpensa, porrectis pre-

cibus annuendum censuit atque, praehabito favorabili voto Exc.mi P. D. Ioannis Jadot, Archiepiscopi titulo Zuritani et in Civitatibus Foederatis Americae Septemtrionalis Delegati Apostolici, vigore facultatum a summo Pontifice Ioanne Paulo, Divina Providentia PP. **II**, sibi tributarum, hoc decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, memoratum templum ad dignitatem et fastigium ecclesiae Concathedralis evehit in qua Cathedra episcopalis erigetur simulque indulget, ut dioecesis eiusque pro tempore Antistes deinceps vocari queat *Magnocataractensis-Billingensis.*

Proinde fas erit Episcopo, prouti ipsi expedire videatur, in civitate *Billings* pro lubito residere et in memorata Concathedrali pontificalia peragere.

Ad hac omnia exsecutioni mandanda Sacra Congregatio pro Episcopis deputat memoratum Exc.mum P. D. Ioannem Jadot, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere ei imposito ad eandem Sacram Congregationem authenticum exem^ piar actus peractae exsecutionis quam primum remittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 14 mensis Februarii anno 1980.

ꝑ& **SEBASTIANUS** Card. B **AGGIO,** *Praefectus*

£B Lucas Moreira Ne ves, Archiep. tit. Feraditan. maior, *a Secretis*

II

SPOLETANAE **ET** ASSISIENSIS

De mutatione finium dioecesium.

Quo aptius christifidelium pastorali curae consuleretur, Exc.mi PP. DD. Ottorinus Petrus Alberti, Archiepiscopus Spoletanus, et Dinus Tomassini, Episcopus Assisiensis, ab Apostolica Sede nuper expostulaverunt, ut territorium paroeciae vulgo « S. Michele Arcangelo di Limigiano » a diocesi Assisiensi, cui nunc pertinet, disiungeretur et archidioecesi Spoletanae adnecteretur.

Sacra Congregatio pro Episcopis, huiusmodi immutationem rata utiliori regimini profuturam, vigore facultatum sibi a Summo Pontifice

Ioanne Paulo, Divina Providentia PP. II tributarum, utriuslibet Episcopi Ordinarii petitum admittendum esse censuit.

Quapropter suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, hoc Decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent, a dioecesi Assisiensi separat territorium paroeciae vulgo « S. Michele Arcangelo di Limigiano » idque archidioecesi Spoletanae perpetuo adscribit.

Statuit quoque eadem Sacra Congregatio ut una cum territorio paroeciae adnectantur ecclesiae, oratoria, coemeteria paroecialia, piae fundationes et quaelibet alia ecclesiastica bona, si quae ibi sint, ad eadem ecclesias et oratoria quomodocumque spectantia.

Documenta et acta, ecclesias, bona, incolas memorati territorii respicientia a Curia Assisiensi ad Curiam Spoletanam transmittantur.

Ad haec omnia perficienda Sacra Congregatio pro Episcopis deputat Exc.mum P.D. Ottorinum Petrum Alberti, Archiepiscopum Spoletanum, opportunas et necessarias eidem tribuens facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere pariter imposito authenticum exemplar actus peractae exsecutionis ad eandem Sacram Congregationem mittendi.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Episcopis, die 14 mensis Aprilis anno 1980.

fB **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO,** *Praefectus*

L. © S;

£B Lucas Moreira Neves, Archiep. tit. Feraditan. maior, *a Secretis*

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Sacra Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit. Videlicet :

die 3 Maii 1980. — Cathedrali Ecclesiae Pacensi Exc.mum P. D. Antonium Montero Moreno, hactenus Episcopum titularem Regianensem.

die 8 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Tlalnepantlensi Exc.mum P. D. Adolfum Suárez Rivera, hactenus Episcopum Tepicensem.

die 20 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Corensi Exc.mum P. D. Rai-

mundum Ovidium Pérez Morales, hactenus Episcopum titularem Aquaealhensem in Byzacena et Auxiliarem archidioecesis Oaracensis.

die 21 Maii. — Praelaturae Cametanensi, cum charactere episcopali, R. P. Iosephum Eliam Chaves Júnior, sodalem Congregationis Missionis.

die 26 Maii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Gadiaufalensi R. D. Iesum Roldan, canonicum Capituli metropolitani Cordubensis in Argentina, quem deputavit Auxiliarem Em.mi ac Rev.mi P. D. Radulfi Francisci S.R.E. Cardinalis Primatesta, Archiepiscopi Cordubensis in Argentina.

die 27 Maii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Macomadensi R. P. Richardum Watty Urquidi, sodalem Congregationis Missionariorum a Spiritu Sancto, rectorem « Studii Theologici » eiusdem Congregationis in urbe vulgo México, quem deputavit Auxiliarem Em.mi ac Rev.mi P.D. Ernesti S.R.E. Cardinalis Corripio Ahumada, Archiepiscopi Mexicani.

SACRA CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

I

POMPEIANA

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Bartholomaei Longo, Viri Laici Fundatoris sanctuarii Pompeiani et institutionum adnexarum.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Dei Famulus Bartholomaei Longo, die 11 mensis Februarii anno 1841 Latiani, in Apulia, natus est. Doctoralem in iure lauream consecutus, post breve cuiusdam religionis neglegentiae tempus, anno 1865 plene ad fidem conversus, summo animi ardore Christo et eius Ecclesiae adhaesit, nihil exinde antiquius habens quam Evangelii virtutem operibus caritatis erga humiliora Christi corporis membra manifestam reddere.

Administrator alicuius agri dominae Mariae Annae Farnararo de Fusco — quam deinde casto sibi foedere copulavit — in valle Pompeiana constitutus, inde ab anno 1875 locum Deiparae a Rosario sacrum reddidit, cuius imagini insigne templum dicavit, innumera caritatis opera pro orphanis, filiis et filiabus carcere detentorum, circa illud excitans et Religiosarum Institutum puellis instituendis condens. Verus Christi discipulus et fidelis Mariae servulus, sibi pauper, dives pauperibus, fide actuosissima excelluit et impensa caritate, quibus omnia omnibus in nominae Deiparae se fecit. Viri Dei nomine et fama celeber, die 5 mensis Octobris anno 1926 mortuus est.

Sanctimoniae fama, qua Bartholomaeus Longo sibi in vita comparaverat, post obitum in dies clarior et diffusior facta est. Quam ob rem ut Causa de beatorum caelitum honoribus eidem decernendis institueretur cogitatum est. Servatis itaque de iure servandis, eius Causa beatificationis die 14 mense Iulio anni 1967 apud Apostolicam Sedem introducta est ; deinde vero, apostolicis processibus rite conditis et discussis, Paulus Papa VI, die 3 mensis Octobris anno 1975, eumdem Dei Famulum virtutes théologales et cardinales ceterasque iis comites et socias heroum in modum coluisse edixit.

Porro christifideles innumeri, ii praeprimis qui ad Pompeianum sanctuarium peregrinationis causa accederent, etiam venerabilem virum, eximium cultus marialis et caritatis apostolum, honore et religione sunt prosecuti, eiusque apud Deum intercessione favores et beneficia se accepisse multa testati sunt, quorum nonnulla veri speciem miraculi praeseferre videbantur. Quapropter Causae actores ex variis, quae invocato Venerabilis Bartholomaei Longo nomine, mirum in modum sanationes ferebantur patratae, unam selegerunt eamque Apostolicae Sedi ad cognoscendum exhibuerunt, ut idem Venerabilis Servus Dei beatorum caelitum honoribus condecoretur.

Quae mira sanatio anno 1943 accidit Carmelae Rocco, matrifamilias quadraginta annorum, ex loco v. *Baronissi,* in regione Salernitana, oriundae, et Neapoli domicilium habenti. Ipsa etenim mense Maio anno 1942, cum septimo praegnans esset, quibusdam syndromis diarroicis et tenesmate laborare coepit, quibus post partum, ex medici diagnosi, anhaemia et levis stomatites coniungi visae sunt. Nonobstantibus curis, gravius in dies aegrotare coepit, ita ut anno exeunte cholecystite calculosa et choli inflammatione affecta iudicaretur. Progrediente virium diminutione, mense Ianuario anno 1943 in eodem loco v. *Baronissi,* quo bello furente translata fuerat, collapsum cordis experta est, una cum

symptomatibus lipotimicis et inaequali sanguinis circuitu. Aliis etiam subvenientibus gravibus perturbationibus, valetudo Oarmelae — interim, ex haud possibili etiam alimentorum assumptione, ad larvae speciem deductae — velut omnino deperdita iudicata est. Quod a morphologico sanguinis examine die 1 mensis Aprilis anni 1943 confirmatum est, ita ut ex gravi anhaemia ex genere hypercromo cum aliis coniuncta morbis, medici de vita mulieris iam desperarent.

Cum ita haec haberentur, Carmelae maritus et filii ad Virginem Mariam preces admoverunt ut, per intercessionem Bartholomaei Longo, sanationem infirmae impetrarent, imagine Servi Dei cum particula ex eius indumentis sub Carmelae pulvino fidenter posita. Familiares a precibus ad sanationem obtinendam effundendis nec tunc cessarunt cum, peritorum iudicio, iam nihil humana ratione faciendum pro vita mulieris videbatur. Neque incassum : die 4 mense Aprili anno 1943, quando omnia misere ruere censebantur, inexplicabilem illico in melius mutationem Carmela experta est et, omnibus mirantibus, quae ((truncus sine vita» — ut ipsamet Carmela de se dixit — erat, cibum petiit et sine ulla difficultate sumpsit, ad vires paucorum dierum tempore perfecte régressa, ita ut, molestiis omnibus morbi instantanée dilapsis, brevi curam familiae et septem filiorum institutionem plene in se una sumere potuerit. Exinde optima semper valetudine gavisa est, quod confirmarunt peritorum examina biennio post facta et deinde triginta iam a sanatione transactis annis repetita (a. 1975).

Omnibus consideratis huiusmodi sanationis adiunctis, hanc ultra naturae leges contigisse illico familiares, medici a curatione aliique testes asseruerunt.

Hinc super asserta mira sanatione instructus fuit apud archiepiscopalem Curiam Neapolitanam anno 1945 apostolicus processus, de cuius iuridica vi et validitate cautum est per Decretum Sacrae huius Congregationis pro Causis Sanctorum die 24 Octobris 1975 datum.

Servatis deinde servandis, praedicta sanatio peritis in arte medica delata est ad disceptandum num mirum hoc factum, iuxta eorum iudicium, praeter et supra naturae vires et leges evenerit. Quae quidem acris discussio, bis habita est. Namque, post anceps peritorum Collegii Medici die 22 mense Septembri anni 1976 examen, facultate — post favorabile deputati ex officio periti iudicium — ab hac Sacra Congregatione die 20 mense Septembri 1977 facta, iidem medici die 22 mense Martio anno 1978 iterum convenerunt, et, rebus omnibus in lumine actorum rursus mature perpensis, declaraverunt — uno eorum dempto

de anhaemiae et sanationis natura adhuc ancipite — praeter naturae vires et modum praefatam valetudinis curationem, ratione habita instantaneae sanationis a quodam concursu laesionum anatomicarum et functionalium quoad universum gastroëntericum apparatum.

Habita deinde sunt Congressus Peculiaris Officialium Praelatorum Patrumque Consultorum die 10 mense Aprili anno 1978 et deinde, scilicet die 29 mense Maio anno 1979, Congregatio Plenaria Patrum Cardinalium, ad Vaticanum celebrata, ponente seu relatore Causae Rev.mo Cardinali Silvio Oddi. In utroque autem coetu, suffragia fuere cuncta affirmanda praeternaturalem sanationis Carmelae Camera indolem.

Facta de hisce omnibus, die 1 mense Iunio anno 1979 Summo Pontifici Ioanni Paulo II per S. Congregationis pro Causis Sanctorum Praefectum relatione, Sanctitas Sua responsum Patrum Cardinalium ratum habens, mandavit ut Decretum super eadem mira sanatione rite appararetur.

Quod cum factum esset, accitis hodierno die Cardinali infrascripto Praefecto atque Silvio Oddi, Causae ponente seu relatore, meque Antistite a Secretis Sacrae Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque adstantibus, Sanctitas Sua supremam proferens sententiam edixit : *Constare de uno miraculo, Venerabili Servo Dei Bartholomaeo Longo intercedente a Deo patrato, scilicet de instantánea, perfecta et constanti sanatione dominae Carmelae Camera a syndrome enterocholitica, a gravi anhaemia hypercromica cum perturbationibus motoriis atque a cholecystite calculosa.*

Hoc autem Decretum in vulgus edi et in acta S. Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 13 Iulii A. D. 1979.

CONRADUS Card. BAFILE, *Praefectus*

L. *B* S.

83 Iosephus Casoria, Archiep. tit. Foronovan., *a Secretis*

II

CREMONEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Henrici Rebuschini, Sacerdotis Professi Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium.

SUPER DUBIO

An eius Causa introducenda sit

Opere et veritate Christus Dominus sollicitudinem erga infirmos signum ac manifestationem messianicae suae missionis esse voluit (cfr. Conc. Vat. II, *Apostolicam Actuositatem,* 8, a). Peculiari nempe adflatu Iesus civitates et castella peragrabat evangelium regni praedicans cunctosque curans languores (cfr. *Mt.,* 9, 35), ipse qui nostros languores tulit et infirmitates portavit (cfr. *Isaia,* 53, 4). Misericors insuper Samaritanus, discipulis quod ipse fecerat facere instituit, evangelii praedicandi mandatum ministerio erga infirmos indiscreta unitate coniungens verbis: «Curate infirmos... et dicite illis: "Appropinquavit in vos regnum Dei" *(Lc,* 10, 9) »; quinimmo, caritatem erga proximum maximo mandato coalescens nova auxit significatione, cum dixerit: « Quamdiu fecistis uni ex his minimis mihi fecistis» *(Mt.,* 25, 40). _

Ecclesia rationem et agendi modum excipiens a Christo «omnes infirmitate humana afflictos amore circumdat, immo in pauperibus et patientibus imaginem Fundatoris sui pauperis et patientis agnoscit, eorum inopiam satagit sublevare et Christo in eis inservire intendit » (Conc. Vat. II, *Lumen Gentium,* 8, c).

Sanctus Camillus de Lellis, Christi vestigia miserentis secutus, a Deo electus prodiit ut aegrotis ministraret et modum illos subsidio caritatis instruere reliquos homines doceret (Pius XI, Litt. *Expedit plane,* 27 Aug. a. 1930). A Domino in cruce pendente confirmatus semetipsum et suos miserorum servitio mancipavit atque *ministrantes infirmis* vocari confisus est iuxta illud: « Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis» *(Me,* 10, 45).

Inter Cannili adseclas — quorum opus impensum est — Servus Dei Henricus Rebuschini eminet. Parentibus Dominico et Sophia Polti, natus die 28 Aprilis anno 1860 in pago vulgo *Gravedona,* dioecesis Comensis, sacramentum Baptismatis die 1 Maii eiusdem anni recepit

in paroeciali ecclesia S. Vincentio dicata, nominibus Petri, Henrici, Baptistae impositis; anno vero 1869 sacramentum Confirmationis accepit. In lyceo ab Alexandro Volta, Comi, appellato, elementaribus studiis peractis, disciplinarum scholasticarum curriculum persolvit, ac diplomate in ratiocinandi scientia anno 1882 decoratus est. Scholastico tamen tirocinio perfecto Henricus noster discrimen non parvum circa vocationis optionem tulit. Mundi delectationes aegre ferens in coenobium sese abdere cupiit, sed a Beato Aloisio Guanella hortatus Papiam tunc mathematicae adipiscendae causa se contulit. Ibi ex morum et personarum universitatis corruptione ne detrimenta caperet, cursum matbeseos intermittere deliberavit atque militiae per voluntariatus annum, ut mos erat, se adscripsit, gradum succenturionis addicticii pertingens. Parenthesi militari hausta, in pago vulgo *Cremia,* dioecesis Comensis, inter moderatores opificii ad texturam bombycinam conficiendam Servus Dei cooptatus est. Nondum tamen desideriis profundioribus expletus, a patre minister in sectione administrationis nosocomii publici civitatis Comensis commodatus est. Cui officio adimplendo idoneus declaratus, munus relinquere debuit; maiorem quippe temporis spatium Henricus non ad tabulam administrationis sed ad infirmorum grabatos, eorum necessitudinibus intentus ac providens, insumebat.

Tandem aliquando a patre — clero et religiosis mordicus obiciente — licentiam obtinuit antiquam, haud praetermissam, sequi vocationem ad statum ecclesiasticum. Anno salutis 1884 studia in Pontificio Seminario Langobardo de Urbe aggredi potuit, ubi ordines minores usque ad acolytatum recepit. Asceticam quoque vitam exercitatione perseverante — pietate, castitate, mortificatione instrumentis etiam poenitentiae ad concussionem carnis — prosequi illis temporibus visus est; sed, repentini morbi causa, familiam petere Romamque relinquere invitus debuit.

Die 26 mensis Septembris anno 1887 domum novitiatus Provinciae Langobardae-Venetae Ordinis S. Camilli, Veronae, ad S. Mariae a Paradiso ingressus est. Maximam ibi de eo aestimationem habuit magister novitiorum, Servus Dei P. Rochus Ferroni; identidem, communi opinione novitiorum « exemplar)) totius novitiatus Henricus apprime tunc connotatus est.

Perdurante novitiatu superiores cursum studiorum ipsi perficiendum curarunt. Die 10 Martii a. 1889 et 6 Aprilis eiusdem anni ordines maiores subdiaconatus et diaconatus Veronae recepit; die 4 Aprilis a. 1889 in oratorio domus religiosae Mantuae a sancto episcopo Iosepho Sarto sacerdotio auctus est. Tunc studiis enixe incubuit, praesertim

Sacrae Scripturae et Divi Thomae Aquinatis usque ad expletum novitiatum. Die 8 Decembris a. 1889 votorum religiosorum primam professionem emisit. In domo tamen novitiatus permansit vices gerens magistri et lectiones Sacrae Scripturae scholasticis impertiens.

Verumtamen, timiditatis innatae pondere excedente, modestiae studio necnon scrupulis laborantem Henricum superiores a munere docendi eximere coacti sunt et ad sancti Antonii domum, Veronae, eum aggregare. Ibi munere cappellani in nosocomiis *S. Spiritus* et *Civile* optime functus est. Quod, fortasse, prima vice Comi in nosocomio attigerat, nunc felicius semel pro semper Servus Dei attingere potuit. Sane, usque ad mortem Henricum erit minister et servus infirmorum undequaque ministerium caritatis petentium; verus minister infirmis erit secundum effatum Christi «infirmus fui et visitastis me» *(Mt.*, 25, 36).

Mense Maio anni 1899 Cremonensi domui adnumeratus est. Cremonae usque ad annum suae mortis, scilicet 1938, permansit ut superior, oeconomus, consiliarius, imprimis et ante omnia ut « pater aegrotorum » quos per 40 annos omnimoda pietate et misericordiae verbo et opere prosecutus est.

Regulae et Constitutionibus perfecte obtemperans, superioribus ac fratribus ex corde favens, domi et per cunctam civitatem exemplar vitae consecratae signumque spiritualis elevationis in Deum, humilitate parvus, sanctimonia vitae dives, Servus Dei ab omnibus ut *santino di Cremona* visus est.

Intimo colloquio cum Deo vivens, Henricus noster fusionem amoris erga Deum et fratrem infirmum unitate exercita atque forma selecta et rara sequelam Christi per charisma Ordinis Ministrantium Infirmis vivens sibi comparavit.

Die 10 mensis Maii anno 1938, sancte, ut vixerat, Servus Dei, Deo spiritum reddidit. Cuius corpus, magna fidelium turba concomitante, die 12 Maii in coemeterio publico civitatis Cremonensis humatum est; nunc, vero, translatione facta anno 1960, sub pavimento oratorii domus S. Camilli, Cremonae, sepultum quiescit. Fama sanctitatis viventem Servum Dei circumfulgente de die in diem Cremonae et alibi per Italiam et externas nationes invalescente, Causa super fama sanctitatis, vitae, virtutum et miraculorum in genere apud Curiam Cremonensem auctoritate ordinaria annis 1947-1958 instructa est. Perplures interim Litterae Postulatoriae a Patribus Cardinalibus, Episcopis, Religiosorum, Ordinum Moderatoribus Generalibus ac Moderatricibus Congregatio-

num Monialium necnon a Laicis Summo Pontifici missae sunt, ut Causa Servi Dei apud Sanctam Sedem introduceretur. Scriptis autem Servi Dei perpensis, per Rescriptum diei 23 Ianuarii anni 1963, ad ulteriora procedi posse edictum est.

Servatis itaque de iure servandis, instante Rev.mo P. Brunone Brazzarola, Postulatore Generali Ordinis Ministrantium Infirmis, die 5 mensis Iunii anno 1979 Congressus Peculiaris Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum habitus est; et deinde, die 18 Decembris eiusdem anni, Congregatio Peculiaris Cardinalium est celebrata, in qua Em.mus ac Rev.mus Dominus Sergius Pignedoli, Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit disceptandum : *An introducenda sit Causa Servi Dei P. Henrici Rebuschini, in casu et ad effectum de quo agitur,* deque ea rettulit. Et iidem Patres Cardinales affirmando responderunt, si Summo Pontifici placuisset.

Facta postmodum de praemissis omnibus Beatissimo Patri Ioanni Paulo II, subscripta die per infrascriptum Cardinalem in Audientia ipsi concessa, relatione, Sanctitas Sua responsum Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum ratum habuit et confirmavit.

Datum Romae, die 15 mensis Martii A. D. 1980.

CONRADUS Card. B **AFILE,** *Praefectus*

B Iosephus Casoria, Archiep. tit. Foronovan., *a Secretis*

III

MEDELLEN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae a Perpetuo Succursu (in saec. Elisabeth Tejada Cuartas), Religiosae e Congregatione Sororum Missionariarum a Maria Immaculata et S. Catharina Senensi.

SUPER DUBIO

An eius Causa introducenda sit.

Misericordissimus Deus, *qui omnes homines vult salvos fieri (Tim.,* 2, 4), eis ad salutem viam tutam ostendit dicens : *Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam et sequatur me (Mt.,* 26, 24).

Invitamento hoc multos quidem allicit, sed pauci perfecte huic respondent iique sunt qui amore, terrenis omnibus spretis, in quali-

bet condicione versentur, generose divino servitio ad eius gloriam animorumque salutem se dedunt.

Mirabile hac in re Dei Famula Maria a Perpetuo Succursu, in saeculo Elisabeth Tejada Cuartas, nobis exhibet exemplum.

Die 13 Octobris anno 1887 ab Emmanuele Tejada et Anna Cuartas, in oppido *Remedios,* dioecesis S. Rosae de Osos (in Columbia), nata est Elisabeth, atque die 27 eiusdem mensis sacris baptismi aquis renata. Die 7 Aprilis a. 1889 in ecclesia metropolitana Medellensi confirmationis sacramentum suscepit.

Miti ac humili indole a Deo dotata, a tenera aetate virtutem pietatemque diligenter exercuit. In oppido *Remedios* et in urbe Medellensi studia confecit. Die 21 Iunii a. 1897 ad Eucharisticam Mensam primo accessit.

Post decimum septimum aetatis annum, divinae gratiae interventu, profunda mutatio in eius vita effecta est : vana ac frivola deseruit, totaliter se labori, orationi atque actibus poenitentiae et humilitatis devovens.

Religiosam vitam cupiens, a parentibus impedita, apostolatui incubuit in ruriculis ac oppidanis pueris catechizandis et in publica schola oppidi *Remedios* docendo.

Matre demortua atque pluribus superatis obstaculis, die 8 Aprilis a. 1922 in Instituto Sororum Missionariarum a Maria Immaculata et S. Catharina Senensi (v. *Misioneras de la Madre Laura)* religiosum induit habitum, nomine Sororis Mariae a Perpetuo Succursu assumpto. Die 22 Maii a. 1923 religiosam emisit professionem.

Post annum, nempe die 16 Martii a. 1924 in vicum *Vre* missa fuit, ut ministerio christianae puerorum et adultorum educationis indigenarum se dicaret. Gravi morbo consumpta, die 29 Iulii anno 1925 placide obdormivit in Domino.

Tota Dei Famulae vita, praesertim tempore suae religiosae consecrationis, ardentissimo amore erga Eucharistiam, in cuius praesentia totum tempus liberum impendebat, et tenera devotione in Virginem Mariam enituit.

Dum viveret Serva Dei sanctitatis fama fruita est, quae in morte evidentior facta est, quaeque in dies crescit. Quare in Medellensi Curia canonicae inquisitiones super fama sanctitatis, super scriptis atque oboedientia Urbanianis decretis de vetito cultu annis 1965-1966 peractae sunt, Urbemque delatae.

Servatis itaque de iure servandis, Sacra eadem Congregatio pro

Causis Sanctorum per decretum die 8 Ianuarii anno 1970 datum, scriptis eiusdem Dei Famulae examinatis, edixit ad ulteriora procedi posse. Quapropter, Congressus huius Congregationis pro Causis Sanctorum, die 17 Novembris a. 1979, instante Rev.do Patre Theodoro Zamalloa, Ordinis SS.mae Trinitatis, Causae huius legitime constituto Postulatore, habitus est, in quo Cardinalis Praefectus dubium posuit discutiendum : *An Causa Servae Dei Mariae a Perpetuo Succursu, in saeculo Elisabeth Tejada Cuartas, Religiosae e Congregatione Sororum Missionariarum a Maria Immaculata et a S. Catharina Senensi, introducenda sit.* Et Officiales Praelati ceterique suffragium ferentes, una cum eodem Cardinali Praefecto, omnibus mature perpensis, proposito dubio affirmative responderunt, si Summo Pontifici id placuisset.

Facta postmodum de hisce omnibus, die 15 Martii anno hoc 1980, Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua responsum Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum ratum habuit et confirmavit.

Datum Romae, die 15 Martii A. D. 1980.

CONRADUS Card. RAPILE, *Praefectus*

83 Iosephus Casoria, Archiepiscopus tit. Foronovan., *a Secretis*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 22 Maggio 1980, S. E. il Signor MARK EVELYN HEATH, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario di Gran Bretagna presso la Santa Sede.

Giovedì, 12 Giugno 1980, S. E. il Signor ' STEPHANUS STATHATOS, Ambasciatore di Grecia presso la Santa Sede.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Venerdì, 16 Maggio 1980, S. E. il Signor Generale ANTONIO RAMALHO EANES, Presidente della Repubblica del Portogallo.

Sabato, 24 Maggio 1980, L'On. NORMAN ST. JOHN-STEVAS, Ministro di Gran Bretagna per le Arti e Cancelliere del Ducato di Lancaster.

Lunedì, 26 Maggio 1980, Sir GERALD CASH, Governatore Generale delle Bahamas.

Giovedì, 29 Maggio 1980, S. E. il Signor BOUTROS BOUTROS GHALI, Ministro di Stato per gli Affari Esteri della Repubblica Araba d'Egitto.

Da Venerdì, 2 Maggio a Lunedì, 12 Maggio 1980, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Africa, sostando a Kinshasa ed a Kisangani nello Zaïre, a Brazzaville nel Congo, a Nairobi nel Kenia, ad Accra e Khumasi nel Ghana, ad Ouagadougou nell'Alto Volta, ad Abidjan e Yamoussoukro nella Costa d'Avorio.

Giovedì, 29 Maggio 1980, alla presenza del Santo Padre, si è riunita la Conferenza Episcopale. Italiana.

Da Venerdì, 30 Maggio a Lunedì, 2 Giugno 1980, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Francia sostando a Parigi e a Lisieux.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

1 maggio 1980. Mons. Bernard de Lanversin, *Prelato Uditore della Sacra Romana Rota.*

13 maggio » Gli Em.mi Signori Cardinali, James D. Freeman, Roger Etchegaray, Thomas Ó Fiaich, *Membri della Sacra Congregazione per l'Educazione Cattolica.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

Protonotario Apostolico soprannumerario:

26 gennaio 1980. Mons. Prisco Gabriele (Isernia).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

20 dicembre 1979. Mons. O' Reilly John (Biloxi).
» » » Mons. Mercier Joseph (Biloxi).
26 gennaio 1980. Mons. Mattei Antonio (Isernia).
» » » Mons. Testa Giulio (Venafro).
7 febbraio » Mons. Foley Gregory Noel (Jackson).
9 » » Mons. Wunder Hans (Bamberg).
13 » » Mons. Necker Georg (Regensburg).
21 » » Mons. De Michele Ermenegildo (Aversa).
» » » Mons. Salvatico Domenico (Mondovì).
15 marzo » Mons. Mooney Michael (Tuam).
19 aprile » Mons. Rigali Justin (Los Angeles).

Cappellani di Sua Santità:

26 luglio 1979. Il sac. Höss Georg (Augsburg).
26 gennaio 1980. Il sac. Battista Vincenzo (Isernia).
» » » Il sac. Mencaroni Gaetano (Venafro).
13 febbraio 1980. Il sac. Fuchs Norbert (Regensburg).
20 » » Il sac. Pietrantonio Nicolino (Larino).
» » » Il sac. Schiavina Raffaele (Oria).
» » » Il sac. Spinosa Enea (Termoli).
» » » Il sac. Suma Antonio (Oria).
» » » Il sac. Vincelli Mario (Termoli).
21 » » Il sac. Granetto Silvio (Cuneo).

29 febbraio 1980. Il sac. Eossi Antonio (Nola).
15 marzo » Il sac. Santoro Aldo (Otranto).
31 » » Il sac. Serre Giuseppe (Saluzzo).
19 aprile » Il sac. Piccioni Trento Francesco (Albano).

ONORIFICENZE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito :

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

7 marzo 1980. Al sig. Layer Adolf (Augsburg).

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

28 gennaio 1980. Al sig. Steffan Walter J. (Buffalo).
11 marzo » Al sig. Cochereau Pierre (Paris).
13 » » Al sig. Spinelli Giuseppe (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine dì san Gregorio Magno, classe civile:

5 novembre 1979. Al sig. Padilla Tiburcio M. (Cebu).
16 gennaio 1980. Al sig. Biemans Hendrikus (Breda).
26 » » Al sig. Berardi Claudio (Isernia).
1 febbraio » Al sig. Terwindt Joannes H. M. (Utrecht).
7 » » Al sig. Kimman Franciscus J. (Rotterdam).
7 marzo » Al sig. Dronet Georges (Nantes).
15 » » Al sig. Beranger François (Lyon).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa.

13 marzo 1980. Al sig. Gallotti Edoardo (Novara).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Silvestro Papa:

16 gennaio 1980. Al sig. Hulsman Gerard H. A. (Roermond).
1 febbraio » Al sig. Buys Willelm (Roermond).
» » » Al sig. De Pont Joannes H. (Utrecht).
7 » » Al sig. De Neeve Carel J. M. (Rotterdam).
» » » Al sig. Sandkuyl Frits Alexander (Rotterdam).
» » » Al sig. Vilders Johan (Rotterdam).
13 » » Al sig. Schneider Josef (Regensburg).
» » » Al sig. Wurstbauer Heinrich (Regensburg).
29 » » Al sig. Müller Vega Max (Santiago de Chile).

NECROLOGIO

30 aprile 1980. Mons. John Edgard Me Cafferty, Vescovo tit. di Tanudaia.
4 maggio » Mons. Johann Wember, M.S.F., Vescovo tit. di Vasada.
6 » » Mons. Theodore Labrador Fraile, O.P. Arcivescovo di Foochow, Min-Hou *(Gina).*
8 » » Mons. Neil Farren, Vescovo già di Derry *(Irlanda).*
» » » Älons. Manuel Mascarinäs y Morgia, Vescovo già di Tagbilaran *(Filippine).*
12 » » Móns. Ildefonso Maria Sansierra Robla, O.F.M. Cap., Arcivescovo di San Juan de Cuyo *(Argentina).*
16 » » Mons. Corrado Mingo, Arcivescovo già di Monreale *(Italia).*
20 » » Mons. Jean-Baptiste Décoste, Vescovo di Hinche *(Haiti).*
24 » » Mons. Santos Moro Britz, Vescovo già di Avila *(Spagna).*
3 giugno » Mons. Joâo Marchesi, S.D.B., Vescovo tit. di Cela.
10 » » Mons. Antonio Cece, Vescovo di Aversa *(Italia).*

An. et vol. LXXII 31 Iulii 1980 N. 5

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: **Palazzo Apostolico - Città del Vaticano** — *Administratio:* **Libreria Editrice Vaticana**

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULA APOSTOLICA

Ad Episcopos, Sacerdotes et Christifideles Italiae: sexto expleto saeculo ab obitu Sanctae Catharinae Senensis, Virginis et Ecclesiae Doctoris.

IOANNES PAULUS PP. II

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII,

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Amantissima Providentia Dei luculenter ostendit, esse Eum actorem simulque auctorem totius historiae, novosque semper ignes in itinere hominum suscitare. Qui praeterea ad hoc impares omnino homines eligens, eorum ingenium ita erigit, ut ad ea aptet, quae paenitus eorum facultates exsuperent. Neque vero Deus hoc tantum agit ut prudentiam sapientium confundat,[1] sed potissimum ut virtutem suam bono in lumine collocet, quae, cum nullis hominum adminiculis indigeat, simul ostendat ad quam dignitatem gratia ipsius eos elevet, ad quamque amplitudinem suo ductu possit ac velit illos evehere.

Quae autem his adumbravimus, liquido patent in S. Catharinae Senensis vita et operibus, a cuius piissimo obitu VI iamiam saecula abeunt. Qua re aequissimo quidem animo eam tamquam exemplum fidelibus imitandum proponimus, non modo Italis, sed et universi orbis. Namque est illa a Divino Spiritu miris gratiae atque humanitatis usque cumulata divitiis, per dona scilicet sapientiae, intellectus et scientiae,

[1] *1 Cor.* 1, 19.

quibus mens humana fieri consuevit ad divina monita mirandum in modum proclivis, « in cognitione rerum divinarum et humanarum ».[2]

Egregie igitur possunt ei Psaltae verba accommodari : « Dilatasti gressus meos subtus me, et non sunt infirmata vestigia mea »;[3] item illa : ((Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum)).[4]

I. Mmirum cum Catharina, anno MCCCXLVII est hanc in lucem edita, Italiae atque Europae condiciones sane erant in multam angustiami adductae ; iam enim imminebat « pestis illa nigra » quae insequenti anno grassabatur ac vastitatem et mortem in omni loco, ac paene in omni familia spargebat. Ceterum, et alia mala et incommoda civilem id temporis societatem perturbabant, ut sunt bella et illud maxime ((centum annorum », quod acerbum ac diuturnum inter Galliam ac Britanniam exarsit ; et incursiones exercituum mercennariorum ; cetera. Si vero ad sacra animadvertas, longe praecipuus saeculi illius eventus fuit commoratio Romanorum Pontificum Avenionensis ; ac praeterea Schisma illud Occidentis, ad annum MCCCCXVII usque productum. Atqui Senensis Virginis historia his adiunctis inseritur, in iisque Catharina primas quodammodo egit.

Infectoris pannorum filia, eademque viginti quinque filiorum paene ultima nata, quam maturrime illa intellexit quae tempora poscerent. Qua re, apostolica vivendi forma Dominicanorum allecta in Tertii Ordinis grege annumerari se petiit (pias has mulieres « Mantellatas)) cognominabant) ; quae, tametsi proprie Sorores non erant, neque in communi degebant, alba tamen veste fuscoque Fratrum Praedicatorum pallio induebantur.

Cum adhuc-admodum adulescentula esset, pietate erga pauperes et aegrotos flagrabat; patientia item in hominum invidia daemonumque bellis interioribus ferendis nitebat; prudentia insuper et humilitate in agendo, in iudicando praestabat; eamque suscepit eo tempore vitae rationem, iisque agendi principiis se gubernabat, quae apte in posterum discipulis suaderet : scilicet ((nullos in temperan tis naturae motus tolerari oportere, quin corrigantur ».[5]

Circumdabat autem Catharinam varius discipulorum coetus, cuiusvis ordinis et loci; quos tum pura eius fides trahebat, tum ingenue

[2] S. Thom., Ia IIae, q. 68, a. 5 ad 1.

[3] *Ps.* 17 (18), 37.

[4] *Ps.* 118 (119), 32.

[5] *Dial.*, c. 73 (ed. Cavallini), p. 161, cfr. c. 60; et *Epistulae* passim.

exceptum ab illa verbum Dei, nulla neque attenuatione neque praeiudicio. Erant autem hi discipuli ex ordine laicorum, e Mantellatarum agmine, e Religiosorum familiis, interdum vel prodigiis moti. Omnes autem hoc Catharinae promisso confirmabantur : fore ut eis illa ubivis terrarum adesset, quorum etiam errores lueret. Neque non dictis satis fecit.[6]

Ceterum Deus eam quasi alumnam docebat; eique paulatim quid animae eius utile esset, aperiebat.[7]

Eius autem virtutis ascensus tamquam in fastigio stetit cum spiritualibus nuptiis in fide factis ; quibus iudicaret quidem quispiam factum esse ut eius vita in una solitudine et contemplatione tota exhauriretur. Contra, Deus per invisibilem anulum, illam idcirco sibi constringebat, ut una secum coepta regni sui iniret.[8] Atque illa rem sic intellexit, perinde ac si a caelesti Sponso se separari oporteret; sed confirmavit cor eius Christus sui consilii esse eam sibi arctius coniungere per « proximi caritatem »,[9] id est, sive per dulce animi vinculum, sive per exteriores labores, seu per rem mysticam labores, seu per rem mysticam socialem, quam dixerunt.[10]

Id autem in altiora spatia impulit, quae menti et inceptis eius late patebant. Iam ergo illa a conversione singulorum peccatorum ad conciliationem personarum ac familiarum incumbere, quas improba iurgia in vicem opponerent, aut etiam urbium et rerum publicarum. Neque vero timuit Catharina per hostiles partes transire, neque continuerunt eam aucta fere in immensum negotia, quamvis principio terruissent ad usque fletum. Ceterum interior divini Magistri instinctus quasi crescentem eidem ipsi humanitatem aperuit. Qua re, quamvis tenuis esset opificis filia nullisque litteris, utpote sine schola atque ingenii cultura, tamen mundi necessitates eius temporis eo intellectu comprehendit, ut sui vici urbani limites longe superaverit, laboresque suos ad universam hominum societatem extenderit; adeo ut iam nullus aut eius audaciae aut studio quaerendi animos modus esset. Catharina ipsa auctor est, olim Deum imposuisse ((Crucem in collum, oleam in manum ipsius », ut illa utrique populo ferret, christiano videlicet et infideli, perinde ac

[6] **Cfr. *Ep.* 99 in ed. Tommaseo, in ed. Dupré-Theseider, VII.**

[7] **Raimundus Oapuanus, *Legenda maior* (in *Acta Sanctorum,* April. Trad. Ital. Tinagli, ed. 3 et 4; 1969-1978), par. 84.**

[8] ***Legenda maior,* 115.**

[9] ***Ibid.***

[10] **J. Leclercq, *La mystique de l'apostolat,* 1922-1947.**

si Christus eam ad munus suum proprium universorum procurandae salutis evexisset.[11]

Quo vero melius eam mysterio suae redemptionis aptaret, atque indefesso apostolatus operi pararet, Deus Catharinae stigmata impressi^ die nempe primo Aprilis, anno MCCCLXXV, in templo S. Christinae, Pisis.

Nihil ergo mirum si, vix viginti novem annos nata, sui muneris magnitudinem plane percepit, quod « in Christianorum aequilibritate iterum componenda »[12] consistebat. Ceteroquin plures iam annos « sanctum transitum » propugnabat ad Terram Christi sanctam in libertatem vindicandam, hoc sane gemino consilio : ut videlicet a pernicioso fratrum bello abduceret animos,[13] atque cum infidelibus « fidei condimentum » communicaret.[14]

Eodem ardore, ac paene maiore dicamus, Summum Pontificem hortabatur ut mores Ecclesiae in melius corrigendos curaret, sumpto initio ab integrorum Pastorum creatione; in quam rem profecto verba ardentissima adhibebat, cum ei ((Ecclesia esset ipse Christus ».[15] Atque mala quidem reprehendit ac denuntiat, sed cum incredibili maerore, ostendens erga Ecclesiam quasi matris amorem, consiliorum virilium haud expertem, cum Summo Pontifici Gregorio XI scribit : « I statim ad sponsam tuam, quae pallida praestolatur, eique restitue colorem ;[16] cor amissum ei redde igneae caritatis : nam tam multus est ei ab iniquis devoratoribus sanguis exsuctus, ut ore toto expalluerit ».[17]

Iam autem tempus imminet facinoris eius pulcherrimi. Anno enim McccLxxvi Avenionem se contulit, pacis conciliatrix inter Sanctam Sedem et urbem Florentiam : arduae sane rei, quae duobus tantum annis post feliciter cederet, idque nonnisi iterata mediatione. Sed interim his maiora Catharinam premebant. Qua re beata Virgo Senensis Raimundo Capuano eodemque confessario suo, ante praemisso, ad Pontificem litteras dat, quibus « Christi Crucifixi nomine)), tria expromit agenda potissimum Pontifici, si velit quoquoversus tranquilla pace frui, hoc

[11] *Ep.* 219, vel. LXV.
[12] G. La Pira in Comm. *Vita cristiana,* 1940, p. 206.
[13] Cfr. *Ep.* 206 vel. LXIII.
[14] *Ep.* 218 vel. LXXIV.
[15] *Ep.* 171 vel. LX.
[16] *Ep.* 231 vel. LXXVII.
[17] *Ep.* 206 vel. LXIII.

est : ut dignos Episcopos constituat, Crucis signum extollat in Terram Sanctam recuperandam ; Sedem pontificalem Eomae restituat.

Nempe eius oratio vocem Prophetarum sapit, maxime cum de Ecclesiae paupertate tractat, atque damna bonorum temporalium, quanta essent, attingit. De reditu vero Vicarii Christi in Sedem suam, positis ambagibus, haec habet : « Responde Spiritui Sancto, qui te vocat. Ego autem dico tibi : Veni, veni, veni ». Quem postquam cohortata est ut ((ceu mitis agnus » redeat, quo maiorem dictis vim addat, hoc subiungit, ingenua libertate dicendi : « Esto mihi vir fortis, non haesitabundus ».[18] Ceterum maeror tardissimae morae atque tot animorum ruinae, has ab ea voces eliciunt : « Eheu mihi, Pater, quae dolore delicio, neque tamen mori valeo ».[19]

Ubi autem die xvin Iunii Avenionem pervenit, tunc per viva colloquia cum Pontifice, nulla usa aut iactantia aut timiditate, profecto effecit ut eius officii conscientia praepolleret, utpote dilationem nullam recipiens. Qua re pius Pontifex, diu fluctuans, in eam tandem opinionem venit per Virginem Senensem revera Deum loqui, qui de sua voluntate eum certiorem faceret.

Ad Gregorium autem quod attinet, Avenione die xin Septembris, anno **MCCCLXXVI** relicto, Romam die xvin Ianuarii insequentis anni pervenit, adclamante felicissime populo.

Serius vero Catharina, post legationem in « Valdorciam » administratam, rem de pace cum Florentinis concilianda iterum suscepit; ac parum abfuit, quin, anno **MCCCLXXVIII**, in tumultu necaretur. Hac de re amabiliter querebatur, quod, postquam ad martyrium paene accessisset, ((aeternus Sponsus ei quasi valde illusisset w.[20]

Sed heu ! Eo anno, electo inter tumultus post Gregorii mortem Urbano VI, viro certe paulo rigidiore eodemque ad morum reformationem inclinato, magnum Schisma oritur, quo per quadraginta fere annos est unitas Ecclesiae turbata. Catharina, tametsi praeviderat, vulnus illud mortiferum in sua carne tulit. Ac, ceteris omnibus posthabitis, omnes vires suas eo intendit, ut unitatem mystici corporis Christi resarciret, pro unico atque vero Pontifice dimicans. Inde vero ardentissimae eius litterae bene definiri possunt ((nuntiae unitatis christianae)), ob quam, summa erga Ecclesiam et Pontificem dilectione, flagrabat eius anima.

[18] ***IUd.***

[19] ***Ep.*** **196 vel. LXIV.**

[20] ***Ep.*** **295.**

Scilicet Catharina, ab Urbano VI Romam aceita, eo alacris et prompta advolavit, ubi iam, quasi in arce ipsius Ecclesiae, ageret. Monere igitur ac suadere ut ((dulci Christo in terra » ii uni praesto essent qui integritate vitae niterent, quique consilio, precatione, sanctitate assisterent. E domo ipsius, in Via « a Papa » (res notatu digna) sita, iamque in domicilium publicorum oratorum conversa, litterae ac nuntii ad potentes Italiae proficisci, ad Reges Europae, ad Cardinales repugnantes, ad servos Dei ope egentes. Sancta Virgo, praeterea, milites pro Urbano dimicantes animo confirmabat, tumultuantem populum Romanum placabat, impetus Pontificis temperabat, sepulchrum beati Petri non sine negotio petebat, ubi preces funderet.

Sic annum cum semisse duri atque inexhausti laboris consumpsit, preces fundens amoris plenas : « Deus aeterne, aiebat interdum, suscipe vitam meam hanc tamquam hostiam, in hoc mystico Ecclesiae sanctae corpore ».[21]

Ita, inter invocationes atque vehementissima animi desideria, Romae moritur, die dominico xxix mensis Aprilis, anno **MDCCCLXXX**, tres ac triginta annos nata, quot Sponsus eius Crucifixus vixerat.

Eius corpus conditum est Romae, in templo S. Mariae supra Miner - vam ; ibique colitur sub ara maxima. Caput vero Senas missum est, atque per triumphum a clero populoque exceptum, praesente Lapa, Catharinae matre. In qua urbe et asservatur, in templo S. Dominici.

Catharina in Sanctorum album relata est a Summo Pontifice Pio II, per Bullam « Misericordias Domini », die xxix mensis Iunii, anno MCCCCLXI ; ac per hoc fuit illa sollemniter ceu specimen sanctitatis Ecclesiae universae proposita. Ceterum Catharina in exemplum sumi potest excelsae illius magnitudinis, ad quam simplex de populo mulier evehi potest, omnipotentis Dei gratia suffulta.

II. Iam si ad Catharinam litteratorum more respicias, mulierem quidem dices prorsus singularem. Nam, licet nullius ludum frequentasset, essetque illitterata (fortasse tardius atque imperfecte didicit), tale tamen corpus scriptorum dictavit, ut in optimorum auctorum Italorum numero saeculi xiv in scriptoribusque mysticae disciplinae maximis locum haud minimum teneat adeo ut titulum Doctoris Ecclesiae meruerit, quo est a Paulo VI, Decessore Nostro, die iv mensis Octobris, anno MDCCCCLXX insignita. •

[21] *Ep.* 371.

Supersunt eius *Epistulae* **CCCLXXXI**,[22] ad humiles ad proceresque missae viros. Inest in illis insignis atque egregia pietas, quae luculenter ostendit eam iis, quae exprimit, vesci, idque abundanter, ingenua sane et eloquenti usam oratione, interdum poeticis etiam distincta luminibus. Mtent etiam Epistulae illae flagrantissimo studio erga hominem, imaginem Dei simul, simulque peccatorem; erga Christum Redemptorem, praeterea, eiusque Ecclesiam, agrum videlicet, in quo Salvator noster efficit, ut sanguinis sui thesaurus fructus edat in hominum salutem. Deprehenditur quoque in illis tener animus, quasi ad omnes hominum subeundos labores natus; et ingenii celeritas; et fides, urens quidem ceu ignis in reprehendendis vitiis, mitescens tamen cum tepidos admonet, aut recreat adflictos. In hac autem agendi ratione nihil fucatum aut tri tum invenías, sed solidum vigorem etiam in ipsa pietate.

Praeter Epistulas Catharina inter annos **MCCCLXXVII-MCCCLXXVIII** per varia temporis ac negotiorum intervalla, librum dictavit, qui plerumque inscribitur *Dialogus de divina Providentia,* seu *De divina doctrina/*[23]*quo* stupens eius anima cum Domino colloquitur, ac quae aeterna Veritas ei de bono Ecclesiae, huius filiorum, universi orbis quaerenti dixerit, refert. Eminent in hoc opere sensus propheticus, ingenii aequitas, perspicuitas in dicendo; atque una cum augustissimis religionis nostrae mysteriis, de altissimis etiam quaestionibus rei asceticae ac mysticae Catharina disserit. Constans autem et pia Virginis mens ad fratres usquequaque respicit qui sunt in mundo, quos ad mala quaeque pronos videt, quosque adnititur e mortali veterno excitare dormientes. Interim animi humani indagatrix acerrima, quae sit via perfectionis multa luce collustrat, hominisque provectionem celebrat, qui, si Christum oboedientem sequatur, certe viam tutam inveniet ad beatam Trinitatem. Prospectus vero editus et apertus, rerum veritas, quas Catharina experta tractat, verborum sententiarumque vigor et splendor, faciunt ut opus hoc egregium ((flos habeatur Litterarum Religiosarum Italae stirpis ».[24]

Sunt denique *Orationes,*[25] seu preces, ex ore ipsius excerptae ultimis

[22] **Variae sunt recentioris temporis editiones (cfr. e. g. Tommaseo, Misciatelli, Ferretti, Meattini; quae omnes enumerationem a Tommaseo mutuantur. Est etiam ed. critica, 88 Epistulas continens, cum enumeratione Romana, quam Dupré-Theseider curaverunt a. 1940).**

[23] **Ed. curavit I. Cavallini, Romae 1968.**

[24] **E. Underhill, *Mysticism.*, ed. Meridian Book, 1955, p. 467.**

[25] **Ed. criticam curavit I. Cavallini, Romae 1978,**

vitae annis, quibus Virgo Senensis effusissime ae sollicito animo cum Deo quasi praesente loquitur. Agitur de precibus subito factis ex eius mente, luce mersa divina, profluentibus, atque e corde manantibus de hominum miseriis adflicto ; quae nullis tritis aut sententiis aut expostulationibus indulgentes, vivae sunt et confidentes, ac, tametsi interdum verbis audacibus explicatae, sunt tamen omnino sincerae ac rectae.

III. Figura vero omnium maxime expressa et amplissima, qua utitur huius veritatis et amoris Magistra, est pontis imago ; quae profecto fere opus sancti Ioannis a Cruce praeoccupat, quod inscribitur « Ascensus in Montem Carmelum ». Adumbratur autem per illam imaginem iter hominis a peccato ad verticem perfectionis, pressa quidem, sed subtili inquisitione psychologica. Totius vero tractationis propria ac principalis qualitas in eo est posita ut ((Christocentrismum » vehementer redoleat, in quo nititur: pons enim iste Christus Iesus est, sive ipsa corporis figura in ligno suspensi, sive doctrina ac gratia sua.

Tunc autem pons iste immensae voragini, per peccatum effectae, ac limoso corruptionis saeculi flumini, ad caeli terraeque ripas coniungendas impositus est, cum Dei Filius carnem sumpsit, divinam humanamque in se copulans naturam ;[26] estque unica iis via, qui vere velint ad vitam aeternam pervenire. Quippe omnis homo, gratiae Christi allicientem virtutem sequens *(Io.* 12, 32 : « omnia traham ad meipsum))) et paulatim laqueos peccati abrumpens, e timore imperfecto, seu servili, se eripit ; item amorem sui sensibilem ac spiritualem exuit, omnemque imperfectionem deponit.

Interim fit ascensus, totus in amore; siquidem Catharina cum divo Thoma optimisque theologis de vitae perfectione ita sentit, ut eam in ((virtute caritatis » ponat,[27] atque cum Concilio Vaticano II[28] conspirât, sive in hoc, sive ad universalem vocationem ad sanctitatem quod attinet.[29] Statuit vero tres gradus in Christo-ponte (((scaloni » dicit populari lingua) quos conscendat anima, quibusque significantur vel tres animae facultates, elatae amore, vel tres status progredientis animae : imperfectorum, perfectorum, perfectissimorum.[30]

In hoc ergo ponte, scalis simili, gradus primus consistit in amore

[26] ***Dialog,* cc. 21-22; *Ep.* 272.**

[27] ***Dialog,* c. 11.**

[28] ***Lumen Gentium,* c. 5.**

[29] ***Dialog,* c. 53.**

[30] ***Dialog,* c. 26.**

servili, alter in amore qualis est amicorum, tertius in amore filiorum.[31] Divisio vero ternaria non simpliciter formam illam primis lineis designatam ac tralaticiam tractationis sequitur, sed didactica ratione multa praebet per proprias rerum adnotationes, ad gradus illius ascensus attinentes, ac modum superandi stationes inferiores, ut ita loquamur, itineris; idque ea indagandi ratione, quam ex cotidiano usu animorum Catharina colligit.

Etiam sequentia *Dialogi capita,*[32] quem *Tractatum lacrimarum* vocare consueverunt, eandem viam et rationem ineunt, ascendentis itineris nempe, sed modo omnino novo; atque documento sunt fuisse Catharinam non solum fertilis ac singularis ingenii, sed etiam maturae ae definitae artis didacticae Magistram, tametsi dictabat ex tempore.

Quamquam spiritualis progressus non est solum res uniuscuiusvis personae. Scit enim probe sancta Catharina, ut omnes Sancti, esse et alios, et proximum momentum magnum habere; ac bene percipit amorem proximi cum Dei amore esse arcte conexum et aptum quemadmodum etiam Sacrosanctum Concilium Vaticanum II in luce collocat.[33] Eius ipsius est illa inopinata vox, quam Christi ore pronuntiat : « Te doceo nullam fieri virtutem, nullumque defectum, nisi per proximum **A**.[34] Quae certe Catharina ita vult intellegi, proximum, ob gratiae atque caritatis communionem, bono vel malo, quodcumque gerimus, alligari ;[35] sed horum intellectus verborum latior : nempe esse proximum veluti « instrumentum » per quod potissimum caritas operetur, atque locum ubi in primis virtus necessario exerceatur, si non unice.

Interdum ipsum aeternum Patrem inducit, dicentem : « anima quae me vere amat, ea etiam proximo suo operam navat; ... ac, quanto me amat, tanto illum amat : nam amor in proximum a me profluit. Haec profecto via est, quam ostendi ut exerceatis et exploretis virtutem in vobis; qui, cum nulli mihi esse utilitati possitis, proximo commodo sitis oportet ».[36]

Ex quo principio sescenties inculcato, sequitur ut proximus sit velut ager in quo dilectio fraterna, patientia, iustitia socialis maxime pa-

[31] ***Dialog,* cc. 56-57.**

[32] ***Dialog,* cc. 87-96.**

[33] ***Lumen Gentium,* c. 5.**

[34] ***Dialog,* c. 6.**

[35] **Cfr. T. Deman, *La parte del prossimo nella vita spirituale secondo il Dialogo,* in *Vita cristiana,* 1947, n. 3, pp. 250-258.**

[36] ***Dialog,* c. 7.**

teant, exerceantur, investigentur, definiantur. Nam inhaerentes in usu cotidiano cum aliis ipsae simultates virtutem probant,[37] atque, firmiter servata comparatione cum Dei dilectione exsistentiali, « eadem perfectione qua amamus Deum, rationalem crea turam nos etiam amamus i».[38]

Quod autem Catharina solidae humanae necessitudinis argumentum tam premit, eo etiam conducit, ut in luce ponatur radix ima fraternitatis humanae, quam Christus docuit. In his enim rerum adiunctis, unusquisque hominum fit alterius paene complementum. Atque ad hoc divina Providentia alios aliis tum corporalibus tum moralibus donis cumulavit, ut hominum quilibet aliorum ope indigeat, « atque ita necessario detur materia in vicem utendae caritatis »,[39] omnesque obligentur hac quasi reciproci auxilii necessitate, sicut corporis membra.[40]

Eadem lege etiam in Ecclesia universa est haec partium necessitudo : quod per allegoriam trium vinearum ostenditur : propriae seu personalis, videlicet, ad proximum pertinentis atque universae populi Dei. Harum autem duae priores ita inter se coalescunt, ut «nemo sibi bene facere possit, quin simul et proximo bene faciat ; neque male quis agat erga se, quin etiam erga proximum)).[41]

Sed in delineanda conexione cum tertia vinea summa Catharinae aequilibritas et ordo mirabilis liquet. Namque in hac universali vinea, sata est unica atque vera vitis, nempe Christus Iesus, in quam unaquaeque vitis inseratur oportet, ut vitam hauriat.[42] In hac vinea operariorum praecipuus est Papa, « Christus in terra, qui sanguinem eius nobis administrare debet » ;[43] cui nimirum quilibet alius operarius obnoxius est, sive ob debitam oboedientiam, sive quia ((ipse sanguinem mitis Agni quasi cia vi condit w.[44] Scilicet his sententiis luculenter Petri primatus exprimitur tum magisterii tum regiminis, « a prima suavi Veritate statutus)),[45] quo quidem primatu et institutio et charisma inter se iunguntur in Christo, qui eorum est fons unicus.

Ad hanc legem tota respexit Catharinae, huius quasi angeli, Ecclesiae custodis tutelaris, industria pro Romano Pontificatu.

[37] ***Dialog,*** **cc. 7-8.**

[38] ***Ep.*** **263. Cfr. *Dialog,* cc. 7 et 64.**

[39] ***Dialog,*** **c. 7.**

*° ***Dialog,*** **c. 148.**

[41] ***Dialog,*** **c. 24.**

[42] ***Ibid.***

[43] ***Ep.*** **313 et 321.**

[44] ***Ep.*** **339; cfr. 309 et 305.**

[45] ***Ep.*** **24 vel. X.**

Munus sane ingens, quod Catharina Senensis, iuxta arcana Divinae Providentiae consilia, in historia salutis, tuita est, non quidem Auxit cum beatissimae illius exitu ad caelestem patriam. Ipsa enim salubriter Ecclesiae prodesse perrexit sive per egregia virtutis exempla, sive scriptis suis admirabilibus.

Qua re Pontifices Summi, Decessores Nostri, perenne momentum eius uno ore laudarunt ; eamque fidelibus Christi per saecula proposuerunt admiran dam et imitandam. Quorum profecto Pontificum, ut nonnulla subiciamus, Pius II in Bulla Canonizationis eam definit, prophetias quasi vocibus usus : ((Illustris et indelebilis memoriae Virginem » ;[46] Pius IX, anno **MDCCCLXVI**, eam alteram Romae Patronam renuntiavit, Pius X eam mulieribus ab Actione Catholica exemplar destinavit, quarum etiam Patronam edixit; Pius XII S. Franciscum Assisi ensem atque S. Catharinam Senensem Patronos Italiae principes, datis apostolicis Litteris « Licet commissa », die xvui Iunii, anno **MDCCCCXXXix**, declaravit; qui praeterea in sermone, sane memorabili, quem de iis in templo S. Mariae ad Minervae, die xv Mai anno **MDCCCCXL** habuit, Catharinae Senensi hoc praeconium attribuit : « In hoc serviendi Ecclesiae ministerio vos pulchre intellegitis, dilecti Filii, Catharinam tempora nostra haec antevenisse, per talem scilicet agendi rationem, quae, dum animas catholicae gentis amplificat, Senensem Virginem prope fidei ministros collocat; subiectam, nempe, eandemque in propaganda veritate, in restaurando ordine morali ac sociali humani consortii sociam ».[47]

Neque vero minus vividae neque aetati nostrae minus accommodatae sunt laudes quas de persona atque industria Catharinae habuit Summus Pontifex Paulus VI, f. r., qua occasione sacra eius anniversaria faceret. E cuius Venerabilis Decessoris Nostri sermone haec profecto referre placet, quae, ut his temporibus, praevalida videntur : ((Sancta Catharina (sic ait Paulus VI, die xxx Aprilis, anno **MDCCCCLXIX**) adamavit Ecclesiam secundum duplicem eius naturae faciem : mysticam, videlicet, spiritualem, in visibilem, sive essentialem, Christum Redemptorem gloriosum recto respicientem, qui sanguinem suum (numquis de Christi sanguine tantopere locutus est ut Catharina?) fundere in mundum per Ecclesiam suam non cessat ; iuxta alteram,

[46] **Bull. *Misericordias Domini,* Bullar. Roman., V, a. 1860, p. 165.**

[47] ***Discorsi,* II, p. 100.**

praeterea, faciem, id est humanam, historicam, hierarchicam, quam videmus, quaeque numquam est a priore distincta. Atque hic quaerendum est num censores nostri qui hodie de aspectu Ecclesiae quatenus est institutio, tam severe iudicant, hanc convenientiam perspicere valeant».[48]

Quamquam, Paulus VI egregiam suam opinionem de perpetuitate doctrinae asceticae atque mysticae Catharinae tunc maiorem ostendit, cum maiore etiam auctoritate ei pariter ac Sanctae Teresiae Ahulensi titulum Doctoris Ecclesiae attribuit; qua opportunitate de mira eius quoque sapienia praedicavit, in Vaticana Basilica S. Petri, die iv Octobris, anno **MDCCCCLXX.**[49]

Scilicet si ad vitam industriam Catharinae respiciamus, sive litterariam sive apostolicam, id idem cum illa a Deo factum esse videtur, quod olim nonnullos Episcopos, Petri limina visentes, monuimus, Spiritum Sanctum nempe semper aliquid agere et moliri ad fidelium mentes instinctu suae veritatis illuminandas, eorumque corda suo amore inflammanda. Has tamen fidei perceptiones, atque hunc sensum fidelium non abhorrere ab Ecclesiae magisterio, quo tamquam instrumento Spiritus Sanctus uti, quodque sua fulcire virtute. Tum solummodo, cum Christi fideles verbo Dei aliti fuerint, sancteque integreque prodito, charismata, sive dona eorum propria, res fieri operosas, easdemque fecundas.[50]

O trahat, dilectissimi Fratres ac Filii, exemplum S. Catharinae — cuius vita tam negotiosa fuit, atque tum Patriae tum Ecclesiae fertilis : nam fuit aeque ad Spiritus Sancti instinctum docilis, aeque magisterio Ecclesiae parens — trahat, inquimus, plurimos in maiorem admirationem atque imitationem eius eximiarum virtutum : per quod confirmaretur, si accidat, fuisse et esse eius mortem vere pretiosam in conspectu Domini, ut « mors Sanctorum eius »[51] esse consuevit.

His ergo animi Nostri sensibus patefactis, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii ex Italia, necnon universis qui ubique terrarum hanc anniversariam memoriam mortis sanctae Catharinae Senensis piis recolunt mentibus, nominatim Ordini Fratrum Praedicatorum atque Monialibus et Sororibus quae secundum eiusdem religiosae Familiae instituta

Insegnamenti di Paolo VI, VII, 1969, p. 941.

Cfr. *AAS* 62 (1970), pp. 673-678.

Cfr. Alloc. Indorum Episcoporum coetui habitam, die 31 Mai, 1979, p. 998.

Ps. 116, 15.

vitam agunt Deo consecratam, Benedictionem Apostolicam amanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxix mensis Aprilis, in memoria Sanctae Catharinae Senensis, Virginis et Ecclesiae Doctoris, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

GUAMENSIS

Praelatura Guamensis in Brasilia ad gradum dioecesis evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum Praelatura Guamensis in Brasilia his postremis temporibus catholicorum numero operibusque^ religiosis ac civilibus magnum ceperit incrementum, iamque in condicionibus sit quibus vita pastoralis stabilis evadat, Conferentia Episcopalis Brasiliensis enixe postulavit ut illa Praelatura ad dioecesis dignitatem eveheretur. Ideo, audito favorabili voto Venerabilis Fratris Carmeli Rocco, Archiepiscopi titularis Iustinianopolitani in Galatia, et in Brasilia Apostolici Nuntii, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Sacrae Congregationis pro Episcopis praepositorum, preces de hac re ad Nos admotas animarum saluti valde profuturas censuimus benigneque excipiendas. Quapropter suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel sui interesse praesumentium consensu, suprema Nostra Apostolica auctoritate Praelaturam Guamensem ad gradum et dignitatem dioecesis extollimus in eoque constituimus, servatis eodem nomine iisdemque finibus quibus nunc terminatur. Sedem episcopalem novae dioecesis in eadem urbe statuimus, in qua est Praelaturae sedes in praesens, cuius templum praelaticium ad dignitatem ecclesiae cathedralis attollimus, cum iuribus congruis. Episcopo vero pro tempore honores, insignia, privilegia iuraque tribuimus, atque onera et obligationes imponimus, quae

residentialium Antistitum sunt propria. Conditam novam dioecesim Guamensem insuper Metropolitanae Ecclesiae Belemensis de Para suffraganeam confirmamus, itemque Episcopum metropoliticae iurisdictioni Archiepiscopi Belemensis de Para subdimus. Decernimus etiam ut pro canonicis deligantur et adhibeantur consultores dioecesani, qui Episcopo auxilio sint, donec canonicorum collegium, alias per Apostolicas Litteras condendum, constituatur. Quod ad seminarium struendum ac moderandum attinet, serventur praescripta iuris communis, ratione habita normarum Concilii Oecumenici Vaticani II « Optatam Totius » et attentis regulis a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica statutis. Vehementer praeterea hortamur ut in dioecesi Guamensi pastoralia incepta ad vocationes praesertim sacerdotales excitandas maximo foveantur studio, unde suo tempore selecti iuvenes Romam mitti possint ad Pontificium Collegium Pium Brasiliense, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendi. Erectione dioecesis Guamensis ad effectum deducta, eo ipso clerus eidem Praelaturae adscriptus novae dioecesi incardinatus censeatur. Ad haec omnia perficienda denique deputamus Venerabilem Fratrem Carmelum Rocco, quem supra memoravimus, eidem necessarias et opportunas facultates tribuentes, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito peractae exsecutionis actus exemplar authenticum ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittendi. Volumus autem ut Apostolicae hae Litterae Nostrae firmae sint et efficaces nunc et in posterum, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **SEBASTIANUS** Card. B **AGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Amatus Petrus Frutaz, *Proton. Apost.*

Loco $3 Plumbi

In Secret. Status tab., n. j2043.

II
PALMERSTONAQÜILONIANA

In Nova Zelandia dioecesis conditur Paimerstonaquiloniana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Properamus et gestimus Nos, qui in apostolorum principis locum successimus, ea omnia peragere, quae fidei nostrae Christique religioni propagandae aut intendendae conferre possunt. Quam ob rem, cum Venerabiles Fratres Conferentiae Neo-Zelandicae, prae oculis habentes Decretum « Christus Dominus » Concilii Vaticani II, bene fieri censuerint si, detractis territoriis nonnullis ab archidioecesi Wellingtonensi, quae in finibus est Neo-Zelandiae, nova ibi dioecesis constitueretur, Nos, negotio bene reputato consilioque petito a Venerabilibus Fratribus Nostris Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositis atque audito favorabili voto omnium quorum interest, sequentia decernimus ac statuimus. Comitatus (vulgo ((counties ») Clifton, Stratford, Inglewood, Taranaki, Egmont, Waitame West, Hawera, Eltham, Patea, Waitotara, Waimairino, Wanganui, Rangatikei, Kiwitea, Pohangina, Oroua, Manawatu, Kairanga, Eketahuna, Pohiatua, Woodville, Dannevirke, Waipukurau, Waipawa, Hawke's Bay (in qua Abbatia Southern Star ceu flamma pietatis Iacet) et Wairoa, nec non ea pars Districtus civilis vulgo Waitomo, in qua pagi Awakino et Mokau exstant, ab archidioecesi Wellingtonensi distrahimus, iisdemque novam constituimus dioecesim nomine Palmerstonaquilonianam, cuius fines iidem erunt ac fines civilium provinciarum quibus componitur. Nova dioecesis suffraganea erit metropolitanae Ecclesiae Wellingtonensi, sic ut eius Episcopus, Archiepiscopo. Qui insuper Sedem suam episcopalem in urbe Palmerston North collocabit, in templo scilicet Sancti Patricii cathedra posita, cui iura concedimus cathedralium sacrarum aedium propria. Iubemus praeterea ut ob locorum huiusque temporis adiuncta, pro Canonicis, dum eorum Collegium constituatur, ad normam iuris Consultores dioecesani deligantur, qui sacro dioecesis Praesuli assistant. Cetera ad Ius Canonicum disponantur, ad amussim. Haec quae diximus ad effectum adducat Apostolica Nuntiatura, vel ab ea delegatus sacerdos, confectique negotii documenta sueto modo exarata ad

Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittat. Has Litteras Apostolicas ratas esse sive nunc sive in posterum volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

AGNELLUS Card. Rossi
S. Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Secret. Status tab., n. 89604.

III
HAMILTONENSIS IN NOVA ZELANDIA

In Nova Zelandia dioecesis conditur Hamiltonensis in Nova Zelandia cognomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Venerabiles Praesules Conferentiae Neo-Zelandicae, prae oculis quidem habentes Decretum «Christus Dominus» Concilii Vaticani II, deque filiorum bono solliciti, quorum patres a Deo et magistri et rectores constituti sunt, bene fieri censuerunt, si detractis territoriis nonnullis ab Aucopolitana Dioecesi, quae est in finibus Neo-Zelandiae, nova ibi loci excitaretur dioecesis : inminuto enim eius Ecclesiae territorio nimium patente, auctoque pastorum numero per alterius dioecesis constitutionem, iam etiam fructus in eius terrae plagis augeri posse confidant. Qua re, Nos, re bene considerata, consilioque audito Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium Sacrae Congregationi pro Gentium evangelizatione praepositorum, itemque Ordinariorum illorum explorata sententia, auctoritate Nostra apostolica haec decernimus atque statuimus. Comitatus (vulgo « counties ») Raglan, Waipa, Oto-

rohanga, Taumarunui, Otinemuri, Piako, Matamata, Tauranga, Rotorua, Taupo, Opotiki, Waiapu, Waikohu, Cook, et Waikato (excepta tamen ea parte Comitatus Waikato quae ad aquilonem viae principalis vulgo ((State Highway n. 2 » sita est) ; nec non Districtus civiles Whakatane et Waitomo (exceptis pagis Awakino et Mokau, in Districtu Waitomo sitis, ab archidioecesi Wellingtonensi per alias Litteras Apostolicas detractis atque dioecesi Palmerstonaquilonianae assignatis), a dioecesi Aucopolitana separamus, quibus novam dioecesim condimus, ab nomine Hamilton *Eamiltonensem in Nova Zelandia* cognominandam, ita ut limites huius Ecclesiae iidem sint ac fines civiles territorii, de quo diximus. Condita dioecesis Wellingtonensi metropoli suffraganea subiciatur sic ut eius Episcopus, Archiepiscopo. Qui praeterea Sedem suam episcopalem in urbe Hamilton collocabit, in templo scilicet Beatae Mariae Virginis cathedra posita, cui iura facimus cathedralium sacrarum aedium propria. Id etiam iubemus, ut pro Canonicis, dum horum Collegium constituatur, Consultores dioecesani deligantur, qui consilio atque ope Episcopo assint. Cetera ad Ius Canonicum disponantur, ad amussim. Ad has vero Litteras ad rem adducendas Apostolicam Nuntiaturam deputamus, factis nempe iuribus necessariis, quae delegari possunt cuivis in ecclesiastica dignitate constituto Viro. Be vero acta, documenta exarentur, atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur. Has Litteras Apostolicas ratas esse sive nunc sive in posterum volumus, contrariis minime ohstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

AGNELLUS Card. Rossi
S. Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco ₤ß Plumbi

In Secret. Status tab., n. 39605 bis.

IV
MEKIENSIS

In Aethiopia nova constituitur Praefectura Apostolica nomine Mekiensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Evangelizationis operi in Aethiopia quo aptius consulerent, censuerunt Venerabiles Fratres Nostri S.R.E. Cardinales Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione praepositi bene fieri si, quibusdam territoriis a Vicariatu Apostolico Hararensi detractis, nova conderetur circumscriptio ecclesiastica. Nos autem, accepto favorabili voto omnium quorum interest, libenter concedimus ea de quibus Venerabilis Frater Noster Agnellus S.R.E. Cardinalis Rossi, Praefectus eiusdem Sacrae Congregationis Nobis hoc super negotio rettulit, atque haec quae sequuntur auctoritate Nostra apostolica decernimus. A Vicariatu Apostolico Hararensi territoria separamus, quae regiones vulgo appellatas « Arssi » et « Bale)) atque sub-provinciam « Butejira-Haigotch » complectuntur, iisque Praefecturam Apostolicam condimus Meldensem appellandam. Eam pastorali ratione exercendam concredimus sodalibus Instituti Missionum a Consolata, plane fore confisi, ut ex assidua ipsorum opera fructus uberes optimique colligi possint. Eos insuper paterne hortamur, ne quid omittant quo christiana fides propagetur, extendatur, prorogetur. Haec quae statuimus, sive nunc sive in posterum rata esse volumus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

AGNELLUS Card. Rossi
S. Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Ioannes De Riccardis, *Proton. Apost. s. n.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 41666.

V

NEO-IGUASSUENSIS **ET** BARRENSIS **DE** PIRAI-VOLTAREDONDENSIS (ITAGUAIENSIS)

Detractis quibusdam territoriis ab Ecclesiis Neo-Iguassuensi et Barrensi de Pirai-Voltaredondensi, nova dioecesis conditur nomine Itaguaiensis.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Gravissimum supremi Pontificatus officium divina Nobis commissum voluntate Nos iugiter sollicitat ut quae spiritali Christifidelium saluti eorumque regimini feliciter evenire videantur, ea studeamus opportune praestare. Libentes igitur esse accedendum precibus censuimus Venerabilium Fratrum Hadriani Hypólito, Episcopi Neo-Iguassuensis et Waldyri Calheiros de Nováis, Episcopi Barrensis de Pirai-Voltaredondensis qui, Episcoporum Brasiliensium Conferentia audita, ab hac Apostolica Sede petiverunt ut e nonnullis Ecclesiarum suarum disiunctis territoriis, nova dioecesis conderetur. De consilio ergo sive Venerabilis Fratris Carmeli Rocco, Archiepiscopi titulo Iustinianopolitani in Galatia et in Brasilia Apostolici Nuntii, sive Venerabilium Fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Sacrae Congregationis pro Episcopis praepositorum, deque plenitudine Nostrae potestatis sequentia decernimus. A dioecesi Neo-Iguassuensi totum distrahimus territorium, prout in praesens civili lege circumscribitur, municipiorum Itaguai et Mangaratiba; a dioecesi autem Barrensi de Pirai-Voltaredondensi totum territorium separamus, prout in praesens lege civili terminatur, municipiorum Angra dos Reis et Parati ; atque ex his distractis territoriis novam dioecesim condimus Itaguaiensem appellandam, iisdemque circumscriptam finibus quibus municipia, quae diximus, simul sumpta, terminantur. Huius novae dioecesis episcopalem sedem in urbe Itaguai ponimus, templumque ibi exstans Deo dicatum in honorem Sancti Francisci Xaverii ad gradum et dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus iustis cum iuribus. Itaguaiensi insuper pro tempore Episcopo et honores, insignia iuraque damus, et obligationes etiam imponimus residentium sacrorum Pastorum proprias. Eandem praeterea suffraganeam facimus Sedi Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii, eiusque pro tempore Episcopum metropolitico iuri Archiepiscopi huius Sedis subicimus. Canonicorum

collegium in ea instituatur iuxta morem in ista regione vigentem perque alias Apostolicas Litteras suo tempore edendas; interea consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo assint. Mensa episcopalis efficietur Curiae emolumentis, pecuniis a fidelibus sponte oblatis et bonorum parte, quae ei obvenient ex praescripto canonis 1500 C.I.C., quaeque hucusque ad mensas episcopales dioecesium Neo-Iguassuensis et Barrensis de Pirai-Voltaredondensis pertinebant. Ad Seminarium quod attinet, idem struatur, servatis praescriptis iuris communis, decreto Concilii Vaticani II « Optatam Totius », peculiaribus normis Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica. Selecti vero alumni, philosophicis theologicisque imbuendi disciplinis, necnon sacerdotes ad studia complenda, Romam, ad Pontificium Collegium Pium Brasiliense, mittantur. Cum autem dioecesis condita fuerit, eo ipso sacerdotes ei Ecclesiae addicantur, in qua officium vel beneficium habeant; ceteri vero sacerdotes, clerici Seminariique tirones ei, in qua legitime degant. Acta denique et documenta novam dioecesim eiusque clericos, fideles et bona spectantia a Curiis episcopalibus Neo-Iguassuensi et Barrensi de Pirai-Voltaredondensi ad Curiam Itaguaiensem transferantur, in tabulario custodienda. Haec quae praescripsimus ad effectum adducat Venerabilis Frater Carmelus Rocco, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos in ecclesiastica dignitate constitutus, qui ad Sacram Congregationem pro Episcopis effecti negotii documenta mittat, de more signata sigilloque impressa. Has quidem Apostolicas Litteras nunc et in posterum efficaces esse foreque volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

% **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Amatus Petrus Frutaz, *Proton. Apost.*

Loco £B Plumbi
In Secret. Status tab. n. ^Olfi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Templum Beatae Mariae Virginis in Caelum assumptae, quod est Aglonae, in archidioecesi Rigensi, ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Probe nostis, Venerabiles Fratres, quanta benignitate Romani Pontifices inditam semper Ucrainorum gentem prosecuti sint. Attentis peculiaribus ac prorsus singularibus rerum adiunctis in quibus versatur Ecclesia Catholica Ucrainorum sive domi sive per orbem commorantium, de ipsorum cura pastorali et spirituali ex imo corde solliciti, Nos Ioannes Paulus PP. II, vi mandati Apostolici Nobis concrediti, ut Summus Ecclesiae Catholicae Pastor, in hanc decisionem pervenimus vigilanti studio et apostolica sollicitudine necessitatibus eiusdem Ecclesiae Ucrainae occurrendi.

Quapropter, auditis Ucrainorum Hierarchis necnon ceteris operam Nobis prope praestantibus, per hanc Epistulam omnes et singulos Ucrainorum Episcopos in Synodum extraordinariam in Aedes Vaticanas in diem 24 mensis Martii hoc vertente anno 1980 convocamus, cui quidem Synodo Nos ipsi praeerimus. Eidem Synodo ipsi Episcopi interesse tenentur, nisi gravi causa Nobis significanda impediti. Huiusmodi extraordinariae Synodi erit elenchum trium candidatorum conficere, No-

bis porrigendum, relate ad Archiepiscopum Coadiutorem cum iure successionis Venerabili Fratri Nostro Iosepho Cardinali Slipyj, Archiepiscopo Maiori Leopolitano Ucrainorum, assignandum.

Synodum ipsam eiusque exitum patrocinio Beatissimae Virginis Mariae, Matris Dei et Matris Ecclesiae, intercessioni martyrum et confessorum Ecclesiae Ucrainae, precibusque omnium fidelium concredimus, ut Dominus Noster, cunctorum bonorum fons, imbrem coelestium gratiarum in Synodi Patres effundat eorumque consilia illuminet.

Qua quidem spe suffulti, Apostolicam Benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque presbyteris ac Christifidelibus Ucrainorum Ecclesiae peramanter impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die i mensis Martii, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PAULUS PP. II

II

Homilia a Summo Pontifice lingua ucraina in Xystino sacello habita sacris simul Archiepiscopo Maiore aliisque synodalibus Episcopis ritu byzantino-ucraino litantibus.*

Venerabiles Fratres, dilecti Filii,

Summo cum gaudio in hac Actione sanctissima atque intima communione cum Christo — qui in Eucharistia, in Sacramento videlicet ((quo unitas Ecclesiae et significatur et efficitur » *(Decr. Oecum.* U. R. 2), fit vinculum unitatis in caritate — vos omnes amantissime salvere iubemus, qui una cum Venerabili Fratre Nostro Iosepho **S.** R. E. Cardinali Slipyj, Archiepiscopo Maiore Leopolitano, huc ab universo orbe convenistis, ubicumque christifideles degunt curis vestris commissi, ut hanc Synodum celebraretis.

Vestri sane generis origo primigenia fieri non potest quin vicinitatem omnino singularem in Nostram memoriam redigat, quae inter fideles vestros gloriosum atque populum in quo Nos nati sumus, intercedit. Non ergo gratulemur vobis, qui cum populo vestro digni habiti estis ((pro nomine Iesu contumeliam pati » *(Act.* 5, 41) hac una de causa, quod Christo Iesu, Ecclesiae, huic Petri Sedi fidem servastis?

* **Die 24 m. Martii a. 1980.**

Ad hanc autem ipsam beatissimam Petri Sedem vos animos et corda vestra plena fiduciae ilico convertistis, cum convocati estis ad hanc Synodum, quam Nobis placuit celebrare vobiscum. Pro certo vero vos habetote, humilem Petri successorem, ut in hoc fraterno ac pleno laetitiae conventu, sic semper, nulla omissa facultate, non alio hoc maiore desiderio teneri, quam ut sit, iuxta Concilium Vaticanum II, « unitatis tum Episcoporum, tum fidelium multitudinis perpetuum et visibile principium et fundamentum » *(Lumen Gentium,* 23). Munus autem, quod sanctissimum in Nos suscepimus, idem est ac illud quod Constitutio *Lumen Gentium* asserit esse munus proprium *Petri Cathedrae,* quae ((universo caritatis coetui praesidet, legitimas varietates tuetur, et simul invigilat ut particularia, nedum unitati noceant, ei potius inserviant» (n. 13).

Haec vero unitas, testamentum amoris, idemque supremum Christi optatum, magna atque sacerdotali Christi prece contentum (Cfr. *Io.* 17, 11, 21, 23), profecto omnibus nobis maximam sollicitudinem affert, si modo consideremus Ecclesiae mysterium in mundo. Talis autem sollicitudo, si nos angit intimis sensibus contemplantes divisam corporis Christi inconsutilem vestem, aeque monet ad assiduas preces Deo adhibendas, quae cum Christi invocatione conmixtae, unitatem obtineant, simulque ad prudenter et animose agendum excitent, ut, salva uniuscuiusque optionis libertate, illa Ecclesiae restituatur « unitas spiritus in vinculo pacis», quae eos addecet, qui vocantur ad mirabilem et unicam spem, Christum.

Talis unitas ostendit mysterium illius vitae, qua nos omnes in Christo sumus « unum corpus et unus Spiritus », in veritate sic enuntiata ((unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium qui est super omnia et in omnibus» (Cfr. *Eph.* 4, 3-6). Multa et varia ministeria, significata etiam pluribus muneribus, convertuntur «in aedificationem Corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei » *(ib.,* 13).

Hoc « occurrere » partem habet demissi famulatus nostri. Ut Pastores gregis Dei debemus omnes facere quantum in nobis sit, ut caritas perficiat in Christo unitatem Ecclesiae suae. Maxima haec est res appetenda, ob quam oportet vigilemus, simus et industrii et fortes, ut ad effectum id adducatur, quod Iesus summus Pastor implorans petiit : « ut omnes unum sint». Haec Synodus nostra ad quid reapse spectat, nisi ad id tendit?

« Mysterium fidei », quod apud aram Dei celebramus, patefacit et per-

sequitur singulariter omnino istam unitatem, quam una cum Christo expetimus et in qua laboramus.

Profecto «sacramento panis eucharistici repraesentatur et efficitur unitas fidelium, qui unum corpus in Christo constituunt» *(Lumen Gentium,* 3; cfr. etiam 11). Mira haec unitas non tantum est agnoscenda in vinculo sensibili, quo ad unam mensam astringuntur fideles, sed etiam in intima communione cum Christo ((nostro Paschate)) *(1 Cor.* 5, 7). Iesus Christus, Redemptor Hominis, est principium unitatis novae omnium hominum. Nos, qui aliquando eramus longe, facti sumus prope in sanguine Christi (Cfr. *Eph.* 2, 13). Ipsum revera ((documentum» omnium praestantissimum, ipsa Eucharistia, perficit mysterium gratiae reapse consignatum cum Christus in Cruce obtulit reconciliationem pridem in ultima Cena signatam.

Qui est ((pax nostra », simul ac in morte « tradebatur corpus » iam in Cena discipulis oblatum, unitatem sanciebat, quam ut habeant in Eo, omnes homines advocantur. Tunc ruit dissaeptum, cuius causa fuerat peccatum, inimicitia evanuit, pax condita est et reconciliatio, constitutus est «unus novus homo» (Cfr. *Eph.* 2, 14-16). Mysterium corporis immolati sanguinisque effusi ut unitas aedificaretur, hic vivit in Eucharistia. Hic perficitur ((novum et aeternum testamentum », quod nostram cum Christo renovat coniunctionem et societatem affirmat. Talis communio hic fit perennis « transfusio » vitae, quae ad effectum adducit christianam rem omnium maxime appetendam, ipsum videlicet vivere pro Deo: «qui manducat me, et ipse vivet propter me» *(Io.* 6, 58).

At vivere pro Christo significat pro Deo vivere ; significat ad gloriam Patris contendere ; significat una cum Patre efficere perennem communionem precationis quae favet intimo motui Spiritus qui hominem ad illum elevat (Cfr. *Rom.* 8, 15; *Gal.* 4, 6); significat etiam facere cibum nostrum ipsam Patris voluntatem, dum videlicet explemus fideliter opus quod is concredidit nobis (Cfr. *Io.* 4, 34) ; significat esse perfectos, quem ad modum Pater perfectus sit in dono misericordis magnanimique amoris erga fratres (Cfr. *Mt.* 5, 43-48). Sic plane vita divina per ipsam Eucharistiam et auxilio Eucharistiae, quae est « totius vitae Christianae fons et culmen» *(Lumen Gentium,* 11), attingit in homine plenitudinem suam : plenitudinem communionis cum Patre in Spiritu per Christum sacerdotem ac victimam et vitae panem, quaeque effunditur per ipsum donum caritatis, et consortium gratiae et « communicationis » viam inter fratres.

Vera et profunda coniunctio inter homines nascitur peculiari modo

ex Eucharistia. In ea nempe Servator noster suae Sponsae Ecclesiae offert recordationem suae mortis ac resurrectionis tamquam *sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis* secundum nota Sancti Augustini verba quae sua fecit Constitutio *Sacrosanctum Concilium* (n. 47). In Eucharistia id est in vivissima Christi experientia, qui «dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam » *(Eph.* 5, 2), nos discimus «ambulare in dilectione» *(ibid.),* vel potius, maxime idonei reddimur ad Christi vitam qui nostra fit vita, ad imitandum Deum sicut «filii carissimi» *(ibid., T).* In Eucharistiae participatione nos « ex uno pane manducantes et ex uno calice bibentes » (Cfr. *1 Cor.* 10, 17), complemus in Christo communionem illam quae nobis permittit ut fiamus « cor unum et anima una » (Cfr. *Act.* 4, 32) et ut praeparemur ad amandum sicut Christus amavit (Cfr. *Io.* 13, 34) ita ut etiam parati simus ad patiendum vitamque tradendam pro fratribus (Cfr. *Io.* 15, 13).

Si comprehendimus historiam Ecclesiae vestrae, quam historiam aliqui ex vobis reapse vixistis, certo dicere possumus vim ac virtutem fidei, quae fit amor et traditio sui pro fratribus usque ad martyrium, esse experientiam quae ex Eucharistia nascatur. In ipsa invenit Ecclesia vestra originem heroicarum virtutum ; per ipsam amor vester declaratus est in « confessione » quae pastorum fideliumque unitatem conglutinavit.

« Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus» *(1 Cor.* 10, 17). Haec vero coniunctio mirabilis impletur notabili quidem ratione in hac ipsa celebratione quae aperit consessum gratiae et amoris qui est vestrae Ecclesiae Synodus.

Hic cum Petro sociamini « communione fraternae caritatis atque studio permoti universalis missionis Apostolis traditae » *(Christus Dominus,* 36). Atque ex hac Eucharistia quam celebramus spiritum haurimus necessarium qui, dum nos in Christo coniungit cum Deo in uno Spiritus Sancti amore, simul recludit corda nostra ad sensus acutos et veros apostolicae curae, sollicitudinis, donationis in caritate.

Quod ardenter voluimus : hanc Synodum *ad Petri cathedram* celebrari, nonnisi hoc spectat : ut in lucem proferamus « unitatem quam ab Apostolis accepimus : unitatem collegialem ». « Haec autem unitas — ut explicavimus in Litteris quas hoc anno, prima dominica die Quadragesimae, de Eucharistiae mysterio et cultu omnibus Episcopis dedimus — est quodammodo orta ad mensam Panis Domini, feria quinta in Cena Domini» (P. III). JSTam in cenáculo Apostoli, ad Cenam Domini, illud mandatum acceperunt, quod per Eucharistiae celebrationem praestat « consummationem » vitae cum Deo et cum fratribus communicatae,

ita unitatem firmans, ex qua Ecclesia vivit et cuius esse debet in mundo signum et sacramentum. Pariter in cenáculo, ad cenae eucharisticae convivium, Iesus oravit pro « suorum » unitate, eorum videlicet Apostolorum, quorum gratiae et mandati Nos onus et honorem portamus pro totius mundi salute.

Hi dies gratiae, qui communi Eucharistiae celebratione aperiuntur, debent igitur fieri peculiaris experientia unitatis, concordiae, cooperationis. Eucharistiae causa « unum corpus multi sumus)), ut nuper dicebamus verba S. Pauli usurpantes. Corpus Christi sumus. Cum tota Domini Iesu Ecclesia coniuncti, illum, nostrum Caput, Magistrum et Redemptorem, intentis oculis intuentes, et simul cordibus cum omnibus fratribus palpitantes, imprimis cum Ecclesiae vestrae fidelibus, unitate nostra debemus id dare testimonium, quod mundum ad credendum adducat (Cfr. *Io.* 17, 21). At quid credendum? Credendum nos in Christum fidem habere ; nos Christi amore teneri ; nos Evangelio inconcusse assentiri ; nos persuasum habere, super humana omnia, Dei eiusque actionis esse primatum ; credendum a nobis vere Deum amari et, huius amoris gratia, et mundum et omnes homines amari ; pro quibus parati simus nostrum ministerium promptum, attentum, renovatum, plenum praebere, usque ad mortem, si oporteat, et ad mortem crucis.

Haec pulsant animum nostrum dum mysterium Eucharisticum recolimus eiusque experimur gratiam sub huius nostrae Synodi initio. In Cenáculo congregati, nullo modo animadvertimus nos a fratribus seiunctos propter quos hoc in loco in unum coniungimur. Illi, hac praesertim in celebratione Eucharistica, nobiscum sunt. Una cum nobis et pro nobis orant atque Spiritus Sancti ubertatem invocant, cum nobis et pro nobis unitatem illam spiritus in vinculo pacis implorant, quae nobis aperiat nosque doceat eorum Ecclesiae necessitudines absolutiores, et una simul robur ferat atque animum ut auxilium eis opportunum suppeditemus. Tali ratione tantum, haec Synodus, quae loculenter Ecclesiae unitatem enuntiat, exstabit velut Spiritus Sancti ver nobis nec non dilectae Ecclesiae Ucrainae, quam vos praesentem exhibetis. Longa luctationum atque cruciatuum saecula, patefactiones fidei atque evangelici ardoris, studium evangelii nuntiandi in communione cum Ecclesia Universali et cum Petro, hic peculiari modo nunc consistunt. Praesentia haec spiritualis, at vera, vehemens, vivax, industriam vestram fulciat, nosque omnes renovet spiritu Apostolorum ad bonum nostrorum fidelium.

Cenaculi vero experimentum gratiae illius momentum non redderet a Sancto Spiritu effusae in Apostolos, nisi gratiam et gaudium praesentis

Mariae haberet; legimus enim, cum eventus ille Pentecostes narratur: «Cum Maria, Matre Iesu» *(Act.* 1, 14). Atqui hanc horam Nos experiri usu atque actu renovare iuvat. Qua re, ad uberrimam traditionem vestram de Maria respicientes, Beatae Virgini coniungimur, id petentes, ut, quae Mater amoris et unitatis vocatur, sic nos copulet ad similitudinem primae illius communitatis in cenáculo natae, ut simus «cor unum et anima una».

Ipsa praeterea, Mater « unitatis », cuius in sinu Dei Filius hanc humanitatem complexus est, nuptialem unionem Dei cum omnibus hominibus quasi incipiens, nos adiuvet, ut non solum « unum » quid simus, sed etiam operam demus ad hanc unitatem inter fideles omnesque homines obtinendam.

Quod sane optatum, pectore ab imo, Beatae Virginis Cordi ab Incarnatione committimus. Humilis autem Dei ancilla « apud Filium suum intercedat, donec cunctae familiae populorum ... cum pace et concordia in unum populum Dei feliciter congregentur, ad gloriam sanctissimae et individuae Trinitatis» *(Lumen Gentium,* 69). Eidem, «exemplo... materni illius affectus, quo cuncti in missione apostolica Ecclesiae cooperantes ad regendos homines animentur oportet» *(ibid.,* 65), vos omnes ac singulos, item ecclesias vestras earumque christifideles ei tradimus, ut eam contemplantes cuius opem petimus, hac eadem Synodo iuvante, vere Apostoli novorum temporum esse possimus.

III

Allocutio lingua ucraina a Summo Pontifice in Vaticanis aedibus habita ineunte synodali sessione in qua Episcopi, adstante Sanctitate Sua *ianuis clausis* suffragia dederunt.*

Venerabilis Frater Noster, Venerabiles Fratres,

Epistula Nostra « Probe nostis » inscripta vobis die primo huius Martii mensis convocavimus vos huc ad Synodum Extraordinariam nobisque nunc ipsum placet fraterne consalutare Venerabilem Fratrem Nostrum, Iosephum Slipyj, Archiepiscopum Maiorem Leopolitanum Ucrainorum ac vos Metropolitas, Exarchas et Eparchas necnon Episcopum Auxiliarem et Visitatorem Apostolicum. Eodem vero tempore cum prece bonisque ominibus salutem ex longinquo nuntio Reverendissimis Prae-

* Die 24 m. Martii a. 1980.

sulibus^ Dominis Malanczuk et Martenetz et Gabro qui adversa impediti sunt valetudine ne Romam venirent.

Hodie mane in Sacello Xystino Nos, in officio Pastoris totius Ecclesiae constituti, cohortati sumus vos atque incitavimus secundum mandatum novum quod nobis ante omnes creditum est — nobis, inquimus, successoribus Petri et Apostolorum : mandatum illud est ut inter nos *amemus,* sicut Dominus Noster Iesus prior nos amavit, quod praeterea mandatum exsequendum est et vivendum circum Eucharistiam in ipsa unitate cordium et animorum omnibus in partibus vitae nostrae humanae et christianae et ecclesialis.

Iam ad principium sollemnis huius consessionis cupimus vobis Praesulibus totique Ecclesiae Catholicae TJcrainae declarare quanti Nos eam aestimemus simulque confirmare quam intento animo sequamur rerum nuntios huc allatos de condicionibus fidelium in Ucraina et in dispersione foris. Permagna cum admiratione sequimur iter vestrum, iam millenarium, in fide, de quo iam agere potuimus in ipsis Litteris Nostris superiore anno quas dedimus Archiepiscopo Maiori Leopolitano. Volumus insuper vobis persuadere sollicitudines vestras esse pariter Nostras vestrasque curas pastorales, — sicut anxietates vestrorum adiutorum sacerdotum et religiosorum, religiosarum et fidelium laicorum —, plane a Nobis participari et a pluribus officiis Apostolicae Sedis.

Ratio Extraordinariae huius Synodi vobis pernota est : ut nempe indicentur candidati ex quibus ille deinceps nominetur qui valide iam adiuvet — ut coadiutor — Archiepiscopum Maiorem Leopolitanum Ucrainorum, dilectissimum Cardinalem Iosephum Slipyj cui aliquando etiam legitime succédât.

Hoc omne dignissimum sane erat quod argumentum et propositum esset alicuius Synodi, tum propter momentum ipsius eventus, tum ut Ecclesia Catholica Ucraina, Nobis intervenientibus, frui posset quodam tempore unitatis synodalis veluti significationis ipsius suae communionis circum Vicarium Christi.

Una enim vobiscum sentimus quam sit necesse ut continuatio praestatis muneris Archiepiscopi Maioris Leopolitani in tuto prorsus collocetur.

Haec Synodus, quae contingit Nobis convocantibus ipsisque praesidentibus, est Extraordinaria quoniam ipsa agere debet de nominando Coadiutore cum iure successionis Archiepiscopi Maioris : id quod postulat usum pontificiae auctoritatis. Etiam convocatio extraordinaria est quia omnes obstringit et afficit Episcopos Ucrainos qui versantur extra

fines Archiepiscopatus Maioris Leopolitani. Et celebratur Synodus Romae, in Supremi Pontificatus Sede, ubi omnes Episcopi ac fideles Catholici se esse sentiunt tamquam « in domo Patris ». Celebratur Romae, ad quam Ecclesiam omnes aliae Ecclesiae conveniant oportet secundum Sancti Irenaei sententiam : « Ad hanc enim Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam » *(Adversus haereses,* 3, 3, 2).

Conscii Nobis sumus Nos hic agere uti humiles successores Beati Petri Apostoli virtute divini mandati : « confirma fratres tuos » *(Lc.* 22, 32) ; atque gaudemus quod ita sustinere vos possumus. in angoribus vestris et custodire similiter vos a tot difficultatibus interioribus et exterioribus, dum singulariter testificamur vobis peculiarem nostrum amorem. Ceterum, hanc Synodum Extraordinariam aliae subsequi poterunt, sicut iam explicavimus ipsi Archiepiscopo Maiori : agitur sane de Synodis quas convocare illi licebit, cum fuerit necessitas et antea impetratus erit Summi Pontificis consensus.

Multa iam saecula — et hodie plus quam alias — coniunctio cum Sede Romana semper fuit pars principalis et propria veluti nota fidei in Ecclesia Catholica Ucraina. Episcopus Romanus, ex officio suo tamquam « principii ac fundamenti unitatis totius communionis ecclesialis » *(Lumen Gentium,* 23), munus peculiare habet sollicito gratoque animo curandi de suis Fratribus in Episcopatu Ucrainis, inter quos praesertim invenitur Archiepiscopus venerandus Maior Cardinalis Slipyj, ac de universa Ecclesia Catholica Ucraina, quae tantum passa est tamque fidelis est.

Cupimus observantiam singularem significare erga te, Eminentissime Domine Cardinalis. Reddere tibi volumus testimonium de tot annis ministerii deque tot sacrificiis pro Christo eiusque Evangelio oblatis. Meminisse cupimus aestimationem ac reverentiam quam erga te habuerunt Decessores Nostri : Pontifex Pius Duodecimus qui te instituit Coadiutorem cum iure Successionis ad Sedem Archiepiscopalem Leopolitanam Ucrainorum. Ioannes Vicesimus tertius qui effecit ut post diutinam captivitatem e carcere liberareris ; Paulus Sextus, qui pro tuis meritis afflictionibusque anno millesimo nongentesimo sexagesimo tertio Archiepiscopum Maiorem te nominavit atque insequenti anno in Patrum Cardinalium Collegium adlexit. Domino gratias agere cupimus una cum Fratribus Ucrainis praesentibus absentibusque totaque cum Catholica Ecclesia pro omnibus quae ille in te est operatus. Vehementer eum deprecamur ut omni sua gratia te cumulet ut possis iterum cum iucunditate et

((ad multos annos » accipere benedictionem. Hanc Synodum advocavimus tamquam Universalis Ecclesiae Pastor, ut tuas vires roboremus novumque religiosae vitae Ecclesiae Catholicae Ucrainae vigorem inferamus.

Pontifex Maximus pastores fidelesque hortatur ne desperent: est enim Providentia quae gubernat populos quaeque speciali studet cura credentium communitates iuvare. ((Fidelis autem Deus est» ut ait Sanctus Paulus (Cfr. *Cor.* 10, 13). Moerores igitur, rerum egestas atque adversitates sunt totidem probationes vitae, quae demum ad potiorem excitant fidelitatem ; ad perseverantiam in catholica fide, ad proprii ritus atque antiquarum legitimarum traditionum custodiam, uno verbo, ad propriam «notam» spiritualem servandam, quae quidem nota habet in communione cum Romano Pontifice et cunctis Episcopis Ecclesiae Catholicae Romanae momentum magis perspicuum proprii patrimonii fidei et vitae.

Optat Summus Pontifex ne haec nota appareat Ecclesiae Orthodoxae fratribus veluti fomes simultatis aut quasi infitiatio vitae et clarorum morum Orientis Ecclesiae ; idque demum sperat ex ipso Spiritu oecumenico huiusce temporis, qui sequitur viam ad colloquium, ad mutuam intellegentiam, ad se ipsos fratres considerandos — sicut revera sumus —• in communi fide in Christum Salvatorem nostrum, membra Ecclesiarum quae contendunt ut plena communio a Christo expetita instauretur.

Haec est spes qua dilecti filii nostri Ecclesiae Catholicae Ucrainae propriam debent ecclesialem vitam alere, confisi constantiam, quam habent, tandem aliquando fructus esse allaturam «in laudem gloriae gratiae Christi» (Cfr. *Eph.* 1, 6).

Venerabiles Fratres, antequam procedamus, omnipotentem Deum Patrem volumus deprecari ut haec Extraordinaria Synodus vere fructuosa sit in historia millenaria Ecclesiae Catholicae Ucrainae tam divitis religiosorum morum atque optimorum confessorum fecundae fideique martyrum quorum illustrissimus est Sanctus Iosaphat. Instanter poscimus a Domino Nostro Iesu Christo, Mystici Corporis Capite, qui ad ministerium amoris nos vocavit Nobisque mandatum dedit « confirmandi fratres» ut hunc magnum et historicum eventum in Ecclesia Catholica Ucraina benedicat. Spiritui Sancto nos libenter aperiamus ut nos illuminet atque regat in deliberationibus et consultis. Praesidium denique Beatae Virginis Mariae, Dei Matris invocemus. Crastina die sollemniter Annunciationis mysterium celebrabimus ex quo Redemptionis Nostrae consilium habet exordium. Hoc divinae oeconomiae mysterium maxime extollit Liturgia Byzantina, adeo ut ipsa Feria Sexta in Passione et

Morte Domini non sit aliturgica, si utrumque festum in eandem diem incidat, quia Passio et Mors Christi non fuissent, nisi Dei Verbum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine carnem sumpsisset.

Deiparam ergo semper Virginem Mariam, Ecclesiae Matrem, imploremus ut nobis propitia intercedat atque a Sanctissima Trinitate copiosa munera et gratias impetret pro nobis et Ecclesia Ucraina tum in Matre-Patria tum toto orbe diffusa.

IV

Allocutio lingua ucraina a Summo Pontifice habita, exeunte Synodo Extraordinaria, ad Archiepiscopum Maiorem et reliquos Episcopos Ucrainos coram admissos. Beatissimus Pater nominationem Exc.mi P. D. Miroslai Ivani Lubachivsky, Metropolitae Philadelphiensis Ucrainorum, ad munus Coadiutoris c.i.s. Em.mi P.D. Iosephi S.R.E. Cardinalis Slipyj publici iuris facit.*

Venerabiles Fratres in Episcopatu,

En feliciter, Deo adiuvante, ad metam pervenimus, ad quam contendimus hanc Synodum Extraordinariam indicentes, id est ad nominationem Archiepiscopi Coadiutoris, cum iure successionis, Venerabilis Fratris Nostri Iosephi Cardinalis Slipyj, Archiepiscopi Maioris Leopolitani Ucrainorum.

Imprimis vobis gaudium Nostrum cupimus significare quod animadvertimus officii conscientiam, quacum munus vestrum implevistis.

Deus sine dubio id vobis remunerabitur.

Dum hunc conventum vestrum contuebamur, sponte animum subierunt verba Psalmistae : ((Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum» (*Ps.* 132, 1).

Postquam diu rem perpendimus et adiutorium Domini preces f undendo invocavimus, statuimus Coadiutorem, cum iure successionis, Iosephi Cardinalis Slipyj nominare Venerabilem Fratrem Miroslaum Ivanum Lubachivsky, Metropolitam Philadelphiensem Ucrainorum. Inter terna nomina proposita ipse primum obtinet locum.

Ceterum tam praecelso munere dignum eum reddunt pietas insignis, studium pastorale, peritia doctrinalis necnon virtutes benignitatis et

* Die 27 m. Martii a. 1980.

humilitatis, quae eius animum exornant. In ipso fiduciam Nostram collocamus, eum optimis ominibus sincero mentis affectu prosequimur.

Tibi, Venerabilis Frater Noster, dignus et idoneus erit Coadiutor.

Nunc vos omnes, Venerabiles Fratres, ad pastorales vestras reditis curas, laeti operam contulisse modo sic perspicuo ad deliberationem, quae est Ecclesiae vestrae validum praesidium peculiareque decus.

Hoc Synodi felix momentum debet manere pignus unitatis actionis animorumque communionis ((in vinculo pacis» simulque apostolatum vestrum dirigere, arcta servata unitate sensuum animi et propositorum cum omnibus fidelibus electae istius portionis Ecclesiae Universalis.

In communi sollicitudine Nostri vestrique animi de Ecclesiae Ucrainae bono, pastorali studio vestro commendamus sanctam causam vocationum sacerdotalium, dum vota facimus atque preces fundimus, ut candidati in sorte Domini vocati crescant atque formentur in spem Ecclesiae Ucrainae.

Per intercessionem Matris Dei, a Domino poscimus omnibus vobis, clero, religiosis viris atque mulieribus et universis Christifidelibus Ecclesiae Ucrainae caritatis paschalis laetitiam omnisque solacii abundantiam.

V

Litterae Apostolicae sub plumbo datae quibus Exc.mus Coadiutor nominatur.

LEOPOLITANA UCRAINORUM

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI

Venerabili Fratri Miroslao Ivano Lubachivsky, hactenus Archiepiscopo-Metropolitae Philadelphiensi Ucrainorum, nominato Coadiutori cum iure successionis Iosephi S. R. E. Cardinalis Slipyj, Archiepiscopi Maioris Leopolitani Ucrainorum, salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum Synodus Extraordinaria Episcoporum ritus byzantini Ucrainorum, per Apostolicas Nostras Litteras ((Probe nostis» die i mensis Martii huius anni indicta, ad finem feliciter pervenerit, Nos, in Audientia die xxvii dicti mensis Martii, iisdem Episcopis concessa, te, Venerabilis Frater, hactenus Archiepiscopum-Metropolitam Philadelphiensem Ucrainorum dignati sumus nominare Coadiutorem cum iure successionis Ve-

nerabilis Fratris Nostri Iosephi S. R. E. Cardinalis Slipyj, Archiepiscopi Maioris Leopolitani Ucrainorum. Qua quidem provisione Nobis placuit pro Nostro singulari studio affectuque erga venerabilem praefatum Archiepiscopum Maiorem Leopolitanum atque Ecclesiam Catholicam Ucrainam adiutorium et levamen praebere ad novum veluti robur iisdem adiiciendum. Volumus proinde, ut tu, qua Coadiutor, quid unum cum Archiepiscopo Maiore constituas atque particeps fias eiusdem iurium et obligationum. Praeterea in munere Coadiutoris explendo collatis consiliis cum Archiepiscopo Maiore procedas aut eidem de rebus peractis tempestive referas. Praeter cetera oûîcia, haec potissimum tibi concredimus : videndi de statu clericorum, presbyterorum necnon religiosorum ad Eparchias Archiepiscopatus Leopolitani ratione originis, vel adscriptionis, vel missionis quomodolibet pertinentium et vi maiore extra proprium territorium commorantium ; vigilandi, etiam per canonicam visitationem, circa statum Institutorum et Associationum, quae in bonum Archiepiscopatus Leopolitani promota sint, ad abusus qui forte irrepserint tollendos eaque ad tramitem iuris redigenda ; curandi rectam administrationem, ad normam Canonum, bonorum temporalium, quocumque titulo et ubicumque ad Archiepiscopatum Leopolitanum pertinentium. Haec omnia concedimus, nec tamen exinde potestas iurisdictionis extra territorium Archiepiscopatus Maioris extendatur. Mandamus insuper ut de exercitio tui muneris Coadiutoris opportuno quoque tempore Sacram Congregationem pro Ecclesiis Orientalibus edoceas. Contrariis quibuscumque minime obstantibus. Denique te liberantes a suetis iterandis iuribus iurandis canonica lege statutis, paterne hortamur ut exemplum Christi, omnium ministri, ita imiteris quo promptius Archiepiscopo Maiori Leopolitano Ucrainorum omni valeas diligentia subvenire.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo septimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI,** *a publicis Ecclesiae negotiis*

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*

Loco gg Plumbi

In Secret. Status tab. n. 89671.

ITINERA APOSTOLICA

EX HABITIS DUM SUMMUS PONTIFEX IN GALLIAM PERAGRAT DELECTAE ALLOCUTIONES.

Lutetiae Parisiorum ad Exc.mum Virum Valéry Giscard d'Estaing Rei publicae Gallicae Praesidem.*

Monsieur le Président,

Je suis particulièrement touché des paroles que vous venez de m'adresser, dès mon arrivée sur le sol de France. Je vous en remercie vivement. Vous l'avez fait en votre nom personnel, vous l'avez fait au nom du Peuple Français auquel, en votre personne, je voudrais adresser mon premier message.

1. Loué soit Jésus-Christ ! Oui, c'est bien ainsi, par ces mots emplis de ferveur et d'action de grâce, que j'ai voulu, dès le soir de mon élection comme Evêque de Rome et Pasteur universel, inaugurer mon ministère de prédication de l'Evangile. Ce salut, je l'ai porté en premier à mes diocésains des bords du Tibre, qui venaient de m'être confiés pour les guider selon les desseins de la divine Providence. Je l'ai porté ensuite à d'autres peuples, à d'autres Eglises locales, avec tout le contenu d'estime, de sollicitude pastorale, d'espérance aussi dont il est chargé.

Ce même salut, je viens le porter maintenant à la France, avec tout mon coeur, avec toute mon affection, en lui disant : je suis profondément heureux de te visiter en ces jours, et de te montrer mon désir de te servir en chacun de tes Enfants. Le message que je veux te livrer est un message de paix, de confiance, d'amour et de foi. De foi en Dieu, bien sûr, mais également, si je puis m'exprimer ainsi, de foi en l'homme, de foi dans les merveilleuses possibilités qui lui ont été données, afin qu'il en use avec sagesse et dans le souci du bien commun, pour la gloire du Créateur.

A tous les Fils et à toutes les Filles de cette grande Nation, à tous le Pape offre ses vœux les plus cordiaux, au nom du Seigneur. La France symbolise pour le monde un pays à l'histoire très ancienne, très dense aussi. Un pays au patrimoine artistique et culturel incomparable, dont

* **Die 30 m. Maii a. 1980.**

le rayonnement n'est plus à décrire. Combien de peuples ont bénéficié du génie français, qui a marqué leurs propres racines, et constitue encore pour eux un motif de fierté en même temps, on peut l'affirmer, qu'une sorte de référence ! Le rôle de la France se poursuit dans la communauté internationale, au niveau qui est le sien, mais avec un esprit d'ouverture et un souci d'apporter une contribution à la fois aux principaux problèmes internationaux, et aux situations de contrées moins favorisées. Au cours de mes précédents voyages, j'ai pu constater la place qu'elle tient sous d'autres cieux. Mais plus qu'à l'ampleur des moyens mis en oeuvre, forcément limités, c'est à son Peuple qu'elle doit sa place, à des hommes et à des femmes héritiers de sa civilisation.

2. Ce sont ces hommes et ces femmes, l'âme de la France, que je rencontrerai en ces jours. Comment ne pas être touché de l'accueil que vous me réservez ici, dans votre capitale? Beaucoup d'entre vous m'ont écrit avant cette visite, et vous êtes très nombreux ce soir à me souhaiter la bienvenue. Je ne puis malheureusement remercier chacun en particulier, ni serrer toutes les mains que vous aimeriez me tendre. Mais devant vous, aux représentants de la souveraineté nationale, je voudrais témoigner ma vive gratitude.

Monsieur le Président, vous que vos compatriotes ont désigné pour assumer la plus haute responsabilité de l'Etat, daignez par conséquent accepter l'hommage reconnaissant que j'adresse au Peuple Français tout entier. J'ajouterai des sentiments de satisfaction pour la disponibilité extrême dont ont fait preuve personnellement Votre Excellence, et aussi Monsieur le Premier Ministre et le Gouvernement, dès que leur fut connu mon projet.

De ce voyage, vous avez d'emblée compris la nature propre : un voyage pastoral avant tout, pour visiter et encourager les catholiques de France; un voyage qui veut également traduire mon estime et mon amitié pour l'ensemble de la population, et je pense ici en particulier aux membres des autres confessions chrétiennes, de la communauté judaïque et de la religion islamique. Mon désir était que ce voyage pût s'accomplir dans la simplicité et la dignité, en ménageant aussi, chaque fois que possible, des contacts et des rencontres. Vous avez prêté tout votre concours à la réalisation du programme, et j'y suis d'autant plus sensible qu'il fallait une préparation minutieuse. Je pense enfin aux personnes auxquelles ces événements occasionnent un surcroît de travail. Tout cela fait partie de l'hospitalité, une vertu dont

la France peut s'honorer à juste titre. Vraiment, j'exprime à tous un cordial merci.

3. Je vous salue très spécialement, chers catholiques de France, mes Frères et mes Sœurs dans le Christ, mes amis. Vous m'avez invité à constater, quinze cents ans ou presque après le baptême de votre Nation, que la foi y est toujours vivante, jeune, dynamique, que la géné rosité ne manque pas chez vous. Elle se traduit même par un bouillonnement d'initiatives, de recherches, de réflexions. Il vous faut en effet affronter des problèmes souvent nouveaux, ou tout au moins des problématiques nouvelles. Le contexte dans lequel vous vivez évolue rapidement, en fonction de mutations culturelles et sociales qui ne sont pas sans influer progressivement sur les mœurs, sur les mentalités. C'est une multitude d'interrogations qui se posent à vous. Que faire? Comment répondre aux besoins fondamentaux de l'homme contemporain, qui révèlent finalement un immense besoin de Dieu?

En union avec vos évêques, et en particulier avec le cher Cardinal archevêque de Paris et le Président de la Conférence episcopale française, je suis venu vous encourager dans la voie de l'Evangile, une voie étroite certes, mais la voie royale, sûre, éprouvée par des générations de chrétiens, enseignée par les saints et les bienheureux dont s'honore votre patrie, la voie sur laquelle, tout comme vous, vos frères dans l'Eglise universelle s'efforcent de cheminer. Cette voie ne passe pas par la résignation, les renoncements ou les abandons. Elle ne se résout pas à l'affadissement du sens moral, et elle souhaiterait que la loi civile elle-même aide à élever l'homme. Elle ne cherche pas à s'enterrer, à demeurer inaperçue, mais elle requiert au contraire l'audace joyeuse des Apôtres. Elle bannit donc la pusillanimité, tout en se montrant parfaitement respectueuse a l'égard de ceux qui ne partagent pas le même idéal. Si l'Eglise revendique en effet pour elle-même la liberté religieuse, et si elle a de multiples raisons de se féliciter d'en jouir en France, il est normal qu'elle respecte aussi les convictions des autres. Elle demande, pour sa part, qu'on lui permette de vivre, de témoigner publiquement et de s'adresser aux consciences.

((Reconnais, ô chrétien, ta dignité », disait le grand Pape saint Léon. Et moi, son indigne successeur, je vous dis à vous, mes Frères et Sœurs catholiques de France : Reconnaissez votre dignité ! Soyez fier s de votre foi, du don de l'Esprit que le Père vous a fait ! Je viens parmi vous comme un pauvre, avec la seule richesse de la foi, pèlerin de

l'Evangile. Donnez à l'Eglise et au monde l'exemple de votre fidélité sans faille et de votre zèle missionnaire. Ma visite chez vous veut être, en même temps qu'un témoignage de solidarité à l'égard de vos pasteurs, un appel à un élan nouveau devant les tâches nombreuses qui s'offrent à vous.

Je sens que, dans le fond de vos coeurs, vous entendrez cette exhortation. Je l'adresse, dès mon arrivée sur le sol de la France, à tous ceux qui m'écoutent, et j'aurai ensuite l'occasion de la reprendre ces jours-ci en m'entretenant avec les évêques, les prêtres, les religieux et les religieuses, les laïcs engagés dans l'apostolat, en rencontrant le monde du travail et celui des jeunes, les hommes de pensée et de science. Un moment tout à fait spécial sera réservé à l'UNESCO, qui a son siège dans votre capitale : il m'a semblé très important, en effet, de répondre à sa courtoise invitation, pour saluer un aréopage exceptionnel de témoins de la culture de notre temps, et apporter le propre témoignage de l'Eglise.

Il faut achever à présent ce premier contact. Je vais me rendre à la basilique Notre-Dame, la Mère des églises de ce diocèse, et l'un des plus vénérables édifices religieux de cette Nation. Je veux y confier au Seigneur et à la Vierge très sainte les souhaits que je forme à l'intention du Peuple Français tout entier. Que Dieu bénisse la France!

* * &

Lutetiae Parisiorum in area metropolitanae Basilicae habita: de Petri ministerio in Ecclesia.*

1. Aimes-tu?

Question fondamentale, question courante. C'est la question qui ouvre le cœur — et qui donne son sens à la vie. C'est la question qui décide de la vraie dimension de l'homme. En elle, c'est l'homme tout entier qui doit s'exprimer, et qui doit aussi, en elle, se dépasser lui-même.

M'aimes-tu?

Cette question a été posée, il y a un instant, dans ce lieu. C'est un lieu historique, un lieu sacré. Ici, nous rencontrons le génie de la France, le génie qui s'est exprimé dans l'architecture de ce temple il y

* **Die 30 m. Maii a. 1980.**

a huit siècles et qui est toujours là, pour témoigner de l'homme. L'homme, en effet, à travers toutes les formules par lesquelles il cherche à se définir, ne peut pas oublier qu'il est, lui aussi, un temple : il est le temple où habite l'Esprit Saint. Pour cette raison, l'homme a élevé ce temple qui lui rend témoignage depuis huit siècles : Notre-Dame.

Ici, en ce lieu, au cours de notre première rencontre, cette question devait être posée : « M'aimes-tu? ». Mais elle doit être posée partout et toujours. Cette question est posée à l'homme par Dieu. Cette question, l'homme doit continuellement se la poser à lui-même.

2. Cette question a été posée par le Christ à Pierre. Le Christ l'a posée trois fois, et par trois fois Pierre lui a répondu. « Simon, fils de Jean, m'aimes-tu? — Oui, Seigneur, tu sais bien que je t'aime »-[1]

Et Pierre s'engageait déjà, avec cette question et avec cette réponse, sur le chemin qui devait être le sien jusqu'à la fin de sa vie. Partout devait le suivre l'admirable dialogue où il avait aussi entendu trois fois : ((Sois le pasteur de mes agneaux », « Sois le pasteur de mes brebis ... Sois le pasteur de cette bergerie dont je suis, moi, la Porte et le Bon Pasteur ».[2]

Pour toujours, jusqu'à la fin de sa vie, Pierre devait avancer sur le chemin, accompagné de cette triple question : « M'aimes-tu? ». Et il mesurait toutes ses activités à la réponse qu'il avait alors donnée. Quant il fut convoqué devant le Sanhédrin. Quant il fut mis en prison à Jérusalem, prison dont il ne devait pas sortir ... et dont pourtant il sortit. Et quand il s'en fut de Jérusalem vers le nord, à Antioche, puis, plus loin encore, d'Antioche à Rome. Et lorsqu'à Rome il eat persévéré jusqu'à la fin de ses jours, il connut la force des paroles selon lesquelles un Autre le conduisait là où il ne voulait pas ...[3]

Et il savait aussi que, grâce à la force de ces paroles, l'Eglise était assidue ((à l'enseignement des apôtres et à l'union fraternelle, à la fraction du pain et aux prières » ... et que ((le Seigneur ajoutait chaque jour à la communauté ceux qui seraient sauvés ».[4]

Il en fut ainsi à Jérusalem. Puis à Antioche. Puis à Rome. Et ensuite encore ici, à l'ouest et au nord des Alpes : à Marseille, Lyon, Paris.

[1] ***Jn* 21, 15-17.**
[2] **Cf. *Jn* 10, 7.**
[3] **Cf. *Jn* 21, 18.**
[4] ***Ac* 2, 42. 48.**

3. Pierre ne peut jamais se détacher de cette question : «M'aimes-tu?».

Il la porte avec lui où qu'il aille. Il la porte à travers lés siècles, à travers les générations. Au milieu de nouveaux peuples et de nouvelles nations. Au milieu de langues et de races toujours nouvelles. U la porte lui seul, et pourtant il n'est plus seul. D'autres la portent avec lui : Paul, Jean, Jacques, André, Irénée de Lyon, Benoît de Nursie, Martin de Tours, Bernard de Clairvaux, le Petit Pauvre d'Assise, Jeanne d'Arc, François de Sales, Jeanne Françoise de Chantai, Vincent de Paul, Jean-Marie Vianney, Thérèse de Lisieux.

Sur cette terre qu'il m'est donné de visiter aujourd'hui, ici, dans cette cité, il y a eu, et il y a bien des hommes et des femmes qui ont su et qui savent encore aujourd'hui que toute leur vie a valeur et sens seulement et exclusivement dans la mesure où elle est une réponse à cette même question : Aimes-tu? M'aimes-tu? Us ont donné, et ils donnent leur réponse de manière totale et parfaite — une réponse héroïque —, ou alors de manière commune, ordinaire. Mais en tout cas ils savent que leur vie, que la vie humaine en général, a valeur et sens dans la mesure où elle est la réponse à cette question : Aimes-tu? C'est seulement grâce à cette question que la vie vaut la peine d'être vécue.

Je viens ici sur leurs traces. Je visite leur patrie terrestre. Je recommande à leur intercession la France et Paris, l'Eglise et le monde. La réponse qu'ils ont donnée à cette question : « Aimes-tu? » a une signification universelle, une valeur qui ne passe pas. Elle construit dans l'histoire de l'humanité le monde du bien. L'amour seul construit un tel monde. Il le construit avec peine. Il doit lutter pour lui donner forme : il doit lutter contre les forces du mal, du péché, de la haine, contre la convoitise de la chair, contre la convoitise des yeux et contre l'orgueil de la vie.[5]

Cette lutte est incessante. Elle est aussi vieille que l'histoire de l'homme. De notre temps, cette lutte pour donner forme à notre monde semble être plus grande que jamais. Et plus d'une fois nous nous demandons en tremblant si la haine ne l'emportera pas sur l'amour, la guerre sur la paix, la destruction sur la construction.

Qu'elle est extraordinaire l'éloquence de cette question du Christ: « Aimes-tu?)) ! Elle est fondamentale pour chacun et pour tous. Elle est fondamentale pour l'individu et pour la société, pour la nation et

[5] **Cf.** *1 Jn* **2, 16.**

pour l'Etat. Elle est fondamentale pour Paris et pour la France : « Aimes-tu? ».

4. Le Christ est la pierre angulaire de cette construction. Il est la pierre angulaire de cette forme que le monde, notre monde humain, peut prendre grâce à l'amour.

Pierre le savait, lui auquel le Christ a demandé trois fois : « M'aimes-tu? ». Pierre le savait, lui qui, à l'heure de l'épreuve, a renié son Maître par trois fois. Et sa voix tremblait lorsqu'il répondit : « Seigneur, tu sais bien que je t'aime ».[6] Cependant, il n'a pas répondu : « Et pourtant, Seigneur, je t'ai déçu » — mais : « Seigneur, tu sais bien que je t'aime ». En disant cela, il savait déjà que le Christ est la pierre angulaire, sur laquelle, en dépit de toute faiblesse humaine, peut croître en lui, Pierre, cette construction qui aura la forme de l'amour. A travers toutes les situations et toutes les épreuves. Jusqu'à la fin. C'est pour cela qu'il écrira un jour, dans sa lettre que nous venons de lire, le texte sur Jésus-Christ, la pierre angulaire sur laquelle « vous aussi vous êtes appelés à devenir comme des pierres vivantes pour la construction d'un édifice spirituel, pour un sacerdoce saint, pour offrir des sacrifices spirituels agréables à Dieu par Jésus-Christ...».[7]

Tout cela ne signifie rien d'autre que répondre toujours et constamment, avec ténacité et de manière conséquente, à cette unique question : Aimes-tu? M'aimes-tu? M'aimes-tu davantage?

C'est en effet cette réponse, c'est-à-dire cet amour, qui fait que nous sommes « la race élue, le sacerdoce royal, la nation sainte, le peuple que Dieu s'est acquis ... ».[8]

C'est elle qui fait que nous proclamons les oeuvres merveilleuses de celui qui nous « a appelés des ténèbres à son admirable lumière ».[9]

Tout cela, Pierre l'a su dans l'absolue certitude de sa foi. Et tout cela, il le sait, et il continue à le confesser aussi dans ses successeurs. Il sait, oui, et il confesse que cette pierre angulaire, qui donne à toute la construction de l'histoire humaine la forme de l'amour, de la justice et de la paix, fut, est et sera, véritablement, la pierre rejetée par les hommes par les hommes, par beaucoup de ceux qui sont les constructeurs du destin du monde; et cependant, malgré cela, c'est vrai-

[6] ***Jn 21,* 15.**

[7] ***1 P 2,* 5.**

[8] ***1 P 2,* 9.**

[9] ***Ibid.***

ment lui, Jésns-Christ, qui a été, qui est et qui sera la pierre angulaire de l'histoire humaine. Et c'est de lui que, en dépit de tous les conflits, les objections et les négations, en dépit de l'obscurité et des nuages qui ne cessent de s'accumuler à l'horizon de l'histoire — et vous savez combien ils sont menaçants aujourd'hui, à notre époque ! —, c'est de lui que la construction qui ne passe pas surgira, c'est sur lui qu'elle s'élèvera, et c'est à partir de lui qu'elle se développera. Seul l'amour a la force de faire cela. Seul l'amour ne connaît pas de déclin.

Seul l'amour dure toujours.[10] Seul, il construit la forme de l'éternité dans les dimensions terrestres et fugaces de l'histoire de l'homme sur la terre.

5. Nous sommes ici dans un lieu sacré : Notre-Dame. Cette splendide construction, trésor de l'art gothique, vos aïeux l'ont consacrée à la Mère de Dieu. Us l'ont consacrée à Celle qui, parmi tous les êtres humains, a donné la réponse la plus parfaite à cette question : Aimes-tu? M'aimes-tu? M'aimes-tu davantage?

Sa vie tout entière fut en effet une réponse parfaite, sans aucune erreur, à cette question.

Il convenait donc que je commence dans un lieu consacré à Marie ma rencontre avec Paris et avec la France, rencontre à laquelle j'ai été si courtoisement invité par les Autorités de l'Etat et de la ville, par l'Eglise et par ses pasteurs. Ma visite de lundi au siège de l'UNESCO à Paris acquiert par là son cadre complet et la dimension qui convient à ma mission de témoignage et de service apostolique.

Cette invitation est pour moi d'un grand prix. Je l'apprécie hautement. Je désire aussi, selon mes possibilités et selon la grâce d'état qui m'a été donnée, répondre à cette invitation et lui faire atteindre son but.

C'est pourquoi je me réjouis de ce que notre première rencontre ait lieu en présence de la Mère de Dieu, devant Celle qui est notre espérance. Je désire lui confier le service qu'il m'appartient d'accomplir parmi vous. C'est à elle aussi que je demande, en même temps que vous tous, chers frères et sœurs, que ce service soit utile et fructueux pour l'Eglise en France, pour l'homme et pour le monde contemporain.

6. Us sont nombreux, les lieux de votre pays où bien souvent, peut-être chaque jour, ma pensée et mon cœur s'en vont en pèlerinage : le sanctuaire de la Vierge Immaculée à Lourdes, Lisieux, et Ars, où cette

[10] *1 Co* **13, 8.**

fois je ne pourrai me rendre, et Annecy, où j'ai été invité depuis longtemps sans pouvoir jusqu'ici réaliser mon désir.

Voici que se présente devant mes yeux la France, Mère des saints au long de tant de générations et de siècles. Oh combien je désire qu'ils reviennent tous dans notre siècle, et dans notre génération, à la mesure de ses besoins et de ses responsabilités!

Dans cette première rencontre, je souhaite à tous et à chacun d'entendre dans toute son éloquence la question que le Christ a adressée autrefois à Pierre : Aimes-tu? M'aimes-tu? Que cette question résonne et trouve un écho profond en chacun de nous !

L'avenir de l'homme et du monde en dépend : écouterons-nous cette question? Comprendrons-nous son importance? Comment y répondrons-nous?

•k -k it

Ad presbyteros et diaconos in metropolitano Parisiensi templo congregatos habita: ex divina institutione sunt in Ecclesia ministri sacri qui in statu ipsorum proprio constituuntur.*

G her s Frères prêtres,

1. C'est une très grande joie pour moi de m'adresser à vous dès ce soir — et en premier lieu —, à vous prêtres et diacres de Paris et de la région parisienne, et par vous à l'ensemble des prêtres et des diacres de France. Pour vous, je suis evêque : avec vous, je suis prêtre. Vous êtes mes frères, en vertu du sacrement de l'Ordre. La lettre que je vous ai adressée l'an dernier pour le Jeudi Saint vous disait déjà mon estime, mon affection, ma confiance toutes particulières. Après-demain, je rencontrerai longuement vos évêques, qui sont à un titre spécial mes frères ; c'est en union avec eux que je vous parle. Mais à mes yeux, aux yeux du Concile, vous êtes inséparables des évêques, et je penserai à vous en m'entretenant avec eux. Une profonde communion unit les prêtres et les évêques, fondée sur le sacrement et le ministère. Chers amis, puissiez-vous comprendre l'amour que je vous porte dans le Christ Jésus ! Si le Christ me demande, comme à l'Apôtre Pierre, d'((affermir mes frères », c'est bien vous d'abord qui devez en bénéficier.

2. Pour marcher avec joie et espérance dans notre vie sacerdotale, il nous faut remonter aux sources. Ce n'est pas le monde qui fixe notre

die 1 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Pueblensi R. D. Arturum Taf ora, rectorem Seminarii maioris archidioecesis S. Fidei in America.

die S Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Antverpiensi R. D. Paulum Van Den Berghe, e clero dioecesis Gandavensis, professorem Seminarii maioris eiusdem dioecesis.

die I¡. Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Foropopuliensi R. D. Stanislaum Stefanek, Vicarium Generalem Societatis Christi pro Emigrantibus Polonis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Casimiri I. Majdanski, Episcopi Sedinensis-Caminensis.

die 5 Iulii. — Titulari Episcopali Ecclesiae Dianensi R. D. Raimundum Saint-Gelais, Seminarii dioecesis Sancti Hyacinthi moderatorem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi Caroli Valois, Episcopi Sancti Hieronymi Terraebonae.

— Titulari episcopali Ecclesiae Baleciensi R. D. Claudium Feidt, Vicarium Episcopalem Aniciensis dioecesis, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Andrae Bontems, Archiepiscopi Camberiensis.

die 17 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Alexandrinae Statiellorum Exc. P. D. Ferdinandum Maggioni, hactenus Episcopum titularem Subaugustanum.

die 24 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Huanucensi Exc.mum P. D. Antonium Kühner, hactenus Episcopum Praelatum Tarmensem.

die 25 Iulii. — Coadiutorem c. i. s. Exc.mi P. D. Langton Fox, Episcopi Menevensis, R. P. Ioannem Aloysium Ward, ex Ordine Fratrum Minorum Cappuccinorum.

die 26 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Tolucensi Exc.mum P. D. Alfredum Torres Romero, hactenus Episcopum titularem Vegeselitanum in Byzacena.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Opiteriginae, R. D. Benedictum Franzetta, Vicarium Generalem Youngstoniensem, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi Iacobi Malone, Episcopi eiusdem dioecesis.

die 29 Iulii. — Metropolitanae Ecclesiae Mobilensi, nuper erectae, R. D. Ansgario Lipscomb, Vicarium Capitularem eiusdem Sedis.

die 31 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Guaiaramirensi, noviter erectae, R. D. Giraldum Verdier, Vicarium Capitularem eiusdem sedis Praelatitiae, nuper ad dignitatem dioecesis evectae.

— Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Ioachim de Lange,

C.S.Sp., Episcopi Praelati Tefensis, constituit R. P. Marium Clementem Neto, sodalem Congregationis S. Spiritus sub tutela Cordis Beatissimae Virginis Mariae.

— Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Gabrielis Paulini Bueno Couto, O. Carm., Episcopi Iundiaensis, constituit Exc.mum P. D. Robertum Pinarello de Almeida, hactenus Episcopum titularem Gemellensem in Byzacena et Auxiliarem eiusdem dioecesis.

NOMINATIO

Decreto Sacrae Congregationis pro Episcopis :

die 28 Iunii 1980. — Exc. P. D. Paulo Poupard, Episcopo titulari Usulensi, Pro-Praesidi Secretariatus pro non credentibus constituto, dignitas archiepiscopalis collata est.

SACRA CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

I
PROVISIO ECCLESIARUM

Decretis Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, Ioannes Paulus PP. II iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit.

Videlicet :

die 24 Aprilis 1980. — Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Francisci Ndong, Episcopi Oyemensis, R. P. Basilium Engone Mvé, Societatis S. Francisci Salesii sodalem atque moderatorem spiritus Seminarii minoris archidioecesis Liberopolitanae.

— Cathedrali Ecclesiae Uanimitanae R. P. Ioannem Etheridge, e Congregatione Passionis D. N. Iesu Christi, Vicarium Capitularem eiusdem dioecesis.

— Cathedrali Ecclesiae Ueuakensi R. P. Raimundum Philippum Kalisz, Societatis Verbi Divini, Vicarium Generalem Ueuakensis dioecesis..

die 7 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Bubanzanae, noviter erectae in Burundia, R. D. Evaristum Ngoyagoye, dioecesis Buiumbaraënsis Vicarium Generalem atque Nationalem Pontificium Operum Missionalium Directorem necnon Conferentiae Episcopalis Ruandensis-Burundensis Secretarium.

— Cathedrali Ecclesiae Calicutensi R. D. Maxvell Valentinum Noronha, e clero autochthone, eiusdem dioecesis Vicarium Generalem.

die 26 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Bataënsi restituit Exc.mum D. D. Raphaelem Nze Abuy, Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V., olim eiusdem dioeceseos Episcopum.

II

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit :

die 17 Maii 1980. — R. P. Seraphinum Cartagena, Ordinis Fratrum Minorum sodalem, *Praefectum Apostolicum Praefecturae Galapagensis Apostolicae* in Aequatoria.

die 23 Maii. — R. P. Petrum Faure, Societatis Iesu sodalem, *Administratorem Apostolicum* ((sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis)) Archidioecesis Ndiamenae.

die 13 Iunii. — R. D. Eugenium Eteo Bokope, e clero saeculari, *Administratorem Apostolicum* « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » Dioecesis Malaboënsis.

SACRA CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

ROMANA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Mariae a Iesu Bono Pastore, (in saec. Franciscae de Siedliska) Fundatricis Instituti S. Familiae a Nazareth.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Sacrosanctum Concilium Vaticanum II posteaquam affirmaverat « sanctitatem Ecclesiae speciali modo foveri multiplicibus consiliis, quae Dominus in Evangelio discipulis suis observanda proponit» *(Lumen Gentium,* n. 41), opportune haec animadvertit : « Inde ab exordiis Ecclesiae fuerunt viri et mulieres, qui per praxim consiliorum evangelicorum Christum maiore cum libertate sequi pressiusque imitari intenderunt et suo quisque modo vitam Deo dicatam duxerunt, e quibus multi, Spiritu Sancto afflante, vel vitam solitariam degerunt vel familias religiosas suscitaverunt, quas Ecclesia sua auctoritate libenter suscepit et adprobavit. Unde e consilio divino mirabilis varietas coetuum religiosorum succrevit, quae valde contulit, ut Ecclesia, non solum ad omne opus bonum instructa et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi parata sit, sed etiam variis donis filiorum suorum decorata appareat sicut sponsa ornata viro suo et per eam innotescat multiformis sapientia Dei» *(Perfectae Caritatis,* n. 1).

Praeclare hanc Ecclesiae vitalitatem testatur rebus suis gestis Poloniae Ecclesia quae, iam multis abundans femininis Institutis vitae contemplativae, superiore saeculo non paucis enituit Institutis item femininis, vitae activae deditis, quam mutatae condiciones societatis illius Nationis suadebant. Inter eas quae huiusmodi Instituta condenda curaverunt eminet Serva Dei Maria a Iesu Bono Pastore, cui nomen saeculare fuit Francisca de Siedliska.

Servae Dei vita in duas dividitur partes, utraque triginta annorum : quarum alteram in familia, et fere totam in patria, degit; alteram, peregre et plerumque Eomae actam, consumpsit in fundanda et propaganda Congregatione S. Familiae a Nazareth.

Pridie idus Novembres anno 1842 honesta gente de Siedliska nata in vico *Boszkowa-Wola* appellato, in dioecesi Varsaviensi, intra eos Poloniae fines, qui Russiae subiecti erant, die vigesimo eiusdem mensis sacri fontis aquis regenerata est eique nomina indita sunt Francisca, Anna, Iosepha.

In nobilis familiae suae commodis educata, puella est a praeceptricibus litteris et humanitate instituta, sed paulula vel fere nulla imbuta est formatione religiosa ob parentum neglegentiam, qui profecto christiani erant, sed saecularibus usibus inquinati, Francisca tamen, cum bona indole praedita esset eique Dei gratia praecavisset, ad religionem proclivem se praebuit, etsi parentes id aegre ferebant : quae pietas crevit, cum P. Leander Lendzian christianam doctrinam ei tradidit et ad primam sanctam Communionem admisit.

Post Communionem et Confirmationem (a. 1855) acceptam, non parum in via perfectionis profecit sensitque se ad statum religiosum vocari.

Inde in familia orta perturbatio : cum enim plures condiciones uxorias reiecisset a patre propositas, prohibita est ecclesiam frequentare et cum directore sui spiritus communicare, qui eius magister spiritus evaserat.

Duodeviginti annos nata Francisca percipere incepit morbi notas, quae initium esse phtisis coniectabantur. Qua re ab anno 1860 ad annum 1866 iterum atque iterum in locis curando aptis, nempe in Tiroli et in litore Gallico prope urbem vulgo *Cannes* appellatam, Massiliam et Montem Pessulanum commorata est.

Interea suos animi et corporis dolores Domino offerebat ut pater converteretur : quod Deo favente anno 1864 factum est.

Dein per aliquod tempus quoad spiritum tranquillior fuit, sed non quoad valetudinem, quae post reditum in Poloniam in deterius mutata est. Anno 1870 patre mortuo, Francisca gravissima morbi crisi anno 1872 est affecta, ex qua, ut omnes putarunt, mirum in modum convaluit. Quam ob causam de sua religiosa vocatione certior facta est, i. e. novum Institutum condendum in honorem Beatae Mariae Virginis a Nazareth.

Ubi perspectum habuit quid a se peteret Deus Serva Dei, gratia

mota, voluit Romam peregrinan ibique a Pio IX f e. me. calendis Octobribus anno 1873 pro opere condendo benedictionem accepit.

Cum propter Ordinum religiosorum abolitionem in parte Poloniae Russiae subiecta opus illud fundare in patria vetaretur, Serva Dei, Romae novae Congregationis religiosae anno 1875, mense Octobri, fundamenta iecit Cardinali Vicario consentiente, postquam specimen asceticum in animo volverat apud S. Domum Lauretanam, unde ei nomen Congregationis suggestum : « Sorores Sacrae Familiae Nazarethanae ».

Primi post Institutum conditum anni difficiles fuerunt, sed solaciorum non expertes, sive ob multas a Polonia vocationes, sive ob Summi Pontificis Leonis XIII benevolentiam, qui mense Iunio anno 1878 Servam Dei cum primis sociis coram admisit et anno 1881 Instituti proposito et fini benedixit.

Denique calendis Maiis anno 1884, constituta iuxta sacros canones Communitate Romana, P. Antonio Lechert, Congregationis a Resurrectione D. N. I. C, adiuvante et hortante, qui erat legatus ecclesiasticus Vicariatus Urbis, Sorores Sacrae Familiae publice adprobatae sunt ut novum Institutum religiosum, et licuit eis edere vota, quae ad id tem? pus solum privata fuerant. Tunc Serva Dei nomen Religionis sibi sumpsit Mariam a Iesu Bono Pastore.

Post domum Cracoviae anno 1880 conditam, quae vocationibus colligendis sedes facta est, Sorores Sacrae Familiae Nazarethanae anno 1885 ad Foederatas Civitates Americae Septemtrionalis arcessitae sunt, suum ibi apostolatum exerciturae. Missionale opus initium habuit, cui benedixit Deus ; nam Conditrix, compluribus confectis ab Europa ad Americam itibus reditibus, potuit intra septemdecim annos constituere undetriginta domus, e quibus scholas, nosocomia et sedes rerum subsidiariarum administrandarum. Eadem in Europa, nempe in Gallia et in Anglia, opera condidit.

Sexaginta annos nata, tot fracta laboribus, at plus etiam rebus adversis, quae necessario Dei incepta sequuntur, inopinato, sanctis refecta sacramentis, Romae mortua est die vigesimo primo Novembris anno 1902 in Congregationis domo principi.

Ex processibus canonicis, de quibus infra tractabitur, patet Servam Dei omnes christianas virtutes coluisse ultra communem bonorum christianorum agendi rationem.

Eius sanctitas expresse declaratur quod ad totum eius vitae religiosae tempus pertinet, sed iam in saeculo Francisca de Siedliska integritate, simplicitate, vita interiore et animi benevolentia praestitit.

Eo magis, immutata constantia, habitu facilis et iucunda, moderata semper et sincera, quoad vitam spiritus crevit, quo magis procedente tempore vires corporis infirmiores factae sunt.

Propria religiositatis Servae Dei, ut concorditer affirmant testes eiusdem aetatis, aviditas Dei fuit, qua perseveranter Deum quaesivit et ad Deum progressa est, toto animo, toto corde, totis viribus praeceptum caritatis explens, quod post Deum proximum amplectitur. Cupiens presse Dominum Nostrum Iesum Christum imitari, pietatem suam convertit in Sanctam Nazareth familiam, ubi, Iesum, Ioseph et Mariam contemplando, didicit vitae interioris efficaciam, quam in adorationem Eucharisticam transtulit, quippe quae praeparatio et animatio apostolatus esset usque ad gradum heroicum.

Inde intellegi potest egregia opera, quam Sanctae Sedi dedit, verbum Summi Pontificis et instructiones ad idem attinentes afferendo ad confessores fidei Polonicos. Quod ita Ecclesiam sentiebat eique serviebat, altera nota est eius religiositatis ; adeo ut peculiari voto se obligaret magistris spiritus oboediendi, quo tutius, exempla multorum sanctorum sequens, perfectiora ageret.

Ardens in Deum amor, quo intus infiammabatur, in exercitium caritatis erga proximum redundavit, quod explicavit sive generose et prompte veniam dando iis, a quibus ob calumnias dolores acceperat, sive multiplicia opera misericordiae faciendo, praesertim hospitium praebendo profugis Polonis, etiam non catholicos beneficiis afficiendo, orphanotrophia, valetudinaria, domus accommodas pro puellis operariis Poloniae et Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis instituendo.

Heroicae prudentiae specimina dedit, sive constanti cum humilitate ab aliis consilia petens, sive tam multa opera ordinando ; heroicam exhibuit fortitudinem ardua suscipiendo negotia ad domus fundatas et fundandas pertinentia et graves patiendo maerores a Deo permissos necnon diuturnas corporis infirmitates, quibus per totam vitam est affecta.

Eius sanctitatis fama exercitio virtutum nisa est non tantum in vita et in morte, sed etiam post mortem, et quidem continenter est aucta.

Ea de re tempestive instructi sunt Processus ordinarii Romae annis 1922-1927, atque rogatoriales Cracoviensis (a. 1923), Parisiensis (à. 1925), Westmonasteriensis (a. 1926) et Chicagiensis (aa. 1926-1927).

Die vigesimo septimo mensis Novembris, anno 1937, Decreto Sacrae tum Rituum Congregationis confirmatum est scripta Servae Dei non

impedire quominus Causa Beatificationis progrederetur, quae apud Sedem Apostolicam introducta est pridie nonas Décembres anno 1940.

Decreto de observantia Decretorum Urbani VIII praeposito pridie idus Décembres anno 1941, Processus Apostolici instructi sunt in iisdem Ordinariorum dioecesibus annis 1941-1946.

Decretum de validitate Processuum editum est postridie calendas Martias anno 1952.

Quae praemittenda erant praemissis, perventum est ad disceptationem de Servae Dei virtutibus in specie, primum die undevigesimo mensis Iunii anno 1979 in Congressu peculiari Officialium Praelatorum et Consultorum, deinde in Congregatione Plenaria die vigesimo secundo mensis Februarii anno 1980 habita, Ponente seu Relatore Causae Reverendissimo Domino Cardinali Ladislao Rubin.

Ambarum disceptationum exitus affirmans fuit.

Summus Pontifex Ioannes Paulus II, ad quem omnia per subscriptum Cardinalem Praefectum, relata sunt, Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum responso adprobato, iussit perscribi Decretum de virtutibus heroicis.

Ideo hodie Sua Sanctitas, ad se accitis Cardinalibus infrascripto Praefecto, necnon Cardinali Ladislao Rubin, Causae Ponente, meque Sacrae Congregationis Secretario ceterisque qui convocari solent, iisque praesentibus pronuntiavit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Mariae a Iesu Bono Pastore, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Iussit autem hoc Decretum pervulgari et inseri Actis huius Sacrae Congregationis.

Datum Romae, die 29 Aprilis, Anno Domini 1980.

CONRADUS Card. **BAFILB,** *Praefectus*

68 Iosephus Casoria, Archiepiscopus tit. Foronovan., *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

SALERNITANA

Nullitatis Matrimonii
(Di Pierro - Di Lucia)

Cum ignoretur locus actualis commorationis d.nae Annae Mariae Di Pierro, pars actrix in causa de qua supra, eamdem citamus ad comparendum aut per se aut per Procuratorem legitime constitutum coram Tribunali S. Romanae Rotae «Piazza della Cancelleria 1, Roma» in diem 22 iulii 1980, hora 10,30, pro concordatione vel subsignatione sequentis dubii :

« An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Ordinarii locorum, Parochi, et fideles, qui notitiam habuerint actualis commorationis praedictae D.nae Annae Mariae Di Pierro, curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur.

Franciscus Bruno, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis, die 6 Iunii, a. 1980.

Ioannes Yerginelli, *notarius*

ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO DECRETIS CONCILII VATICANI II INTERPRETANDIS

Responsa ad proposita dubia.

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II Interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum esse censuerunt ut infra :

* I. *(De Sodalibus Consilii Secretariae Generalis Synodi Episcoporum)*

D. I. - Utrum vi art. 13 Ordinis Synodi Episcoporum celebrandae, Membra Consilii Secretariae Generalis eiusdem Synodi sint iure Sodales Coetus Synodi Episcoporum pro quo electi vel nominati sunt.

II. - Quasnam partes habeant Membra Consilii Secretariae Generalis Synodi Episcoporum in celebratione Coetus pro quo electi vel nominati sunt.

R. - Ad primum *negative;* ad secundum : *eas tantum partes habere quae in Ordine Synodi Episcoporum celebrandae, art. 13, § 5-6, recensentur.*

II. *(De electione Vicarii curati perpetui)*

D. I. - Utrum normae de quibus in Litteris Apostolicis die 6 augusti 1966 Motu Proprio datis *Ecclesiae Sanctae* I, n. 18 et n. 21, § 2 sint praeceptivae an directivae tantum : et quatenus affirmative ad priorem partem dubii :

II. - Utrum praedictarum vi normarum abrogatus censendus sit modus eligendi ex parte Capituli Vicarium curatum perpetuum paroeciae quae pleno iure Capitulo sit unita ex lege particulari, quae speciali Summi Pontificis approbatione firmata sit.

R. - Ad primum *affirmative* ad priorem partem, *negative* ad secundam, seu citatas normas esse praeceptivas, et non directivas tantum.

Ad secundum *negative* et ad mentem : mens autem est ut res deferatur singulis in casibus ad Summum Pontificem.

Ss.mus Dominus Noster Ioannes Paulus Pp. II, in Audientia die 13 iunii 1980 infrascripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, adprobavit et publicari iussit.

PERICLES Card. **FELICI,** *Praeses*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Giovedì, 19 Giugno 1980, S. E. il Signor **FRANCIS A. COFFEY**, Ambasciatore d'Irlanda presso la Santa Sede.

Giovedì, 26 Giugno 1980, S. E. il Signor **LLOYD THOMSON**, Ambasciatore d'Australia presso la Santa Sede.

Venerdì, 27 Giugno 1980, S. E. il Signor **ALBERT SATO**, Ambasciatore della Repubblica Centroafricana presso la Santa Sede.

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 16 Giugno 1980, S. E. il Dottor JoÂo Bosco **MOTA AMARAL**, Presidente del Governo Regionale delle Azorre.

Giovedì, 19 Giugno 1980, l'Ingegner **VLADIMIR PALACEK**, Segretario Generale del Fondo Internazionale « Gladno Dijete ».

Venerdì, 20 Giugno 1980, il Signor **ALEXANDRE HAY**, Presidente del Comitato Internazionale della Croce Rossa.

Venerdì, 20 Giugno, S. E. il Signor **ALEJANDRO ORFILA**, Segretario Generale dell'Organizzazione degli Stati Americani.

Sabato, 21 Giugno 1980, S. E. il Signor **JIMMY CARTER**, Presidente degli Stati Uniti d'America.

Martedì, 24 Giugno 1980, S. E. il Signor **PIERRE ELLIOT TRUDEAU**, Primo Ministro del Canada.

Martedì, 24 Giugno 1980, S. E. l'Ingegner **RAFAEL EDUARDO CASTILLO VALDEZ**, Ministro degli Esteri della Repubblica di Guatemala.

Giovedì, 19 Giugno 1980, alla presenza del Santo Padre, si è tenuta una riunione degli Em.mi Signori Cardinali preposti ai Sacri Dicasteri della Curia Romana.

Sabato, 28 Giugno 1980, il Santo Padre si è incontrato con i membri del Sacro Collegio e con tutti i collaboratori della Curia Romana, della Città del Vaticano e del Vicariato di Roma, ecclesiastici e laici.

Da Lunedì 30 Giugno a Venerdì 11 Luglio 1980, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio in Brasile sostando a Brasilia, Belo Horizonte, Rio de Janeiro, São Paulo, Aparecida, Porto Alegre, Curitiba, Salvador da Bahia, Recite, Teresina, Belém do Para, Fortaleza, Manaus.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

3 giugno 1980. S. E. Mons. Luigi Dossena, Arcivescovo tit. di Carpi, *Pro-Nunzio Apostolico nel Mali.*
28 » » Prof. Avv. Tommaso Mauro, *Avvocato del Sacro Concistoro.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

28 marzo 1980. P. Agostino Trapé, O.S.A.; P. Polikarp Zakar, Ord. Oist. ; P. Magnus Löhrer, O.S.B.; D. Luigi Bugliolo, S.D.B., *Consultori delia Sacra Congregazione per le Cause dei Santi.*
27 giugno » L'Eni.mo Signor Cardinale Wladyslaw Rubin, *Prefetto della Sacra Congregazione per le Chiese Orientali.*
» » » L'Em.mo Signor Cardinale Pietro Palazzini, *Prefetti) della Sacra Congregazione per le Cause dei Santi.*
» » » S. E. Mons. Jean Jadot, Arcivescovo tit. di Zuri, *Pro-Presidente del Segretariato per i Non Crigtiani>*
» » » S. E. Mons. Paul Poupard, Arcivescovo tit. di Usula, *Pro-Presidente del Segretariato per i Non Credenti.*
» » » P. Jan Schotte, O.I.C.M., *Segretario della Pontificia Commissione « Iustitia et Pax».*
28 » » L'Em.mo Signor Cardinale Wladyslaw Rubin, *Memoro del Supremo Tribunale della Segnatura Apostolica.*

Protonotari Apostolici soprannumerari:

21 maggio 1980. Mons. Minelli Sergio (Eoma).
26 » » Mons. Finelli Giacinto (Roma).
3 giugno » Mons. Castelli Carlo (Como).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

5 febbraio 1980. Mons. Netto Mark (Trivandrum).
13 » » Mons. Baio Francesco (Agrigento).
» » » Mons. De Gregorio Domenico (Agrigento)
» » Mons. Lupo Calogero (Agrigento).
» » » Mons. Re Pietro (Agrigento).
19 » » Mons. Ekeng Inyand Dominio (Calabar).
» » Mons. Protus Ekarika Joseph (Calabar).
» » Mons. Una Francis Xavier (Calabar).
20 » Mons. Rehâk Giuseppe (Subotica).
21 » » Mons. Kiedrowski Witold (Cheìmno).
20 marzo Mons. Kodiyan George (Aurangabad).
31 » Mons. Tognocchi Eraldo (Apuania).
» » Mons. Torre Giovanni M. (Apuania).
» » Mons. Torre Paolo (Apuania).
10 aprile » Mons. Ruben Timoteo (Ozamis).
11 » Mons. Formelli Giustino (Fiesole).
12 » Mons. Cimatti Vincenzo (Faenza).
» Mons. Vróna Carlo (Hradec Králové).
15 » Mons. Volpetti Alfredo (Roma).
18 » » Mons. Murray Christopher (Dromore).
24 » Mons. Fehily Gerge Th. (Dublino).
» » » Mons. Moloney John J. (Dublino).
» » Mons. Williams Desmond A. (Dublino).
29 » » Mons. Falciani Sante (Montalcino).
3 maggio » Mons. Rezza Dario (Roma).
7 » » Mons. Carloni Giuseppe (Jesi).
» » Mons. Schreiner Josef (Würzburg).
16 » Mons. Vallini Agostino (Napoli).

Cappellani di Sua Santità:

4 febbraio 1980. Il sac. Tokarek Waciaw (Lódz).
13 » » Il sac. Di Stefano Giuseppe (Agrigento).
27 » » Il sac. Brunner Anton (Sankt Polten).
20 marzo » Il sac. Kranner Carolus (Gurk).
24 » » Il sac. Kurz Leopold (Rottenburg-Stuttgart).
27 » » Il sac. Nowak Stanislaw (Wloclawek).

10	aprile	1980.	II	sac. Tuli Lido (Firenze).
»	»	»	II	sac. Zini Amerigo (Firenze).
11	»	»	II	sac. Zúñiga Amagada José Efrain (San Felipe).
18	»	»	II	sac. Recchia Carmine (Roma).
19	»		II	sac. Bordin Giovanni (Treviso).
»			II	sac. Marangon Antonio (Treviso).
»	»	»	II	sac. Mazzarolli Antonio (Treviso).
24	»	»	II	sac. Ajello Gaetano (Mazzara del Vallo).
»			II	sac. Gandolfo Pasquale (Mazzara del Vallo).
29	»	»	II	sac. Corsini Osteno (Montalcino).
»		»	II	sac. Pieri Rino (Montalcino).
5	maggio		II	sac. Oberle Hermann (Freiburg i. Br.).
7	»	»	II	sac. Bagnacavalli Mario (Jesi).
»	»	»	II	sac. Pastori Attilio (Jesi).
»	»	»	II	sac. Sauer Adam (Würzburg).
9	»	»	II	sac. Ranalli Luigi (Chieti).
15	»	»	II	sac. Tscherring Emil (Sion).
16		»	II	sac. Borrelli Giovanni (Napoli).
»	»	»	II	sac. Coseglia Raffaele (Napoli).
»	»	»	II	sac. D'Urso Antonio (Napoli).
			II	sac. Minichini Carmine (Napoli).
		»	II	sac. Pace Antonino (Napoli).
	»		II	sac. Paesano Luigi (Napoli).
	»		II	sac. Sferrazzo Luigi (Napoli).
3	giugno	»	II	sac. Cavalli Aldo (Bergamo).
	»	»	II	sac. Herres Giuseppe (Los Angeles).
	»	»	II	sac. Kasujja Augustine (Kampala).
	»	»	II	sac. Lebeaupin Alain Paul Charles (Nice).
	»		II	sac. Panikulam George (Irinjalakuda).
»		»	II	sac. Schwemmer Hans (Regensburg).

Addetti di Anticamera:

9	giugno	1980.	II	sig. Bentivoglio Camillo (Roma).
	»	»	II	sig. Lami Luciano (Roma).

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:

Il Collare dell'Ordine Piano:

16 maggio 1980. A S. E. il Sig. Antonio dos Santos Ramalho Eanes, *Presidente della Repubblica del Portogallo.*

La Oran Croce dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

21 dicembre 1979. A S. A. Otto von Habsburg *(Germania).*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito :

La Commenda dell'Ordine Piano:

6 maggio 1980. Al sig. Volken Gregor *(Svizzera).*

La Commenda dell'Ordine di san (gregorio Magno, classe civile:

13	febbraio	1980.	Al sig. Trovato Alfio (Agrigento).
»	»		Al sig. Zambuto Alfonso (Agrigento).
1	marzo	»	Al sig. Radix John 0. (Saint George's in Grenada).
7	»		Al sig. Colale Antonino (Orvieto).
27	»		Al sig. Westenberger Wilhelm (Mainz).
31	»	»	Al sig. Piotrowski Henryk (Roma).
12	aprile	»	Al sig. Morando Wörmes (Rieti).
18			Al sig. Moretti Massimo (Milano).
22	»		Al sig. Diffidenti Paolo (Palestrina).
»			Al sig. Loloum Jean (Paris).
24	»		Al sig. Bruschetti Senio (Roma).
8	maggio		Al sig. Fasching Joannes (Wien).
»	»		Al sig. Grossmann Heribertus (Wien).
»	»		Al sig. Gruber Franciscus (Wien).
»	»	»	Al sig. Low Franciscus (Wien).
»	»	»	Al sig. Pazeller Carolus (Wien).
»			Al sig. Polterauer Willibaldus (Wien).
»		»	Al sig. Sattler Antonius (Wien).
5	»		Al sig. Petteruti Romano Adelelmo (Larino).
7	»	»	Al sig. Coroneo Luigi (Roma).
10	»		Al sig. De Marchis Dante (Roma).
13		»	Al sig. Soriani Giulio (Reggio Emilia).
16	»	»	Al sig. Cioffi Pietro (Napoli).
»			Al sig. Landi Aldo (Napoli).
5	giugno	»	Al sig. Morandini Luciano (Roma).
»	»	»	Al sig. Prosperi Massimi (Roma).
12	»		Al sig. Po-chiu Cheng *(Cina).*

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

19	settembre	1979.	Al sig Ayanbadejo Peter (Ijebu-Ode).
23	novembre	»	Al sig. Hae Yeong Paul (Seoul).
15	gennaio	1980.	Al sig. Allotey Jonathan (Accra).

15 gennaio **1980.** Al sig. Kobla Senaya Emmanuel (Accra).
» » » Al sig. Kwadwo Panford Joseph (Accra).
» » » Al sig. Tetteh Emmanuel (Accra).
1 febbraio » Al sig. Bitamba Matthew (Kabale).
1 marzo » Al sig. Bartholemew Claude (Saint George's in Grenada)
11 » » Al sig. Taglietti Enrico (Canberra).
13 » » Al sig. McCarthy John Brian (Sydney).
27 » Al sig. Olmedo Carlos (Manila).
» » » Al sig. Paculdo Nereo J. (Manila).
» Al sig. Detraz Marc (Annecy).
» » Al sig. Gantelet Jules (Annecy).
22 aprile Al sig. Zanetti Leonida (Roma).
24 » Al sig. Giubilato Angelo (Mazzara del Vallo).
29 » » Al sig. Rotigliani Giovanni (Roma).
8 maggio » Al sig. García Manuel (Manila).
» » Al sig. Hrachovec Henricus (Wien).
5 giugno » Al sig. Colosi Giuseppe (Roma).
» » » Al sig. Giulianelli Luigi (Roma).

La Commenda con Placca dell'Ordine dì san Silvestro Papa:

8 maggio **1980.** Al sig. Eggl Franciscus (Wien).
» » Al sig. Kolb Adolphus Clemens (Wien).
» » Al sig. Koliahder Joseph (Wien).

La Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

4 giugno **1980.** Al sig. Rossi Pietro (Roma).
10 » » Al sig. Labella Camillo (Roma).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

15 gennaio **1980.** Al sig. De Merulis Vittorio (Roma).
» » Al sig. Lo Schiavo Biagio (Roma).
» Al sig. Romanelli Pier Luigi (Roma).
13 febbraio » Al sig. Bruno Salvatore (Cassano all'Ionio).
» » » Al sig. Contaldi Francesco (Agrigento).
» » » Al sig. Di Girgenti Antonio (Agrigento).
» » » Al sig. Fasulo Francesco (Agrigento).
» » » Al sig. Schifano Michele (Agrigento).
7 marzo » Al sig. Tornassi Mario (Roma).
12 aprile » Al sig. Faraone Tebaldo Gastone (Roma).
» » » Al sig. Toffoli Andrea (Roma).
» » Al sig. Traversi Sabino (Roma).

15	aprile	1980.	Al sig. D'Ottavio Remo *(Italia).*
»		»	Al sig. Tamborrino Giancarlo *(Italia).*
18	»	»	Al sig. Calieri Augusto (Rimini).
30	»		Al sig. Macchini Luciano (Tivoli).
»	»	»	Al sig. Messersi Mario (Senigallia).
3	maggio	»	Al sig. Crepaz Alfredus (Wien).
»	»	»	Al sig. Fürst Gualtharius (Wien).
»		»	Al sig. Forte Valentinus (Wien).
»	»	»	Al sig. Hiesinger Franciscus (Wien).
»	»	»	Al sig. Lammer Gualtharius (Wien).
»		»	Al sig. Mayer Ferdinandus (Wien).
»	»		Al sig. Wächter Emmericus (Wien).
5	»	»	Al sig. Iozzia Guglielmo (Roma).
7		»	Al sig. Felcini Enrico (Roma).
16		»	Al sig. Benelli Adelmo (Napoli).
14	giugno		Al sig. Abrusci Antonio (Roma).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Silvestro Papa:

10	luglio	1979.	Al sig. Graf Franz (Eisenstadt).
			Al sig. Probst Henricus (Eisenstadt).
»	»	»	Al sig. Quaritsch Willem (Eisenstadt).
19	settembre	»	Al sig. Olukayode Kibisile (Ijebu-Ode).
	»	»	Al sig. Olutunfese Anthony Gregory (Ijebu-Ode).
»	»	»	Al sig. Orepide Hector Augustine (Ijebu-Ode).
27	»	»	Al sig. Adela ja Banjo Peter (Ijebu-Ode).
15	dicembre	»	Al sig. Kollreider Oswald (Innsbruck).
16	gennaio	1980.	Al sig. Hanssen Jakob W. (Roermond).
»	»	»	Al sig. Oude Reimer Hendrik J. (Haarlem).
»	»	»	Al sig. Riemslag Cornelis (Haarlem).
22		»	Al sig. Geuter Bruno (Köln).
»		»	Al sig. Gutmann Josef (Köln).
»		»	Al sig. Heyen Franz Josef (Trier).
»		»	Al sig. Kurz Hermann (Köln).
26		»	Al sig. Adebola Odunowo Francis (Ijebu-Ode).
»			Al sig. Funmilola Adelaja Iacob (Ijebu-Ode).
7	febbraio	»	Al sig. Lang Manfredus (Sankt Polten).
27	»		Al sig. Centrone Cosmo (Roma).
29	»	»	Al sig. Zegers Marino J. (Utrecht).
1	marzo		Al sig. Cortenraad Joannes J. (Roermond).
»			Al sig. De Coteau Rupert (Saint George's in Grenada).
11	»	»	Al sig. Vanteysen Juul (Hasselt).
»	»	»	Al sig. Van der Velde Antonio H. P. (Rotterdam).
15		»	Al sig. Klein Wilhelm (Köln).
»			Al sig. Lenssen Joannes A. (Roermond).
18			Al sig. Hülsen Pietro J. H. (Roermond).

24	marzo	1980.	Al sig. De Hart Gerardo L. (Breda).
27	»	»	Al sig. Arts Joannes H. (Bois-le-Duc).
28	»	»	Al sig. Cruz Herminio (Malolos).
»	»	»	Al sig. Cruz Pablo (Malolos).
	»	»	Al sig. Esguerra Jorge (Malolos).
	»	»	Al sig. Gutiérrez Romeo (Malolos).
		»	Al sig. Sánchez Domingo A. (Malolos).
	»	»	Al sig. Santos Juan *B.* (Malolos).
»	»	»	Al sig. Talag Macario R. (Malolos).
31	»	»	Al sig. Rivera Marciano I. (Manila).
11	aprile	»	Al sig. Paganini Luciano (Roma).
12	»	»	Al sig. Collina Ugo (Faenza).
19	»	»	Al sig. Epifani Gino (Roma).
22		»	Al sig. Grossi Gino (Reggio Emilia).
»	»	»	Al sig. Pasini Ottavio (Roma).
29	»	»	Al sig. Recchia Silvio (Roma).
30		»	Al sig. Serrone Romano (Roma).
1º	maggio	»	Al sig. Grünfelder Antonius (Wien).
»	»	»	Al sig. Hartenau Willem (Wien).
	»		Al sig. Kaindl Alfredus (Wien).
	»	»	Al sig. Orglmeister Joannes (Wien).
»		»	Al sig. Schuhmayer Fridericus (Wien).
		»	Al sig. Wimmer Josephus (Wien).
	»	»	Al sig. Wolf Fridericus (Wien).
7	»	»	Al sig. Contadini Alberto (Jesi).
»	»		Al sig. Lenti Giuseppe (Jesi).
13	»		Al sig. Cuvier Giovannelli (Reggio Emilia)
4	giugno	»	Al sig. Pierangeli Franco (Roma).
»		»	Al sig. Taschini Stefano (Roma).
12		»	Al sig. Maddaluni Gastone (Roma).
18	»	»	Al sig. Chiti Morando (Roma).
»	»	»	Al sig. Gallotta Manrico (Roma).

NECROLOGIO

28 marzo 1980. Mons. James Thomas Gibbons Hayes, S. I., Arcivescovo già di Cagayan de Oro *(Filippine).*

15 giugno » Card. Sergio Pignedoli, Diacono di San Giorgio in Velabro.

16 » » P. Dominio Desperben, SS.CC, Prefetto Apostolico di Hainan *(Cina).*

18 » » Mons. Martin Elmar Schmid, C.M.M., Vescovo di Mariannhill *(Repubblica Sudafricana).*

27 » » Mons. Moisés Alves de Pinho, C.S.Sp., Arcivescovo già di Luanda *(Angola).*

28	giugno	1980.	Don Vincenzo Miaño, S.D.B., Segretario del Segretariato per i Non Credenti
30	»	»	Mons. Felipe Santiago Hermosa y Sarmiento, Arcivescovo già di Cuzco *(Perù).*
2	luglio	»	Mons, Ramón Iribarne, 0. de M., Vescovo Prelato di Deán Funes *(Argentina).*
8	»	»	Mons. Daniel Tavares Baeta Neves, Vescovo di Sete Lagoas *(Brasile).*
15		»	Mons. Antonio Mazzarotto, Vescovo già di Ponta Grossa *(Brasile).*
17	»	»	Mons. José Carranza Chévez, Vescovo di Santa Rosa de Copan *(Honduras).*
»	»	»	Mons. Maximilian Gofart, Vescovo tit. di Uzita.
21	»	»	Mons. Amand Hubert, S. M. A., Vescovo tit. di Sais.
»	»	»	Mons. Jacinto Vásquez Ochoa, Vescovo già di Espinal *(Colombia).*
26	»	»	Mons. Joseph Ruocco, Vescovo tit. di Polignano.
28		»	Mons. Francesco Ricceri, Vescovo già di Trapani.
30	»	»	Mons. Dino Tomassini, Vescovo di Assisi, Nocera Umbra e Gualdo Tadino *(Italia).*

Recens nuntiatum est Antonium H. Yang Kuang Chi, O.F.M., Episcopum Iüzeanum, anno probabiliter 1978, de vita decessisse.

An. et rol. LXXII 30 Septembris 1980 N. 6

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

EPISTULAE APOSTOLICAE

I

Ad dilectos filios Victorem Dammertz, Abbatem Primatem Ordinis S. Benedicti; Iacobum Del Rio, Maiorem Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae; Paulum Ananian, Abbatem Generalem Ordinis Mechitaristarum Venetiarum, Monachorum Armenorum sub Regula S. Benedicti; Sighardum Kleiner, Abbatem Generalem Sacri Ordinis Cisterciensis; Ambrosium Southey, Abbatem Generalem Ordinis Cisterciensium Reformatorum seu strictioris observantiae: XV expleto saeculo ab ortu S. Benedicti, abbatis.

IOANNES PAULUS PP. II

DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sanctorum altrix Mater Ecclesia eos qui praeclara virtutum exercitatione Christum, Sponsum eius, fidelissime sunt secuti, quasi magistros vitae filiis suis commonstrat, ut, illorum vestigiis inhaerentes, inter mundanas varietates ad perfectam cum Deo coniunctionem, id est ad propositum sibi finem, perveniant. Qui eximii viri et mulieres, quamquam in terrena conversatione peculiaribus aetatis suae, praesertim ingeniorum culturae, condicionibus erant obnoxii, tamen vivendi ratione sua atque doctrina quandam faciem mysterii Christi in lumine posuerunt, quae certum ac definitum tempus egreditur et etiamnum vim suam retinet atque vigorem.

Cum ergo in praesentia xv saeculum revolutum ab ortu sancti Benedicti sollemnibus celebretur, opportunitas praebetur eius nuntium spiritalem et socialem iterum audiendi.

I

Tn religione qualibet semper fuerunt, qui, « inquietudini cordis hominum variis modis occurrere nitentes »,* ad Absolutum et Aeternum singulariter traherentur. Inter quos, ad Christianitatem quod attinet, eminent monachi, qui iam saeculo III et IV in orientis partibus propriam quandam instituerunt formam vivendi, studio deifico contendentes, ut Christi exemplo ((in monte contemplantis »[2] vitam solitariam et segregem agerent aut in fraternae caritatis convictu se Dei famulatui dederent.

Ex oriente autem monastica disciplina in totam Ecclesiam permanavi atque aliorum salubre propositum aluit, qui, vitae religiosae instituta servantes, imitabantur Salvatorem « turbis Regnum Dei annuntiantem vel peccatores ad bonam frugem convertentem».[3]

Cum ergo hoc spiritali fermento Ecclesia augeretur, simul tamen civilis cultus dilaberetur, res Romanorum senescerent — paulo antea horum imperium occidentale erat subversum — circiter annum **CCCCLXXX** Benedictus natus est Nursiae.

« Gratia Benedictus et nomine, ab ipso suae pueritiae tempore cor gerens senile » atque « soli Deo placere desiderans »,[4] inclinavit aurem cordis ad Dominum, qui operarium suum quaerebat,[5] atque, per ducatum Evangelii animi haesitationes, initio subortas, devincens, ivit per ((dura et aspera »,[6] id est ingressus est « artam viam, quae ducit ad vitam ».[7]

Nonnullis locis vitam solitariam agens tentationumque probatione sese purificans effecit, ut cor suum totum Deo pateret ; cuius amore impulsus, alios homines convenit, quibuscum ut pater obiret «dominici

[1] Conc. Oec. Vat. II, Decl. *Nostra aetate* de Ecclesiae habitudine ad religiones non-christianas, 1.

[2] Conc. Oec. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 46.

[3] *Ibid.*

* S. Gregorius Magnus, *Dialogorum* lib. II, *Prolog.: PL* 66, 126.

[5] Cf. *S. Benedicti Regula, Prolog.* 1. 14.

[6] /S. *Benedicti Regula,* 58, 8.

[7] Cf. *Mt.* 7, 14.

scholam servitii ».[8] Itaque usu, sapienti quidem et cum sensu officii coniuncto, <(instrumentorum bonorum operum »[9] ipse eiusque alumni parvam civitatem christianam constituerunt, « ubi tandem », ut dixit Paulus VI, Decessor Noster rec. mem., «viget amor, oboedientia, innocentia, animus liber a rebus et ars iis recte utendi, principatus spiritus, pax, breviter Evangelium ».[10]

Bona ergo complens, quae in traditione ecclesiali inerant orientis et occidentis, Sanctus Nursinus rationem hominem totum considerandi est adeptus, cuius dignitatem, ut personae, non iterabilem inculcavit.

Cum anno **DXLVII** de vita ille decederet, firma iacta iam erant fundamenta monasticae disciplinae, quae praesertim post synodos aetate Garolingorum celebratas monachismus occidentalis evasit. Qui quidem per abbatias aliasque domos Benedictinas, quoquoversus diffusas, compagem illam primigeniam et seminalem Europae novae effecit : Europae dicimus, cuius ((gentibus, quae a Mari Mediterraneo usque ad Scaiidinaviam, ab Hibernia usque ad Polonorum loca patentia incolunt, huius Sancti filii cruce, libro, aratro christianum attulerunt cultum civilem ».[11]

II

Ad tria in vita Benedictina praedicabilia mentes vestras convertere est hodie Nobis propositum : sunt autem oratio, labor, exercitatio auctoritatis paterna. Quae tria Nos iuvat ampliore consideratione rerum theologicarum humanarumque complecti — quatenus e vita et magisterio Benedicti, maxime vero ex eius Regula, eruuntur — quo altius perspici valeant.

Haec lex vivendi est quidem secundum verba sancti huius Caelitis ((minima inchoationis Regula », sed reapse compendium, cohaerens et copiosum, Evangelii non communi conversatione ad effectum adducti. Etenim, homine eiusque sorte cum Redemptione sociata ante oculos obversantibus, ille capita quaedam doctrinae, potissimum vero formam vitae proponit. Quamvis huiusmodi vitae ratio pro monachis — ac quidem monachis saeculi VI — sit conscripta, tamen continentur in ea

[8] *S. Benedicti Regula, Prolog.* 45.

[9] Cf. *S. Benedicti Regula,* 4.

[10] Cf. Allocutio d. 24 Octobris 1964 in Archicoenobio Casinensi habita: *AAS* 56 (1964), p. 987.

[11] Cf. Pauli PP. VI, Litt. Ap. *Pacis nuntius: AAS* 56 (1964), p. 965.

seu inde perlucent praeceptiones ad hanc etiam aetatem pertinentes utilesque cunctis baptismo renatis et in fide adultis, cunctis, qui per inoboedientiae desidiam a Deo recesserunt atque nunc per oboeditionem fidei, haud semper facilem, ad eum redire nituntur.[12]

Vita Benedictina in Ecclesia potissimum ut perstudiosa quaesitio Dei apparet, qua quodam modo vitae cursus sit insignis oportet cuiusvis christiani ad « doctrinae virtutumque culmina »[13] contendentis, donec ad caelestem perveniat patriam. Quod iter sanctus Benedictus animo sollicito et commoto insistit atque observat, non rara impedimenta ostendens, quibus difficile redditur, ac discrimina, quibus id praecludi omnesque nisus evacuari videntur ; siquidem homo servus est immodicarum cupidinum, quibus nunc vana praesumptione et superbia tumescit, nunc vero pavore vires extenuante perterritur.[14]

Sed haec « via vitae »[15] certis tantummodo condicionibus potest percurri : quatenus scilicet Christus sine adiunctione diligitur simulque germana servatur humilitas. Profecto christianus, indigentiae suae conscius et infirmitatis, iter spiritale, Deo opitulante, ingreditur : ab iis, quae eum gravant, noxis se liberat, authenticam naturam suam, ut personae, clarius perspicit, in imis animae penetralibus detegit Deum praesentem. Amor ergo et humilitas coalescunt in unum, hominem moventes, ut descendat, quo altius ascendat. Vita enim nostra est scala, ((quae humiliato corde a Domino erigatur ad caelum ».[16]

Exterior autem modus vitae considerandae monasticae opinationem potest ingerere viam vitae Benedictinae solum propriae utilitati monachi hanc profiteritis favere, facilem inferre neglectionem ceterorum, ideoque animum alienare a sociali ratione verisque sollicitudinibus hominum. Hoc pacto vita, quae intra monasterii claustra cum orandi consuetudine, in solitudine et silentio agitur, etiam a nonnullis ad ecclesialem communitatem pertinentibus, pro dolor, aestimatur.

Re quidem vera, cum monachus animum colligit seu, ut sanctus Gregorius de Benedicto dixit Nursino, secum habitat, atque semet ipsum diligenter attendit per purificationem paenitentialis asceseos, id etiam propterea fit, ut se e servitute propriae voluntatis expediat. Sed haec

[12] **Cf. £. *Benedicti Regula, Prolog.* 2.**

[13] ***S. Benedicti Regula, 73,* 9; cf. Conc. Oec. Vat. II, Const. dogm. *Lumen Gentium* de Ecclesia, 9; Decr. *Unitatis Redintegratio* de oecumenismo, 2.**

[14] **Cf. *S. Benedicti Regula, Prolog.* 48.**

[15] **Cf. Ä. *Benedicti Regula, Prolog.* 20.**

[16] **Sí. *Benedicti Regula, 7,* 8.**

mentis intentio, quam in se ipsum aliquis dirigit, est solum condicio necessaria omnino, ut animus eius veriore studio Deo fratribusque patescat. Hac vi Benedictinae conversationis impellente efficitur, ut singuli monachi in communitate vivant et haec hospitalitatis sedes evadat.

Sanctus Benedictus hanc viam principalem percurrit, qua intra fines familiae monasticae itur ad Deum. Monasterii autem convictus — ex eius sententia locus singularis, ubi corda dilatantur habitatorum oboedientiam sibi invicem impendendum — vehementi amore proximi movetur, incitatur, quo quisque adducitur, ut, suum commodum neglegens, fratris utilitati deserviat.

Homo cum cotidie nititur, ut apud se postulatum, numquam posthabendum, animi collecti modestique et participatio vitae, et ipsa non deponenda, ex aequo temperentur, valescit facultate, ex qua germana sit persona, rationes quidem habens cum aliis et cum Deo potissimum, qui prorsus est alius.

Verumtamen hoc modo homines resque sociales aestimandi, qui sancti Benedicti est proprius ac totius traditionis ab eo manantis, necessitudines nullatenus circumscribuntur sola communitate monastica. Clausura monachum seiungit quidem a saeculo atque adversus omnem fatuam dissipationem quasi quoddam repagulum debet efficere, quod transcendí non liceat, sed hoc non dividit nec terminat ab amore. Quin immo huiusmodi limes veluti spatium aperit, interiori libertati necessarium, ubi monachus — et quodam modo quivis homo, de «parva clausura» sua sollicitus — in amore vivat et crescat; ubi cor suum fratribus pandat, qui ea participare desiderant, quae ille in coniunctione cum Deo experitur, et feliciter accidat, ut, quemadmodum Paulus VI sagaciter dixit, sedes sua «magis usque frequentetur uti domus pacis et orationis, ubi homines se ipsos inveniant et Deum intus secum»;[17] seu ut ibi constituatur «dominici schola servitii», videlicet «schola... virtutis et contemplationis quae abunde nascitur ex claris ac solidis explicationibus evangelii, doctrinae translaticiae, Ecclesiae magisterii»;[18] ipse necessitudine contingat omnes ac singulos, per orationem exsuperando quosvis fines spatii ac terminos temporis. His profecto condicionibus monachus sancti Benedicti frater universalis, evangelizator, nuntius pacis et amoris evadit.

[17] **Pauli PP. VI Ep. ad Ioannem Carmelum Card. Heenan, Archiepiscopum Vestmonasteriensem: *AAS* 67 (1975), p. 474.**

[18] *ma.*

III

Aetate sancti Benedicti communitas ecclesialis hominumque societas plures exhibent similitudines cum iis, quae nunc sunt, condicionibus vitae humanae. Perturbationes rei publicae et incertitudo temporis futuri, impendente bello aut iam ardente, mala inferebant, quibus animi vehementer perculsi terrebantur. Unde factum est, ut vitam omni certa ac praestabili significatione carere putarent.

Intra Ecclesiae limina diuturna contentio tandem resederat, qua incensi homines mysteria Dei acrius vestigabant, praesertim imperscrutabilem veritatem divinitatis Filii eiusque humanitatem germanam. Haec omnia quasi voce repercussa in verbis, sempiterna memoria dignis, Leonis Magni, successoris beati Petri et Romani episcopi, resonabant.

Sanctus Benedictus, hunc statum intuens rerum, a Deo et viva Ecclesiae traditione lumen petit et cursum, quem teneat. Consilium autem captum ab eo putari potest paradigma christiani officii in variis casibus huius peregrinationis terrenae, etsi certi ac definiti generis vitae ratio non habetur.

Iesus Christus est centrum vitale, pernecessarium, ad quod omnia debent referri, ut iis sensus tribuatur eaque solide consistere possint. Ad sententiam sancti Cypriani, episcopi Carthaginiensis, se revocans, Benedictus vehementer graviterque affirmat omnino ((nihil amori Christi esse praeponendum ».[19]

In hominibus autem et rebus inest et momentum, prout cum Christo conectuntur ; qua quidem ratione considerari debent et aestimari. Quotquot sunt in monasterio — ab eius rectore (qui est pater — abbas) ad hospitem ignotum et pauperem, ab infirmo ad intimum fratrem — vivam praesentiam Christi significant. Res etiam indicia sunt amoris Dei erga creaturam vel amoris, quo homo fertur in Deum, quin etiam instrumentum et supellex faciendo operi apta « ac si altaris vasa sacrata conspiciatur)).[20]

Sanctus Benedictus non inanem quandam considerationem theologicam proponit, sed ex rerum veritate, quemadmodum assolet, cogitandi agendique modum animis impense inculcat, secundum quem theologia in vitae usum transferatur. Non tam cordi est ei, ut veritates de Christo eloquatur, quam ut ex mysterio Christi et ex « Christocentrismo)) inde profluente verissime vivat.

[19] Cf. S. *Benedicti Regula,* 4, 21; 72, 11.

[20] Cf. S. *Benedicti Regula,* 31, 10.

Primae partes, quae supernaturali rationi de cotidianis vicissitudinibus sentiendi tribuuntur, cum veritate Incarnationis concordent oportet : homini enim in Deum fideli non licet id quod humanum est, oblivisci, is fidem servare debet etiam homini. Quapropter officium modo verticali, ut aiunt, implendum, quod vita orationi dedita potissimum praestatur, aequabiliter temperatur, si apte cum iis cohaeret, quae secundum rationem ((horizontalem » postulantur quorumque pars est praecipua labor.

In monastico ergo consortio, ductu eius qui «vices Christi creditur agere »,[21] sanctus Benedictus cursum exhibet vitae ducendae, qui magna aequabilitate distinguitur. Hanc, quae inter solitudinem et convictionem, inter orandum et laborandum habetur, etiam saecularis homo nostrae aetatis consequatur oportet — quamvis diversa sint pondera huiusmodi rebus tribuenda — ut vocationem suam plene adimpleat.

IV

Amor verus et absolutus in Christum oratione significanter ostenditur; quae est veluti cardo, in quo cotidiana conversatio totaque vita Benedictina vertuntur.

Fundamentum vero orationis e sancti Benedicti sententia in eo est positum, ut verbum quis audiat ; siquidem Verbum incarnatum, hic, hodie, singulis hominibus in condicione praesenti, non iterabili, versantibus, per Scripturas et ecclesiale officium mediatorium loquitur, quod in monasterio etiam verbis patris fratrumque communitatis exercetur.

In eiusmodi oboeditione fidei verbum Dei cum humilitate accipitur atque cum gaudio, inde oriente quod perennis deprehenditur novitas, quam tempus non minuit, quin immo vividiorem reddit magisque allicientem in dies. Quod quidem verbum fons inexhaustus orationis evadit, quoniam « Deus ipse loquitur animae, responsionem huic suggerens, quam cor eius exspectat. Haec oratio in varia diei tempora dispertitur atque, quasi aquae subterranea vena, cotidianum alit laborem)).[22]

Per meditationem vero tranquillam et sapidam — quae vera est ruminatio spiritalis — verbum Dei in animis orationi deditis acres illos lucis radios excitat, qui diei cursum illuminant. Profecto haec est « ora-

[21] *S. Benedicti Regula,* 63, 13; cf. *ibid.* 2, 2.

[22] Cf. Pauli PP. VI Allocutio ad Benedictinas Antistitas d. 29 Sept. 1976 habita: *Insegnamenti di Paolo VI,* XIV 1976, p. 771.

tio cordis », illa « brevis et pura oratio »j[23] qua divinis impulsionibus respondemus Dominumque simul provocamus ad indeficiens donum misericordiae suae nobis largiendum.

Verbum igitur Dei, inscrutabile salvationis mysterium continens, ab anima cotidie amanter attenditur et sollicite indagatur ; quod quidem fit studio quodam vitali, quod non propter humanam scientiam, sed propter sapientiam divinum quiddam prae se ferentem exercetur; videlicet non ideo ut plus sciamus sed ut plus, si ita fas est dicere, simus : ut cum Deo colloquamur, ut ad eum ipsius verbum dirigamus, ut ea cogitemus, quae cogitat ipse, breviter ut eius vitam vivamus.

Christifidelis, verbum Dei auscultando, ad intellegendum multiplicium et variarum rerum ac temporum cursum inducitur, quem providens Dominus in humana familia fieri instituit, ita ut animae credenti amplum veluti spectaculum dispensationis salvificae praebeatur. Quo item contingit, ut mirabilia Dei per fidem percipiantur apertis oculis et attonitis auribus.[24] Lumen deificum contemplationis excitat scintillam, atque silentium, iunctum stupori, cantus exsultationis, alacris gratiarum actio orationi illi peculiarem indolem tribuunt, qua monachi laudes Dei per dies singulos celebrant concinendo. Tunc oratio quasi vox efficitur universae creaturae et quodam modo praecelsum canticum Ierusalem caelestis praeoccupat. Verbum Dei in hac peregrinatione efficit terrena, ut omnis vita percipiatur quasi Deo patens inspectori, atque in orationem Patri adhibitam voces conferantur illorum, qui voce iam carent : gaudia et anxietates, prosperi exitus et spes deceptae, secundi eventus exspectationes ibi quodammodo resonant.

Hoc verbo Dei sanctus Benedictus praesertim in sacra ducitur liturgia, non tamen contendens, ut communitas fiat solum coetus divina celebrans ardenter, qui communem experientiam in Spiritu haustam cantu chorali concinenter declaret ; nam ei cordi est plurimum, ut verbo Dei ore tenus prolato cantatoque intimus respondeat animus : « mens concordet voci)).[25] Sacrae Scripturae, vitali hac ratione cognitae atque gustatae, libenter leguntur, cum simul orationi impense incumbitur. Amore movente, animus saepe coram Deo colligitur; nihil Operi Dei praeponitur ;[26] precatio, in liturgia facta, in vitam transfertur et vita ipsa oratio evadit. Oratio, liturgia expleta, veluti per orbes circumductos maio-

[23] **Cf. *S. Benedicti Regula,* 20, 4.**

[24] **Cf. *S. Benedicti Regula,* Prolog. 9.**

[25] ***S. Benedicti Regula,* 19, 7.**

[26] **Cf. S. *Benedicti Regula* 4, 55; 4, 56; 43, 3.**

res minoribus amplificatur et prorogatur in collecti silentisque animi statum, quo fit, ut quis deinde sibi peculiariter oret, atque precandi consuetudo actiones et momenta diei pervadat.

Sanctus Benedictus, verbi Dei studiosus, id non solum in sacris Bibliis legit, sed etiam in magno illo veluti libro naturae. Homo, pulchritudinem creaturae contemplans, in intimis animi sui recessibus commovetur et ad eum revocatur, qui eius est fons et origo; simul vero adducitur, ut quasi reverenter se gerat adversus eandem naturam eiusque venustatem in lumine ponat, veritate eius servata.

((Ubi silentium afflat, oratio loquitur »:[27] in solitudine enim oratio ubertate quadam personali augetur; quod referendum est ad vallem illam incultam Aniensem, ubi sanctus Benedictus solus cum Deo solo est conversatus, et ad urbem, technicis rebus refertissimam sed animos alienantem, ubi homo nostrae aetatis saepe segrex est et sibimet ipsi relinquitur. Sed necesse est animus quodam exerceatur deserto, ut vitam vere spiritalem agere valeat; siquidem id inania praecavet verba, facilius reddit commercium novum cum Deo, hominibus, rebus habendum. In deserti silentio rationes, quae alicui cum aliis intercedunt, ad id quod praecipuum et primarium est, rediguntur, addita quadam austeritate, dum cor purificatur, dum usus cotidianae orationis, quae ex intimo animo ad Deum levatur, retegitur. Quae quidem precatio non in multiloquio ei adhibetur sed in puritate cordis infiammati et compunctione lacrimarum.[28]

V

Hominis facies saepe lacrimis rigatur, quae, non semper e sincera compunctione aut e nimio gaudio obortae, prorumpunt animumque ad orandum impellunt; saepe enim lacrimae prae dolore ac turbatione ab iis effunduntur, quorum dignitas humana est abiecta, qui ipsi non valent perficere, quod iuste affectant, qui opus suis necessitatibus et ingeniis consentaneum facere nequeunt.

Sanctus Benedictus quoque in consortione degebat civili iniustitiis deformi, in qua persona crebrius nihili fiebat reique loco habebatur: secundum socialem compagem, in ordines digestam, miserrimi quique segregati referebantur in numerum servorum, pauperes usque egentiores,

[27] Cf. Pauli PP. VI Allocutio ad Benedictinos monachos d. 8 Sept. 1971 habita: *AAS* 63 (1971), p. 746.

[28] Cf. *S. Benedicti Regula,* 20, 3; 52, 4.

divites usque locupletiores reddebantur. Tamen egregius ille vir in praescriptis Evangelii ut in fundamento inniti voluit communitatem monasticam. Is in integrum restituit hominem, ex quocumque sociali prodiit ordine ; secundum sapientis iustitiae distributivae normas uniuscuiusque necessitatibus prospicit ; singulis officia assignat completiva et inter se apto nexu disposita; infirmitatis aliorum habet rationem, nullum tamen locum facili desidiae relinquens ; spatium dat aliorum actioni sollerti, ne se sentiant coartari, sed potius ut exstimulentur ad vires suas optimas exserendas. Ita levis atque interdum iustae murmurationis adimit praetextum, verae pacis condiciones inducens.

Homo a sancto Benedicto non machina quaedam habetur nomine carens, qua quis eo utatur consilio, ut maximos inde proventus accipiat, nullam tamen comprobationem moralem declarans opifici iustamque denegans mercedem. Est quidem animadvertendum temporibus eius opus fieri solitum esse a servis, qui homines esse negabantur. Benedictus vero laborem, quavis ratione is exerceri contingit, partem essentialem vitae arbitratur singulosque monachos eo astringit, cui cum conscientiae officio insistant. Qui labor «oboedientiae expiationisque causa»[29] est sustinendus, quandoquidem cum quovis nisu vere efficaci dolor sudorque coniunguntur. Haec vero aerumna vim obtinet redemptricem, dum hominem a peccato purificat, res etiam, quae operose tractantur, necnon ipsum ambitum, intra quem id fieri contingit, nobilitat.

Sanctus Benedictus, terrenam transigens vitam, in qua labor et oratio convenienter temperantur, atque hoc modo opus in supernaturalem rationem eiusdem vitae considerandae feliciter inserens, hominem adiuvat, ut se cooperatorem Dei agnoscat, isque reapse evadat, dum eius persona, creatrici cuidam navitati insistens, ex toto promovetur. Humana quidem actio contemplativa efficitur, contemplatio autem virtutem quandam dynamicam consequitur, ad ipsum opus habens momentum et huic propositos fines illuminans.

Non ergo id agitur solum, ut otiositas mentes hebetans devitetur, sed etiam, ac quidem potissimum, ut homo reddatur idoneus, qui, ut persona officiorum suorum memor ac diligens, incrementis augescat, ut in sui animi penetralibus dotes detegantur fortasse adhuc reconditae, quae ad fructificandum in commune bonum adducantur, « ut in omnibus glorificetur Deus ».[30]

[29] Pii PP. XII Litt. Encycl. *Fulgens radiatur: AAS* 39 (1947), p. 154.

[30] *1 Pt.* 4, 11.

Non quidem labor asperae virium contentionis onere levatur, sed ei novus impulsus interior additur. Monachus enim non quamvis opus faciat, sed etiam per ipsum opus Deo coniungitur, quia, « dum manu vel mente operatur, ad Christum continenter se erigit».[31]

Ita fit, ut labor, etiamsi est vilis ac tenuis, tamen dignitate quadam auctus, obeatur et pars vitalis reddatur « summi studii illius, quo solus quaeritur Deus, in solitudine et silentio, ut vitae ipsi vis tribuatur orationis perennis, sacrificii laudis, simul celebrati et simul consummati, aspirante hilari fraternaque caritate ».[32]

Europa facta est terra christiana, quia praesertim filii sancti Benedicti maiores nostros institutione, omnia complectente, erudierunt, eos non solum artes et fabrilia opera docendo, verum praecipue spiritum evangelicum iis infundendo, necessarium ad thesauros spiritales personae humanae tuendos. Paganismus, qui olim a frequentibus monachorum missionalium turnus ad Evangelium est traductus, nunc vero in orbe occidentali magis magisque propagato, iam causa est et effectus amissae illius christianae rationis laborem eiusque dignitatem aestimandi.

Nisi Christus actioni humanae significationem indit altam atque perpetuam, is qui operatur, servus — novorum temporum proprius — vesanae industriae quaestuosae efficitur. Contra Benedictus urgentem affirmat necessitatem operi indolem spiritalem praebendi, dilatans fines operositatis humanae, ita ut haec impensam illam artium technicarum exercitationem nimiamque propriae utilitatis egrediatur cupidinem.

VI

In sociali compagine, quae nostris temporibus viget quaeque hic et illic indolem accepit «societatis patribus carentis», sanctus vir Nursinus adiuvat ad resumendam primariam quandam rationem — ab iis qui auctoritate sunt praediti, fortasse nimis neglectam — rationem dicimus paternam.

Sanctus Benedictus vices Christi inter suos monachos gerit, qui ei tamquam Domino Iesu obtempérant iisdem cum animi sensibus, quibus Salvator se adversus Patrem gerebat. Huic oboedientiae-auditioni, filiorum propriae, qui sic operam conferunt ad patris indolem effingendam,

[31] **Cf. Pii PP. XII Litt. Encycl. *Fulgens radiatur: AAS* 39 (1947), p. 147.**

[32] **Cf. Pauli PP. VI Allocutio ad Benedictinas Antistitas, d. 28 Oct. 1966; *AAS* 58 (1966), p. 1160.**

mens acris respondet, quam Benedictus in cunctos monachos intendit, eorum personas in universum respiciens. Haec attentio adigit eum, ut necessitates varias communitatis diligentius curet.

Qui auctoritatem exercet, non ea quidem omittens, quae ad monasticam familiam ordinandam resque materiales pertinent gerendas, sollicitus sit oportet de uniuscuiusque personae habitu spiritali, cum hic terrenis ac transitoriis sit longe praeferendus.

In iis considerandis, quae in vita humana spiritalia sunt atque praecipua, abbas illuminatur commercio, quod cum verbo Dei assidue habet et unde nova profert et vetera. Ad quod verbum Dei pater ita se conformet, ut actio sua quasi fermentum iustitiae divinae evadat, quod filiorum mentibus conspergatur.

In deliberationibus intra communitatem habendis sanctus Benedictus abbati plenam quidem tribuit potestatem ; cuius sententia impugnari non potest. Hoc vero non inde est ortum, quod auctoritas quasi dominatio imperiosa esse putatur, nam pater consilia init cum omnibus fratribus aut cum nonnullis seorsum, sine ullo praeiudicio, cum sit ei persuasum etiam in rebus magni ponderis « saepe iuniori Dominum revelare quod melius est».[33]

In fraterno colloquio abbas postulationes audit eorum quos de officio aliquo peculiari suscipiendo interrogat, sed propter bonum unius cuiusvis aut communitatis perstare debet in rebus iniungendis, quae forte etiam impossibiles esse videantur : id ei cordi sit oportet singulos promovere, ut in melius proficiant totaque communitas augeatur et crescat.

Hoc vero patri communitatis est peculiari ratione propositum, ut animabus auxilietur easque provide regat, faciens, ut liquido appareat primas partes dari amori. Verus enim pater « superexaltet misericordiam iudicio))[34] studeatque plus amari quam timeri, sciens oportere se prodesse magis quam praeesse.[35]

Memor de cunctis sibi commissis se rationem esse redditurum, abbas diligit fratres ; cum iis et pro iis munere fungens boni Pastoris, id agit, quod utilius est ad omnium bonum, quod magis convenire, quod iudicaverit esse salubrius. ((Magnopere enim debet sollicitudinem gerere abbas, et omni sagacitate et industria currere, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat... Et Pastoris boni pium imitetur exemplum, qui

[33] Cf. *S. Benedicti Regula,* 3, 3.

[34] *S. Benedicti Regula,* 64, 10; cf. *Iac. 2,* 13.

[35] Of. S. *Benedicti Regula,* 64, 14; 64, 8.

relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quae erraverat, quaerere, cuius infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, et sic reportare ad gregem)).[36] Pater communitatis, cui regendae sunt animae, in hoc ministerio pastorali sciat se multorum servire moribus debere;[37] singulis se conformet atque coaptet, ut adiumentum, certum ac definitum, quo indigent, praebeat; patiens sit ad omnes, non tamen delinquenti um tolerans peccata : praevaricationem quidem odio habeat, sed, vacuus ira et studio, sobrius et magnanimus filios diligat.

Hic modus ceteris cum auctoritate moderandi aliam etiam faciem muneris rectoris ostendit : discretionem dicimus, quae est temperatio et aequilibritas in deliberationibus habendis consiliisque capiendis, ne inutiles murmurationes excitentur. Singuli autem modeste oboedientes non solum adiuvantur ad praetergrediendos fines angustos eorum, quae ilico ut sibi utilia expetunt, sed in ampliore inhaerescunt dispositione salutis vitaeque socialis, cooperando ex conscientiae officio illamque interiorem libertatem assequendo, quae necessaria est, ut quis ad personae suae maturitatem perducatur.

Haec, quae modo de abbate sunt dicta, qui munus suum ut sapiens dispensator domus Dei adimplet,[38] summae pacis sunt firmamentum. Quae quidem pax in eo est posita, ut fratres se mutuo benigne accipiant et magno se aestiment, quamvis infirmitatibus laborent, quae vitari non possunt, et modus prorsus sit div^ersus, quo cuiusque persona se manifestat.

Haec est pax, quae inde originem trahit quod singuli humiliter et cum officii conscientia se vinculo illius societatis humanae obstringunt, ubi lex Spiritus legi materiae praevalet, ubi ordo iustus congruensque rerum obtinet usus, ubi cuncta convenienter ad stabiliendum Regnum Dei componuntur.

Sanctus Benedictus hoc anno nos quodam modo revisit, humanae vitae ducendae ostendens rationes, quae Evangelii doctrinam proxime referunt. Hoc propositum animum non sinit esse incuriosum et neglegentem. Eius potissimum filii, patris exemplis et institutis fideles, adiguntur, ut tam praecelsam, simul vero tam certam ac definitam vivendi

[36] S. *Benedicti Regula,* 27, 5. 8-9.

[37] Cf. *8. Benedicti Regula,* 2, 31.

[38] Cf. *8. Benedicti Regula* 64, 5; 72, 3-8.

formam testentur. Haec testificatio etiam simpliciores et duros corde permovebit, in quorum pectora verba non amplius descendunt. Renovatio vero inde secuta efficere poterit, ut mundus novam faciem, magis spiritalem, sinceriorem humanioremque induat sibi. Tamen, qui auctoritate est praeditus, in quavis compage sociali ac gradu, donum paternitatis oportet magis magisque foveat atque declaret, quae sola homines fraterno vinculo valet sociare. In pace enim hi mundum meliorem aedificabunt et societatem constituent, in qua orando et laborando homo cooperator et collocutor Dei singularis evadat.

Iuvat etiam, hac oblata occasione, reminisci sanctum Benedictum a Paulo VI, Decessore Nostro fel. rec, renuntiatum esse Patronum Europae, quae post eversum Romanorum imperium ex magno illo molimine, ad quod ipse et monachi, eius vitae instituta tenentes, plurimum contulerunt, est quodammodo nata. Haec tacita, constans, sapiens opera eorundem monachorum effecit, ut antiquitatis illud veluti patrimonium ingenii culturae servaretur populisque Europae et ipsi hominum generi traderetur. Itaque «spiritus Benedictinus», ut Calendis Ianuariis hoc anno sollicite diximus, « consiliis destruendi prorsus adversatur »;[39] atque adeo hic ((Europae pater »[40] omnes, ad quos pertinet, hortatur, ut bona, quae mentes vere aiunt, nobilitant, acriter promoveant, et ea quae delent, subvertunt, fortiter arceant.

Sanctus Benedictus ut « pacis nuntius »[41] praesertim Europaeas gentes alloquitur, quae ad unitatem coagmentandam salubri nituntur proposito. Pacifica vero consortio, omnino expetenda, potissimum in iustitia, veri nominis libertate, mutua consensione, fraterno auxilio — quae quidem evangelicae congruunt disciplinae — innititur.

Huius ergo terrae continentis populos necnon ceteros homines hic Cáeles tueatur ac foveat et gravissimas calamitates, quae armis perniciosissimis maximeque internecivis possint afferri, sua deprecatione avertat !

Haec Nostrum animum pulsant, dum ad hunc praecelsum virum, Romanum et Europaeum, Ecclesiae gloriam, cogitatione precibusque convertimur.

Vobis denique, dilecti filii, et familiis monasticis, quibus, varia qui-

[39] Cf. *AAS* 72 (1980), p. 65.

[40] Pauli VI Litt. Ap. *Pacis nuntius; AAS* 56 (1964), p. 965.

[41] Pii XII Homilia d. 18 Sept. 1947 habita; *AAS* 39 (1947), p. 453.

dem ratione, praeestis, Benedictionem Apostolicam, paternae benevolentiae Nostrae testem, libentissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xi mensis Iulii, in memoria S. Benedicti, abbatis, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PAULUS PP. II

II

Ad Episcopos, Sacerdotes et Christifideles totius Ecclesiae Catholicae: supplicationes pro VI Synodo Episcoporum indicuntur.

IOANNES PAULUS PP. II

VENERABILES FRATRES AC DILECTI FILII,

1. Appropinquat iam Synodus Episcoporum, quae a die xxvi mensis Septembris, hoc anno, de officiis christianae familiae in mundo huius temporis disceptabit atque adeo quaestionem summi momenti excutiet. De Ecclesiae ministerio, quatenus ad familiam pertinet, Paulus PP. VI, Decessor Noster, egit (cfr. Litt. Encycl. *Humanae vitae,* 39) ; de eadem re novissimum Concilium Oecumenicum est locutum asserens « familiam fundamentum societatis constituere » (cfr. Const. past. *Gaudium et Spes,* 52) et, cum sit pariter « Ecclesia domestica », eam efficere, ut universa Ecclesia exsistat et incrementis augeatur, siquidem in familia « nascuntur novi societatis humanae cives,[1] qui per Spiritus Sancti gratiam ad Populum Dei saeculorum decursu perpetuandum, baptismo in filios Dei constituuntur (Const. dogm. *Lumen Gentium,* 11).

Haec imago divina familiae, per Iesum Christum renovatae et sanctificatae, aetate nostra saepe extenuatur, obscuratur et fortasse etiam profanatur (cfr. Const. past. *Gaudium et Spes,* 47). Oportet ergo haec verba Iesu Christi iterum perpendantur : « Ab initio autem non sic fuit » *(Mt.* 19, 8). Synodus oportet «ostendat quid sibi velit sequi Christum in vita matrimoniali et familiari » (cfr. Ioannis Pauli II Allocutio ad Consilium Secretariae Generalis Synodi Episcoporum habita d. 23 Febr. 1980).

Est profecto ita! Necesse est familiae aetatis nostrae ad pristinum statum revocentur ! Necesse est Christum consectentur !

Synodus ergo huius anni eventus est magni ponderis pro totius Ecclesiae vita eiusque missione. Quodsi haec missio evangelizatione declaratur (quae fuit argumentum Synodi anni **MCMLXXIV**) atque per catechesim definito modo exercetur (quae fuit argumentum Synodi anni

c:

MCMLXXXVTI), ambo haec officia vitalia Ecclesiae vinculo quodam fundamentali cum familia conectuntur. Missio Ecclesiae in familiam illo cum amore dirigitur, quem Deus per Filium suum in ea revelavit; pariter eadem missio in ipsa familia et per familiam magna ex parte ad effectum adducitur. Momentum igitur huius quaestionis ponderantes oportet opus Synodi Episcoporum, quae hoc anno agetur, peculiari cum sollicitudine et universali precatione confirmemus.

2. Quapropter, cum brevi Synodi Episcoporum initium fiet, oportebit tota Ecclesia eius opus participet, tota Ecclesia quodam modo eidem Synodo intersit : oportebit praesens adsit oratione et sacrificio. Omnes Ecclesiae filii pro Synodo orent et spiritales offerant hostias, ut Patribus Synodi, in Coetu congregatis, impetrent Dei lucem et robur. Est autem familia quasi cellula, unde quaevis vocatio et varia vitae genera in Ecclesia proficiscuntur; quae quidem, secundum cuiusque propriam rationem, familiae vicissim deserviunt, quemadmodum Paulus VI docuit sacerdotes : « Diuturna uberique experientia instructi novistis caelibatum vestrum Deo consecratum peculiari modo vos promptos paratisque reddere apud domesticos convictus, in eorum itinere ad sanctitatem, testes esse actuosos amoris Domini in Ecclesia)) (Allocutio ad sodales Consociationis « Equipes Notre-Dame » habita d. 4 Maii 1970 : *AAS,* 62, 1970, p. 435).

Re quidem vera in Ecclesia, ut Apostolus gentium monet, habemus « donationes secundum gratiam, quae data est nobis, differentes » *(Rom* 12, 6) ; quod fieri contingit, quia « unum corpus sumus in Christo » *(Rom* 12, 5).

Omnes ergo vehementer rogamus, ut pro Synodo precationes faciant atque asperitates Dei amore toleratas offerant. Peculiari vero modo ad eiusmodi preces fundendas et pia sacrificia suscipienda aegrotos excitamus, qui a divina Providentia ad singularem participationem sacrificii Christi vocantur. Idem petentes ad Ordines contemplationi deditos convertimur, qui a Christo speciali ratione ad impensam sollicitudinem de gravibus negotiis Ecclesiae eius sustinendam destinantur.

3. Deinde amanti animo verba hortatoria facimus ipsis familiis. « E e clesiae domesticae » familiarum christianarum a die xxvi proximi mensis Septembris loca evadant, ubi preces fundantur pro Synodo huius anni, quae tam « familiaris)) est et, peculiari cum sollicitudine et amore, ad ipsas in Spiritu Sancto dirigitur.

Filii vestri et filiae, quos Cor sacratissimum Iesu tanto amore prose

quitur, familiis vestris et familiis totius orbis terrarum benedictionem eius ab ipso satagant impetrare.

4. Praecipuus dies, quo pro Synodo oretur, est dominica xn mensis Octobris. Cupimus ut eo die publicae supplicationes in omnibus dioecesibus, paroeciis, ecclesiis fiant, ea quidem ratione, quae a Pastoribus statuetur.

Quo die tota Ecclesia omnesque familiae ad communem precationem socientur. Rogamus autem, ut eodem die, si fieri potest, ii Romam confluant, qui familias universae Ecclesiae repraesentent, ut beati Petri Successorem et Patres Synodi conveniant, hoc modo ostendentes universas Ecclesiae familias, in fide et caritate coniunctas, quasi praesentes adesse.

Sanctae Familiae Nazarethanae unamquamque familiam commendantes, vobis, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, nominatim unicuique domestico convictui, Benedictionem Apostolicam amanter impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die xv mensis Augusti, in sollemnitate Assumptionis Beatae Mariae Virginis, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

GUAIARAMIRENSIS

Praelatura Guaiaramirensis in Brasilia ad gradum dioecesis attollitur nomine immutato.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum praelatura Guaiaramirensis hisce postremis temporibus ob Christifidelium copiam necnon religiosarum civiliumque rerum auctum cepisset magnum incrementum — foederatarum Ecclesiarum auxiliis atque laudabili missionariorum zelo tribuendum — Conferentia Episcopalis Brasiliensis ab hac Apostolica Sede petivit ut eadem praelatura ad dioecesis dignitatem eveheretur. Nos igitur audita sententia Venerabilis Fratris Carmeli Rocco, Archiepiscopi Iustinianopolitani in Galatia et in Brasilia Apostolici Nuntii, de consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui Sacrae Congregationi pro Episcopis

praepositi sunt, consentientibus pariter illis quorum interest vel interesse putatur, summa Nostra potestate sequentia decernimus. Praelaturam *Guaiaramirensem* in dioecesium numero recensemus, immutata appellatione finibusque. Episcopalem sedem in urbe statuimus in qua ad praesens praelaturae sedes exstat eiusque templum ad dignitatem ecclesiae cathedralis attollimus iustis cum iuribus. Episcopo autem, praeterquam quod debita iura damus, obligationes etiam imponimus, residentium Episcoporum propria. Novam insuper dioecesim suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Ouiabensi, sicut Episcopum eiusdem Metropolitae. Mandamus praeterea ut, quoadusque Canonicorum Collegium per alias sub plumbo Litteras condatur, consultores dioecesani deligantur qui Episcopum auxilio et opere adiuvent. Mensa episcopalis Curiae bonis efficiatur, fidelium sponte oblatis pecuniis atque aliis bonis quae ad mensam praelaticiam Guaiaramirensem hactenus pertinebant. Ad Seminarii exstructionem quod attinet sacrorumque alumnorum institutionem serventur praescripta iuris canonici, prae oculis habitis normis Decreti Concilii Vaticani II ((Optatam totius » et Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica regulis. In ista dioecesi pastoralia incepta ad vocationes praesertim sacerdotales promovendas summo studio foveantur ita ut suo tempore selecti iuvenes Romam possint mitti in Pontificium Collegium Pium Brasiliense, philosophicis theologicisque imbuendi disciplinis. Dioecesi rite constituta, praelaturae clerus novae dioecesi addictus eo ipso censeatur. Haec vero quae praescripsimus ad effectum adducat Venerabilis Frater Carmelus Rocco, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui negotium perfecerit, idem congrua documenta exaranda curet atque ad Sacram Congregationem pro Episcopis mittat usitato more signata sigilloque impressa. Has denique Apostolicas Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo sexto mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

© **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Ioannes De Riccardis, *Proton. Apost. s. n.*

Loco ££ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 48052.

II

HALLAMENSIS

Detractis nonnullis territoriis ab Ecclesiis Loidensi et Nottinghamensi, quae sunt in Magna Britannia, nova dioecesis conditur Hallamensis cognominanda.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui arcano Dei consilio in beati Petri locum successimus, ut Ecclesiam universam pari, si fieri posset, amore administraremus, illuc sane mentem Nostram semper intendimus, in eoque curas collocamus praecipuas, quo modo filiorum Fratrumque Nostrorum utilitatibus inserviamus : resonant enim in animo usquequaque verba illa Salvatoris Petro facta: «Pasce agnos meos... pasce oves meas» *(Io.* 21, 15-17). Qua re, cum Venerabiles Fratres Villelmus G. Wheeler, Episcopus Loidensis, et Iacobus McGuinnes, Episcopus Nottinghamensis, ab hac apostolica Sede petierint, ut divisis suarum dioecesium territoriis late patentibus, iam nova conderetur dioecesis, Nos Venerabilis Fratris Brunonis Bernardi Heim, Archiepiscopi titulo Xanthiensis atque in Magna Britannia Apostolici Delegati,'item Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Sacrae Congregationis pro Episcopis praepositorum audita sententia, haec decernimus atque statuimus. A dioecesi Loidensi integrum territorium detrahimus, ut lege civili definitur, regionis vulgo ((Metropolitan County of South Yorkshire » cognominatae; a dioecesi vero Nottinghamensi paroecias separamus Sancti Thomae, et Dominae Nostrae, quae sunt in urbe vulgo Sheffield ; item territorium, ut lege civili terminatur, regionis vulgo ((Bassetlaw », et municipiorum : Bamford, Chesterfield, Clowne, Dronfield, Eckington, Hathersage, Staveley. Quibus terris novam dioecesim constituimus, Hallamensem appellandam. Novae dioecesis sedem in urbe « Sheffield » ponimus, cathedram episcopalem in templo Beatae Mariae Virginis ibidem collocamus, quod cathedrale nempe erit, factis iuribus atque privilegiis templorum cathedralium propriis. Conditam autem Ecclesiam suffraganeam subdimus archidioecesi Liverpolitanae, sic ut eius Antistitem illius Metropolitae. Ad mensam episcopalem quod attinet, eam constituent

sive Curiae emolumenta, sive fidelium collationes sponte factae, sive bonorum pars, iuxta peculiarem conventionem ab Ordinariis quorum interest faciendam, ratione nempe habita piorum fundatorum, seu oblatorum voluntatis. Dum Cathedrale Canonicorum collegium condatur, indulgemus ut Consultores dioecesani eligantur, quorum ope fruatur Episcopus. Regimen autem, administratio, electio Vicarii Capitularis, Sede vacante, atque similia iure Canonico omnino temperentur. Circa Seminarii erectionem atque puerorum formationem, respiciatur ad normas Decreti Concilii Vaticani II « Optatam totius », et ad regulas a Sacra Congregatione pro Institutione Catholica statutas. Ad cleri distributionem quod pertinet, decernimus ut, dioecesi Hallamensi constituta, sacerdotes dioecesi illi censeantur adscripti, in qua beneficium vel officium habeant ; ceteri vero clerici dioecesi illi incardinati maneant, in cuius territorio legitime degant. Poterunt tamen Episcopi iusta causa, collatis consiliis cum sacerdotibus et clericis quorum interest, eorum incardinationem aliter disponere. Ultimum censemus ut documenta et acta, quae ad novam Ecclesiam pertinent, ad eius Curiam mittantur in Archivo rerum religiosarum magna cura servanda. Ceterum, quae per has Litteras mandavimus, Venerabilis Frater Bruno Bernardus Heim exsequi studeat, cui necessarias facultates facimus. Poterit vero ille alium delegare, modo in ecclesiastica dignitate constitutum virum. Re vero acta documenta exarari faciet, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittet. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

* **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Ioannes De Riccardis, *Proton. Apost. s. n.*

Loco **SB** Plumbi
In Secret. Status tab., n. //5808.

III

BUBANZANA

Quodam e dioecesi Buiumburaënsi territorio detracto, nova dioecesis in Burundia constituitur nomine Bubanzana.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus qui Sacrae Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praepositi sunt, quo aptius in Burundia evangelizationis operi consuleretur, peropportunum est visum in ea novam esse dioecesim condendam. Nos igitur, cum eorum votis concedere exoptemus, ea, quae sequuntur, decernimus summaque Nostra iubemus auctoritate. A dioecesi Buiumburaënsi partem septentrionalem territorii separamus eaque novam dioecesim condimus, ex urbe huius regionis principe «'Bubanza» appellandam Bubanzanam iisdemque limitandam finibus quibus nunc provincia civilis definitur, firmis manentibus ceteris limitibus. Insuper constitutam dioecesim suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Kitegaënsi, dum vero praecipimus ut Episcopi cathedra in sacra aede principe eiusdem urbis « Bubanza » ponatur atque Canonicorum loco Consultores dioecesani ad normam iuris deligantur qui Episcopum consilio et ope iuvent. Has denique Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

AGNELLUS Card. Rossi
S. Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Ioannes De Riccardis, *Proton. Apost. s. n.*

Loco © Plumbi
In Secret. Status tab., n. 45011.

IV
MOBILENSIS

Nova Provincia Ecclesiastica nomine Mobilensis constituitur unoque tempore Ecclesia Mobilensis et a Provincia Ecclesiastica Novae Aureliae seiungitur et ad gradum archiepiscopalis sedis metropolitanae evehitur.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacrorum Antistites Provinciae Ecclesiasticae Novae Aureliae, de pastorali quidem cura solliciti animumque in christianum profectum omnium fidelium in illa regione degentium intendentes, audita Conferentia Episcopali Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis, ab hac Apostolica Sede poposcerunt ut, quibusdam locis a perampla Provincia Ecclesiastica Novae Aureliae distractis, iam nova Provincia Ecclesiastica nomine Mobilensis illic conderetur ipsaque Mobilensis ibidem dioecesis ad dignitatem Metropolitanae sedis eveheretur. Quapropter Nos, cum constet eidem rei assentiri Venerabilem Fratrem Ioannem Jadot, Archiepiscopum titulo Zuritanum et in Foederatis Americae Septentrionalis Civitatibus Delegatum Apostolicum, idemque consilium probari Venerabili Fratri Nostro S. R. E. Cardinali Sacrae Congregationis pro Episcopis Praefecto, necnon commune optatum in votis esse eorum quorum interest vel interesse censetur, at praesertim cum Nobis sit cordi congruam rationem istorum filiorum habere legitimaeque eorum pastorum precationi Nobis adhibitae concedere, de plenitudine apostolicae potestatis Nostrae hisce Litteris ea decernimus atque iubemus quae sequuntur. Dioecesim Mobilensem a Provincia Ecclesiastica Novae Aureliae seiungimus et ad dignitatem Metropolitanae Ecclesiae attollimus omniaque ei tribuimus iura ac privilegia, quae iure communi ceterarum eiusdem ordinis Ecclesiarum sunt propria. Novam praeterea ecclesiasticam Provinciam istic condimus ((Mobilensem » cognominandam, quae constabit tum Mobilensi Ecclesia hodie ad gradum archidioecesis evecta honoreque sedis Metropolitanae insignita, tum dioecesibus Biloxiensi et Birminghamiensi in Alabama atque Iacksoniensi, quas nunc ab ecclesiastica Provincia Novae Aureliae segregamus et Mobilensi archidioecesi suffraganeas constituimus. Mobilensem pro tempore Antistitem dignitate archiepiscopali et Metropolitae ordine exornamus eumque iuri-

bus et privilegiis cumulamus, quibus ceteri omnes rectae fidei Metropolitae ubique fruuntur, quorum tamen et oneribus et officiis ipsum Quoque adstringimus. Quae hic praescripsimus, ea ad effectum adducantur a memorato Venerabili Fratre Ioanne Jadot, quem Nos deputamus cuique necessarias et opportunas facultates facimus, una cum facultate eiusdem mandati alicui viro in ecclesiastica dignitate constituto subdelegandi, salvo officio curandi ut, exsecutione peracta, actorum documenta exarentur eorumque certa ac vera exempla ad Sacram Congregationem pro Episcopis transmittantur. Has Nos Apostolicas Litteras sueto more expeditas ratas esse volumus nunc et in posterum, contrariis rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

6B **SEBASTIANUS** Card. B **AGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco ß3 Plumbi

In Secret. Status tab., n. 46911.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

Cathedrale templum Neritonense, in Italia, ad dignitatem Basilicae Minoris evehitur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Qui a pueris beatissimam Virginem Mariam, Christi Matrem, amare, honorare, atque colere pectore ab imo suevimus, nullam sane occasionem omittimus huius tenerrimae Matris gloriam, nomen, cultum augendi : nam, praeter quam quod est Maria Virgo Dei parens, nullo umquam inquinata peccato, est etiam caelorum Regina, atque filiorum suorum patrona fidelis. Quam ob rem, cum Venerabilis Frater Antonius Rosario Mennonna, Episcopus Neritonensis, iam preces admoverit, sive suo sive suorum sacerdotum ac populi nomine, ut cathedrale templum suae dioecesis, B. M. V. sacrum

Assumptae in caelum, ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur : esse enim illud nobilitate, arte, monumentis perinsigne, atque religione erga caelestem Matrem venerabile ; Nos, re bene considerata, rati praeterea fore, ut attributus honor pietatem in Deum in eiusque Matrem in pectoribus alat, adhibitis precibus aequo animo concedimus. Quare, iis adprobatis, quae de re Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, statuerit, placet templum cathedrale dioecesis Neritonensis in Basilicis Minoribus annumerari, factis nempe iuribus ac liturgicis privilegiis talium templorum propriis, modo ea servata sint, quae Decretum « De titulo Basilicae Minoris)) poscit, die vi mensis Iunii, anno **MDCCCCLXVIII**, factum. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die **II** mensis Iunii, anno **MDCCCCLXXX**, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. 42926.

II

Templum cathedrale Bellunense, sancto Martino episcopo sacrum, ad Basilicae Minoris gradum motu proprio Summus Pontifex evehit.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — In Romanorum Pontificum instituto est positum, ut praeclariora templa, cum opportunitas vel utilitas id suaserit, honore augeantur, quo amplioribus incrementis Christifidelium pietas provehatur. Quarum sacrarum aedium in numero habendam esse censemus cathedralem ecclesiam Bellunensem, quae, Alpi um amoenitatibus veluti cincta, structurae genere, artificiosis operibus, illustrium Pastorum memoriis commendatur, potissimum ut sedes religionis est praedicanda. Quo quidem in templo proximus Decessor Noster Ioannes Paulus I, cuius suavis apud Nos et universae Ecclesiae filios viget recordatio, multos annos olim ut sacrorum alumnus et canonicorum collegii sodalis liturgica obierat officia. Statuimus ergo motu proprio hoc templum cathedrale Bellunense, sancto Martino sacrum, Basi-

licae Minoris dignitate insignire et nomine ornare, cum omnibus iuribus et privilegiis, quae huiusmodi ecclesiarum sunt propria, modo ea serventur, quae Decreto ((De titulo Basilicae Minoris », die vi mensis Iunii anno **MCMLXVIII** dato, poscuntur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XVIII** mensis Iunii, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £B Sigilli
In Secret. Status tab., n. //8214.

HI

Beata Maria Virgo vulgo « Nuestra Señora de la Monserrate » nuncupata principalis apud Deum Patrona dioecesis Maiaguezensis in Portu Divite confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Constat Christifideles Ecclesiae Maiaguezensis in Portu Divite gloriosam Deiparam Virginem Mariam, vulgo « Nuestra Señora de la Monserrate, » appellatam, summis honoribus excolere, constanti amore diligere, benignissimam Matrem habere. Cum igitur Ven. Frater Ulixes Casiano Vargas, Episcopus Maiaguezensis, nuper petierit ut electio Beatae Mariae Virginis sub titulo ((Nuestra Señora de la Monserrate » ut Patronae principalis suae dioecesis, clero et populo optante, a se rite probata, ab hac Apostolica Sede confirmaretur, ad normam scilicet « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, Nos cupimus tum Pastoris, quem diximus, votis concedere tum egregiam pietatem istius catholicae communitatis in praecelsam Dei Genitricem peculiari benevolentiae Nostrae documento commendare aptiusque augere. Comprobatis ergo iis, quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis a Nobis facultatibus, hac in re egerit, de summa Nostra potestate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem sub titulo « Nuestra Señora de la Monserrate » principalem apud Deum Patronam dioecesis Maiaguezensis confirmamus, omnibus adiectis iuribus et

liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur suosque effectus sive nunc sive in posterum habeant. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XIX** mensis Iunii, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £B Sigilli

In Secret. Status tab., n. JßlfiQ.

IV

Paroecialis Ecclesia Sancti Martini, in oppido Amberga dioecesis Ratisbonensis posita, Basilicae Minoris titulo exornatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Inter templa dioecesis Ratisbonensis singularem constat obtinere locum paroecialem ecclesiam Sancti Martini in oppido Amberga exstantem. Ea enim, praeclaro architecturae genere et ornamentis decora, tum ob sacra quae istic fiunt sollemnia, cum plurimorum ministrantium atque cantorum concursu, tum ob egregiam, qua Ambergenses Deum ac gloriosam Virginem Mariam colunt, pietatem, christianae vitae istius catholicae communitatis quasi quoddam centrum habetur. Qua re, cum Venerabilis Frater Rudolfus Graber, Episcopus Ratisbonensis, preces et vota cleri et populi expromens, ab hac Apostolica Sede petivisset ut ecclesia, quam diximus, ad gradum et dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, istius Praesulis expostulationi Nobis concedere est visum potissimum ratis hoc Nostrae benevolentiae documentum et eidem ecclesiae decori et praedicti oppidi Christifidelium spiritali esse profuturum saluti. Iis igitur probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hoc de negotio statuit, factis olim a Nobis potestatibus, ecclesiam paroecialem Sancto Martino in oppido Amberga dicatam, ad gradum et dignitatem Basilicae Minoris tollimus, iustis cum iuribus atque liturgicis concessionibus, servatis tamen iis quae decretum «De titulo Basilicae Minoris», die sexto mensis Iunii, anno **MCMLXVIII** datum, iubet. Ceterum volu-

mus ut hae Litterae Nostrae sive nunc sive in posterum vim suam habeant ac suos effectus iugiter obtineant. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die decimo sexto mensis Iulii, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco jjg Sigilli

In** Secret. Status tab., **n. J/3817.

V

Sanctus Ianuarius, Episcopus et Martyr, Patronus Regionis Conciliaris Campaniae confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Fulgidissimum Campaniae lumen, Sanctum Ianuarium Episcopum et Märtyrern, ab antiquis patet temporibus istius regionis fideles peculiari esse veneratione prosecutos et prosequi, utpote validum intercessorem in caelis atque praeclarum fidei christianae exemplar imitandum in terris. Quoniam igitur Venerabilis Frater Noster Conradus S. R. E. Cardinalis Ursi, Archiepiscopus Neapolitanus, communia vota excipiens una cum Episcopis Campanis, electionem Sancti Ianuarii Episcopi et Martyris, ut Patroni apud Deum Regionis Conciliaris Campaniae, rite probavit atque litteris die xv mensis Iunii hoc anno datis a Nobis petivit ut electio huiusmodi et approbatio, ad normam « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis », n. 30, confirmarentur, Nos rata habentes quae a Sacra Congregatione pro Sacramentis et Cultu Divino factis a Nobis facultatibus de hac re sunt statuta, certa scientia ac matura deliberatione deque summa Apostolica potestate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Sanctum Ianuarium, Episcopum et Märtyrern, Patronum apud Deum Regionis Conciliaris Campaniae confirmamus, omnibus adiectis iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Ceterum mandamus ut hae Litterae Nostrae diligentissime serventur suosque effectus nunc et in posterum habeant, contrariis quibusvis haud obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die xvi mensis Iulii, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In** Secret. Status tab., **n. ¿¡,5328.

VI

Ecclesia sanctuarium Beati Angeli ab Acri Beatae Mariae Virgini Immaculatae dicata, in Ecclesiae Bisinianensis finibus posita, ad Basilicae Minoris gradum attolletur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Notum est sanctuarium Beati Angeli ab Acri Beatae Mariae Virgini Immaculatae dicatum, in quo corpus eiusdem Beati pie sancteque servatur, a quam plurimis Christifidelibus frequentari. Ad maiorem igitur religionis cultum atque pietatem istic augendam, Venerabilis Frater Aeneas Selis, Archiepiscopus qui tunc erat Consentinus et Bisinianensis preces et vota cleri atque populi expromens litteris die xxix mensis Octobris anno **MCMLXXIX** datis ab hac Apostolica Sede petivit, ut illa sacra aedes praeclaro, titulo atque honore Basilicae Minoris honestaretur. Nos itaque iis probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino factis a Nobis facultatibus statuerit, certa scientia ac matura deliberatione deque plenitudine Apostolicae Nostrae potestatis, harum Litterarum vi perpetuumque in modum sanctuarium Beati Angeli ab Acri Beatae Mariae Virgini Immaculatae dicatum ad gradum et dignitatem Basilicae Minoris evehimus, omnibus adiectis iuribus atque liturgicis concessionibus quae templis hoc nomine insignibus rite competunt, modo ea servata fuerint, quae secundum Decretum « de titulo Basilicae Minoris » die vi mensis Iunii factum anno **MCMLXVIII** servanda sunt. Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae sive nunc sive in posterum vim suam habeant suosque effectus obtineant, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XXI** mensis Iulii, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco © Sigilli

In Secret. Status tab., n. J/5//93.

VII

Imago Beatae Mariae Virginis vulgo « Nuestra Señora de la Asunción » appellatae, in paroecia S. Mariae Magdalenae urbis « Monimbò » archidioecesis Managuensis exstans, pretioso sinitur diademate redimiri.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — In paroecia S. Mariae Magdalenae urbis « Monimbò » intra fines Ecclesiae Managuensis praeclara exstat Beatae Mariae Virginis imago quam sub titulo « Nuestra Señora de la Asunción » Christifideles ibi degentes egregia pietate admodum venerantur. Qua re permotus Venerabilis Frater Michael Obando Bravo, Archiepiscopus Managuensis, vota quoque cleri et populi expromens, Nos rogavit ut imaginem illam Nostro nomine et auctoritate pretioso diademate sineremus redimiri. Nos vero, audita sententia Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino, et fidelium votis et istius Pastoris precibus libenter concedere statuimus. Itaque hisce Litteris atque Nostra Apostolica potestate,- Managuensi Ordinario eas partes committimus ut imagini vulgo « Nuestra Señora de la Asunción », quam diximus, die suo arbitrio deligendo, inter Missarum sollemnia secundum formulam ritumque pretiosam coronam Nostro nomine et auctoritate imponat. Nos autem minime dubitamus quin haec sacra sollemnia in religionis bonum populique spirituale emolumentum bene vertant ; pariterque fore confidimus ut eius urbis cives quin immo totius Managuensis archidioecesis Christifideles ad Beatissimam Dei Genetricem venerandam magis magisque incitentur. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXX mensis Iulii, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco Sigilli

In Secret. Status tab., n. .//5223.

VIII

Beata Maria Virgo proprio sub titulo « Chiquinquirá » militum Venetiolanorum « Fuerzas Armadas de Cooperación o Guardia Nacional » nuncupatorum caelestis Patrona confirmatur.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Magnus quippe atque revera laudabilis est cultus quo clerus et populus Venetiolanae Civitatis gloriosam Virginem Mariam peculiari sub titulo ((Chiquinquirá » ab antiquis temporibus prosequuntur. Cum igitur Venerabilis Frater Martialis Ramírez Ponce, Episcopus titulo Carianensis atque Auxiliaris Caracensis seu S. Iacobi in Venezuela, communia vota excipiens, Beatae Mariae Virginis sub titulo « Chiquinquirá » electionem ut Patronae illorum militum Venetiolanorum qui vernacula lingua « Fuerzas Armadas de Cooperación o Guardia Nacional » appellatur probavisset cumque insuper litteris die **VIII** huius mensis Iulii hoc anno datis ab hac Apostolica Sede petivisset ut eadem electio et approbatio, ad normam « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, confirmaretur, Nos, cum omnia secundum ius peracta esse constet, admotam postulationem propenso suscipere animo voluimus. Cuncta ergo rata habentes quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, factis olim a Nobis facultatibus, hac de re statuit, certa scientia ac matura deliberatione deque plenitudine Apostolicae potestatis, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem proprio sub titulo ((Chiquinquirá » militum Venetiolanorum ((Fuerzas Armadas de Cooperación o Guardia Nacional » dictorum apud Deum Patronam confirmamus, omnibus cum iuribus et liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus. Denique mandamus ut hae Litterae Nostrae efficaces sint suosque effectus sive nunc sive in posterum habeant. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die **XXX** mensis Iulii, anno **MCMLXXX**, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**, *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £& Sigilli

In Secret. Status tal., n. J/6168.

CONVENTIO

INTER APOSTOLICAM SEDEM ET PERUVIANAM REMPUBLICAM

ACUERDO ENTRE LA SANTA SEDE Y LA REPUBLICA DEL PERU

La Santa Sede y la República del Perú, deseosas de seguir garantizando de manera estable y más conforme a las nuevas condiciones históricas la tradicional y fecunda colaboración entre la Iglesia Católica, Apostólica, Romana y el Estado Peruano para el mayor bien de la vida religiosa y civil de la Nación, han determinado celebrar un Acuerdo sobre materia de común interés.

A este fin Su Santidad el Sumo Pontífice Juan Pablo II y Su Excelencia el General D. Francisco Morales Bermúdez Cerrutti, Presidente de la República del Perú, han nombrado sus Plenipotenciarios, respectivamente, a Su Excelencia Reverendísima Monseñor Mario Tagliaferri, Nuncio Apostólico en el Perú, y al Excelentísimo Señor Embajador Dr. Arturo García, Ministro de Relaciones Exteriores, quienes, después de haber canjeado sus respectivos Plenos Poderes, hallados en buena y debida forma, han convenido en lo siguiente :

ARTÍCULO I

La Iglesia Católica en el Perú goza de plena independencia y autonomía. Además, en reconocimiento a la importante función ejercida en la formación histórica, cultural y moral del País, la misma Iglesia recibe del Estado la colaboración conveniente para la mejor realización de su servicio a la comunidad nacional.

ARTÍCULO II

La Iglesia Católica en el Perú continúa gozando de la personería jurídica de carácter público, con plena capacidad y libertad para la adquisición y disposición de bienes, así como para recibir ayudas del exterior.

ARTÍCULO III

Gozan también de tal personería y capacidad jurídicas, la Conferencia Episcopal Peruana, los Arzobispados, Obispados, Prelaturas y Vicariatos Apostólicos existentes, y los que posteriormente pueda crear la Santa Sede.

ARTÍCULO IV

La personería y capacidad jurídicas de tales Jurisdicciones Ecclesiasticas comprenden también a los Cabildos Eclesiásticos, a los Seminarios Diocesanos, y a las Parroquias y Misiones dependientes de aquéllas.

ARTÍCULO V

Ninguna parte del territorio peruano dependerá de diócesis cuya sede esté en el extranjero, y las diócesis establecidas en territorio peruano no se extenderán más allá de las fronteras nacionales.

ARTÍCULO VI

6.10 - E eu não poderia silenciar, nesta circunstância de um feliz encontro convosco, uma última exortação : sede irmãos do Sucessor de Pedro a ele unidos afetiva e efetivamente ((in opus ministerii я.[34] Só ((cum Petro et sub Petro »,[35] independentemente da pessoa daquele que ocasionalmente reveste a condição de Pedro, o Colégio episcopal e cada Bispo encontram a plenitude de sua missão eclesial.

Penso que é supérfluo recordar que esta comunhão com o Papa se exprime em um acolhimento à sua palavra, não apenas quando se pronuncia pessoalmente, mas também quando fala através de órgãos que com ele colaboram rio governo pastoral da Igreja e falam em seu nome, com sua aprovação, se não com mandato seu.

Nada mais confortador para mim, como fruto de vossa visita « ad limina » e de minha visita a vós, do que saber que posso contar com essa comunhão sincera, generosa, com a Sé de Pedro, princípio de unidade e germe de universalidade. Unido a vós « in cruce et spe Episcopatus », o Bispo de Roma, Pastor da Igreja universal, encontra renovada coragem no singular ministério que um misterioso desígnio de Deus lhe quis confiar.

7. Жо quero "terminar estas palavras e encerrar este encontro sem evocar as figuras de Bispos que, ao longo de quatro séculos e meio, foram neste País os legítimos sucessores dos Apóstolos e aqui dedicaram toda a vida, todas as energias, à construção do Reino de Deus. Diversas as circunstâncias histórico-culturais em que foram chamados a exercer sua missão, diversas suas fisionomias humanas, diversas suas histórias pessoais ; todos, porém, homens que deixaram marca de sua passagem, desde aquele Dom Pedro Fernandes Sardinha que foi o primeiro Bispo a exercer aqui no Brasil seu ministério episcopal. Qualquer citação de nomes é forçosamente limitada ; mas como não evocar, entre outras, as figuras de Dom Vital de Oliveira e Dom Antônio Macedo Costa, de Dom An-

[33] **Exort. Apost. *Evangelii Nuntiandi,* n. 33.**

[34] **Cf. *Ef.* 4, 12.**

[35] **Decr. sobre a Actividade Missionária da Igreja *Ad Gentes,* n. 38.**

tônio Ferreira Viçoso, dos dois primeiros Cardeais brasileiros Dom Joaquim Arco verde e Dom Sebastião Leme da Silveira Cintra, de Dom Silvério Gomes Pimenta e de Dom José Gaspar de Affonseca e Silva? Como não evocar, aqui em Fortaleza, a figura admirável de Dom Antônio de Almeida Lustosa, que repousa na Catedral e que deixou nesta Diocese a imagem luminosa de um sábio e de um santo? Possa a recordação destes Irmãos, e de tantos e tantos outros, que nos precederam com o sinal da fé, estimular-nos mais e mais no serviço do Senhor.

* * *

Ad autochthonis homines, índios quos vocant, Manausii habita.*

Meus amados irmãos índios:

Uma cordialissima saudação, primeiro que tudo, para todos vocês, para aqueles que aqui representam. Vocês são uma presença muito grata para o Papa, nesta viagem ele está realizando pelo Brasil e, agora, pela querida Amazônia. Está realizando esta viagem especialmente para encontrar a vocês.

0 que lhes vou dizer? Que lhes posso dizer?

Começo por repetir o que talvez já tenham ouvido dizer aqui pelos seus amigos missionários : que a Igreja e o Papa os estimam, os estimam muito por aquilo que vocês são e por aquilo que vocês representam. Vocês representam pessoas humanas e, «chamados a ser de Jesus Cristo»,[1] vocês representam também os filhos de Deus.

A Igreja procura dedicar-se hoje a vocês como se dedicou, desde a descoberta do Brasil, a seus antepassados. O Beato José de Anchieta é, neste sentido, o pioneiro e de certo modo o modelo de gerações e gerações de missionários — jesuítas, salesianos, franciscanos, dominicanos, missionários do Espírito Santo ou do Preciosíssimo Sangue, capuchinhos, beneditinos e tantos outros — totalmente devotados a vocês. Com meritòria constância, eles procuraram comunicar-lhes o Evangelho e prestar-lhes toda a ajuda possível em vista de sua promoção humana.

Confio aos Poderes Públicos e outros responsáveis os votos que, neste encontro com vocês, eu faço de todo coração, em nome do Senhor:

* **Die 10 m. Iulii a. 1980.**

[1] **Cf.** ***Rom. 1,*** 6.

neste encontro com vocês, eu faço de todo coração em nome do Senhor : que a vocês, cujos antepassados foram os primeiros habitantes desta terra, obtendo sobre ela um particular jus ao longo de gerações, seja reconhecido o direito de habitá-la na paz e na serenidade, sem o temor — verdadeiro pesadelo — de serem desalojados, em benefício de outrem ; mas seguros de um espaço vital que será base, não somente para a sua sobrevivência, mas para a preservação de sua identidade como grupo humano, como verdadeiro povo e nação. A esta questão complexa e espinhosa almejo que se dê uma resposta ponderada, oportuna, inteligente, para o benefício de todos. Assim se respeitará e favorecerá a dignidade e a liberdade de cada um de vocês, como pessoa humana, e de todos vocês como um povo e como uma nação.

Que Deus os abençoe em nome do Pai e do Filho e do Espírito Santo.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

Latis decretis a Sacra Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit. Videlicet :

die 12 augusti 1980. — Cathedrali Ecclesiae Boronganensi, Exc.mum P. D. Nestorem Cariño, hactenus Episcopum titularem Thibiucehsem et Vicarium Capitularem Legazpiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Legazpiensi, Exc.mum P. D. Concordium Sarte, hactenus Episcopum titularem Thunusudensem et Administratorem Apostolicum ((sede vacante)) Sorsogonensem.

die 19 augusti. — Cathedrali Ecclesiae Salopiensi Exc.mum P. D. Iosephum Gray, hactenus Episcopum titularem Ecclesiae Merciorum.

die 25 augusti. — Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Marcelli Gérin y Boulay, S.M.E.Q., Episcopi Cholutensis, constituit R. P. Iosephum Realem Radulfum Corriveau, S.M.E.Q., Vicarium Generalem eiusdem dioecesis.

die 2 septembris. — Cathedrali Ecclesiae Parnaibensi, Exc.mum P. D. Edvaldum Gonçalves Amaral, S. D. B., hactenus Episcopum titularem Zallatensem et Auxiliarem Exc.mi P. D. Luciani Iosephi Cabrai Duarte, Archiepiscopi Aracaiuensis.

die 3 septembris. — Cathedrali Ecclesiae Civitatis Lacus Salsi R. D. Villelmum K. Weigand, e clero dioecesis Xylopolitanae.

die 8 septembris. — Cathedrali Ecclesiae Astensi Exc.mum P. D. Franciscum Sibilla, hactenus Episcopum Savonensem et Naulensem.

die 19 septembris. — Praelaturae Tarmensi Exc.mum P. D. Laurentium Unfried, M.C.C.L, hactenus Episcopum titularem Doliensem. et Auxiliarem archidioecesis Arequipensis.

die 24 septembris. — Cathedrali Ecclesiae Irecensi, noviter erectae, Exc.mum P. D. Homerum Leite Meira, hactenus Episcopum Itabunensem.

— Cathedrali Ecclesiae Itabunensi, Exc.mum P. D. Eliseum Mariam Gomes de Oliveira, O. Cann., hactenus Episcopum Caëtitensem.

die 26 septembris. — Metropolitanae Ecclesiae Arequipensi Exc.mum P. D. Fernandum Vargas Ruiz de Somocurcio, S. I., hactenus archiepiscopum Piurensem.

SACRA CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

i
DERTHONEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Aloisii Orione, Fundatoris Congregationum Filiorum Divinae Providentiae et Parvarum Sororum Missionariarum a Caritate.

SUPER DUBIO

An et de quo miraculo constet, in casu et ad effectum de quo agitur.

Venerabilis Servus Dei Aloisius Orione nostris ferme sub oculis, scilicet die 12 Martii anno 1940, vita functus, uni solique Deo confisus, Institutum condidit a Divina Providentia appellatum, quod eo spectat ut, universis misericordiae operibus deditum, potissimum vero pueros parentibus orbatos, aegra affectos valetudine, recta catholicae fidei institutione erudiendos curet; eos qui laborant et onerati sunt Christi caritate reficere studeat. *

Constare autem de heroicis eiusdem Servi Dei virtutibus Paulus Papa VI, die 6 mense Februario anno 1978, declaravit.

Hinc sollertes Causae actores statim Apostolicae Sedi miram, quae asserebatur, sanationem, eiusdem Famuli Dei invocato nomine, a Deo patratam exhibuerunt, ad ipsius Venerabilis sollemnem Beatificationem impetrandam. Cuius mirae sanationis haec est brevis historia :

Georgius Passamonti, iuvenis quattuordecim annos natus, anno 1944 ineunte, syndrome fuit affectus bronchopulmonari, quae, radioscopico examine peracto, oriri est deprehensa ex processu liquoris nodularis medii lobuli dexteri.

Ex tunc, quamvis in melius condicio eius valetudinis progressa videretur, incipit tamen aliquam corporis anxietudinem ostendere, adiuncta quandoque serotina febrícula. Eiusmodi symptomatologia mense Februario eodem anno 1944 evidentior est facta, quatenus fere cotidie febrícula habebatur, cui quidem accesserunt cephalaea, interdiu vomitionis conatus cum tussi ac dolore ex respiratione, necnon generalis corporis debilitatio.

Sub mensis Martii finem altior facta est febris, frigori etiam coniuncta ;

dolores ex vertebrarum columna sentiebantur, stipsis, intensiores cephalaeae et vomitus ; uno verbo comparuere symptomata, quae periti in arte medica triadem meningeam vocant ; cui sociae accessere rigida cervix, visus ac conscientiae obnubilatio, interdum delirium, hyperaesthesia cutanea, cibi potusque cuiuslibet repulsa.

Quapropter attento gravi cerebri membranae inflammationis periculo, aegrotus, de consilio medici a curatione, deductus est die 7 Aprilis a. 1944, quae erat Feria V in Cena Domini, in valetudinarium vulgo appellatum *Ospedale Maggiore* urbis Laudensis, ubi, punctione lumborum peracta, diagnosis est iterata meningitis tubercularis, prognosisque edita est infausta *quoad vitam.*

Sane, aegrotus in peius ibat atque vespere diei insequentis ad praeagonicum pervenit statum. Cum autem a curatione medicus, qui et primarius erat eiusdem nosocomii, brevi moriturum diceret aegrotum, afflicta huius mater reliquiam Venerabilis Aloisii Orione capiti filii applicuit precesque fudit ferventiores ut, nisi sanitati filius restitueretur, saltem usque mane insequenti viveret, ut pater ex urbe Remopoli reversurus filium adhuc vivum videre valeret. Et misericors Deus fusas preces exaudivit; namque noctu, inter Feriam VI in Passione et Morte Domini et Sabbatum Sanctum, aegrotus ex sese in lecto sedens, improviso clara laetaque voce exclamavit : « Mater mea, qualem video solem, qualem aspicio lucem ; aperi fenestras et portas ; me sanatum persentio ! ». Quae verba visa sunt dolenti matri veluti filii deliramentum. Crastino vero die, matutino tempore medicus a cura accitus omnia morbosa phaenomena evanuisse mirabundus repperit et Georgium Passamonti perfecte sanatum declaravit. Aliquot post dies Georgius noster valetudinarium reliquit, scholas celebrare resumit, iucunda quidem valetudine optimoque exitu, donec lauream in architectura assecutus est ; quinque filiorum pater felix hodieque vivit.

Hac super mira sanatione duplex est instructus processus : episcopali potestate prior, Apostolicae Sedis auctoritate alter, de quorum iuridica validitate decretum exiit die 19 mensis Maii anno 1978. Consilium quoque Medicum Sacrae huius Congregationis, praehabitis duorum *ex officio* deputatorum Peritorum affirmativis votis, eandem sanationem, in coetu die 1 Februarii a. 1979 habito, praeter naturae vires evenisse asseruit.

Disceptatum est deinde circa eandem sanationem in Congressu Peculiari primum Oûîcialium Praelatorum Patrumque Consultorum, die 8 mensis Ianuarii anno 1980 habito, deinde, die 22 Februario mense eodem

anno, in Congregatione Plenaria, ponente seu relatore Cardinali Pericle Pelici.

Facta de hisce omnibus, die 15 Martii vertentis huius anni, Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua responsum Patrum Cardinalium ratum habens, mandavit ut Decretum super eadem mira sanatione rite conficeretur.

Quod cum factum esset, Beatissimus Pater, accitis hodierno die ad se Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Pericle Felici, Causae ponente seu relatore, meque Antistite a Secretis S. Congregationis pro Causis Sanctorum, ceterisque de more convocandis, eisque astantibus edixit : *Constare de uno miraculo, intercedente Venerabili Servo Dei Aloisio Orione, a Deo patrato, nimirum de instantánea, perfecta ac constanti sanatione iuvenis Georgii Passamonti, a gravi syndrome meningea acuta, febrili, cum liquore limpido, laesionibus nodularibus pulmonis dexteri reviviscentibus sociata, in subiecto cum praecedentibus infectionis tubercularis familiaribus et personalibus.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta S. Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 29 Aprilis A. D. 1980.

CONRADUS Card. B **AFILE,** *Praefectus*

L. & S.

✠ Iosephus Casoria, Archiepiscopus tit. Foronovan., *a Secretis*

II

PLACENTINA

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Birgittae a Iesu (in **saeculo s Birgittae Morello), Fundatricis Domus S. Ursulae de Placentia.**

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum, tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Christianam pietatem, Paulo Apostolo docente (cfr. *1 Tim.* 4, 8), ad omnia esse utilem, promissionem habentem vitae quae nunc est et futurae, plane comprobant beatarum mulierum exempla, quae in triplici

vitae gradu et virginum et viduarum et religiosarum summa cum laude versatae sunt. His autem optimo iure est accensenda Serva Dei Birgitta a Iesu, fundatrix Domus S. Ursulae Placentiae, quae posteris imitanda virtutum exempla reliquit, quoniam virginalem statum, coniugalem, vidualem, inoffenso pede cucurrit. Iam a pueritia Birgitta Morello tota Dei fuit et iis coronata virtutibus, quae quamlibet Christi sponsam adducunt ad sublimem sanctitatis gradum : Dei amore ferventi, assidua sui abnegatione, maxima humilitate, constanti a commodis abstinentia et rerum omnium, quae Deus non sunt, contemptione ac despicientia absoluta et perfecta.

Triginta annos, Iesu amore incensa, a mundo mansit segregata et in Domo S. Ursulae clausa Placentiae, quorum viginti quattuor annos lecto affixa, acerbissimis excruciata infirmitatibus ; nec tamen umquam questa est nec cursum ad perfectionem remisit, sed magis ac magis progressa est, tota vexata cruciatibus, mira et pia patientia, omnino Dei voluntati dedita.

Serva Dei Birgitta Morello, in religione Birgitta a Iesu, nata est, sexta ex undecim filiis, die 17 mensis Iunii, anno 1610, in vico vulgo *S. Michele di Pagana* appellato, circa Rapallum, tunc intra fines Ianuensis dioeceseos posito, nunc vero Clavarensis, a Nicolao et Lavinia Borzese, qui religiosissimi erant et honestis orti familiis. Insequenti die 22 mensis Iunii baptizata est.

Puella serena vixit in domo fratris avi paterni ; at, ex more eius aetatis, studia non coluit. Etsi vita religiosa alliciebatur, tamen, cum congruenti dote careret, ei supersedit. Postridie idus octobres anno 1633 nupsit Matthaeo Zancari Cremonensi, diviti iuveni et optime morato, qui in oppido vivebat cui nomen *Salsomaggiore.* Brevis fuit coniugalis vita et sine filiis, cum maritus ante diem tertium idus novembres morte correptus esset, anno 1637. Dolore levata, Birgitta Placentiam se contulit et novam incepit vitam, voto castitatis se obstringens et magistro spiritus se committens cuidam sacerdoti Ordinis Fratrum Minorum et postea quibusdam sodalibus Societatis Iesu, eximiis doctrina, prudentia et iudicii moderatione. Iis regentibus, votis amplexa est consilia evangelica, in christianas virtutes continenter et heroice exercendas incubuit et apostolatui se dedit, cum die 17 mensis Februarii anno 1649 condidisset simul cum aliquibus iuvenibus mulieribus novam Familiam, videlicet florens nunc Institutum Sororum Ursulinarum ab Immaculata, quae Servae Dei exemplum sequentes impigre pergunt curare in Italia et in India puellas formandas, instituendas et educandas.

Naturae et gratiae donis atque magnis virtutibus praedita, omnibus amabilis et veneranda Famula Dei facta est ; semper iucunda, tenacis et firmae memoriae, maturi iudicii, facundi sermonis, animi alacris, prudentis sollertiae, parata semper et prompta ad magna aggredienda, persequenda et ad exitum, omnes superando difficultates, adducenda.

Etiam antequam affecta est morbo, qui viginti quattuor annos perduravit, a mense nempe Aprili anni 1655 usque ad mortem, quae anno 1679, ante diem tertium nonas septembres contigit, mysticae res in Serva Dei evenisse traditur. De his rebus attente consideratis et excussis, eius spiritus magistri concorditer aeque iudicarunt; nam Serva Dei quoad animi constitutionem semper sana fuit, aequalis et naturalis, perpetuo humiliter, oboedienter, prudenter egit et alta oratione ferventius in dies perfectionem appetiit in sanctitatis via.

Re vera Birgitta a Iesu innocentissima vixit, et sine intermissione institit ad culmen perfectionis consequendum veramque sanctitatem, ardentissimo mota amore Dei et pietate in Christum peculiari ; studiosa paenitentiae et sui castigationis, animarum salvandarum maxima contentione incitata, quas praecipuarum virtutum firmo exercitio formandas curabat, ipsa earundem exempla praebens.

A rebus humanis et externis aliena et a sua ipsius voluntate, indole fuit semper praestans, patiens, serena, mitis, numquam vultu turbata vel tristis, sed affabilis et laeta ; tantummodo ad maximam Dei gloriam intenta et cupiens se ad divinam voluptatem conformandi.

Anno 1679 mense Maio exeunte et mense Iunio ineunte Serva Dei, quae iam vigesimum quintum annum morbo laborabat, gravius aegrotavit, dum corde, Dei caritate accenso, summa cupiditate patriae caelestis flagrabat.

Pridie calendas septembres, morbo ingravescente, facta peccatorum generali confessione, summo cum fervore SS. Eucharistiam in Viaticum accepit, quae ei cupienti etiam insequentibus diebus allata est. Unctionis infirmorum sacramento munita et ab Episcopo dioecesano visitata, qui ei absolutionem papalem impertivit, ante diem tertium nonas septembres anno 1679, die dominica, hora antemeridiana decima et quadrante, defixis oculis in Crucifixum, arridens spiritum Deo tradidit, magnopere praesentes aedificans et omnibus insigne sanctitatis exemplum relinquens.

Quamvis magna esset fama sanctitatis Servae Dei Birgittae a Iesu ipseque Dux Parmensis Ranuccius II Farnese hac in re post eius mor-

tem iussisset testimonia colligi de gratiis et miraculis, quae Deus per Servae Dei impetrationem fecisset — quandoquidem optans eius glorificationis Causam movere, in animo habebat « cito processus instruere » — tamen ob difficultates postea ortas ad eius sanctitatis famam nullatenus pertinentes, Causae initium in opportuniora tempora dilatum est.

Adornati sunt tandem annis 1927-1929 episcopali auctoritate apud Curiam Placentinam processus super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere Servae Dei, super scriptis eidem tributis et super cultu publico non praestito ; qui Romam translati sunt apud Sacram tunc Rituum Congregationem. Cum autem Causa huius Servae Dei pertractanda esset ad normam Litterarum Apostolicarum quae a verbis incipiunt « Già da qualche tempo », motu proprio die 6 Februarii a. 1930 a Pio Papa XI datarum, Sectio Historica praedictae Sacrae Congregationis *Positionem* super introductione Causae et super virtutibus Servae Dei ex officio concinnavit. Scriptis vero Famulae Dei rite examinatis, Decreta exierunt die 17 Novembris a. 1934 et die 24 Maii a. 1950, quibus edicebatur ex capite scriptorum nihil obstare quominus ad ulteriora procederetur. Quapropter, servatis servandis, Causa ipsa introducta est, probante Paulo Papa VI, die 31 Maii a. 1971.

Recognita deinde, die 12 Februarii anno 1972, oboedientia Decretis ab Urbano Papa VIII super indebito cultu latis, duplex habita est de Servae Dei virtutibus actio. Primo nempe de iisdem disceptatum est in Congressu Peculiari Officialium Praelatorum Patrumque Consultorum S. Congregationis pro Causis Sanctorum die 10 Iulii anno 1979 celebrato ; deinde, die 4 mensis Decembris eodem anno 1979, in Coetu Plenario ad Vaticanas Aedes habito, ponente seu relatore Rev.mo Cardinali Mario Nasalli Rocca de Corneliano.

Facta postmodum, die 15 mensis Martii anno 1980, Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum de praemissis omnibus relatione, eadem Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum ratam habens, mandavit ut Decretum super Servae Dei virtutibus heroicis rite appararetur.

Quod cum factum esset, Beatissimus Pater hoc die, accitis Cardinalibus infrascripto Praefecto atque Mario Nasalli Rocca de Corneliano, Causae ponente, meque a Secretis Congregationis ceterisque de more convocandis, iisque astantibus edixit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, earum-*

que adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Birgittae a Iesu, in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 29 Aprilis Anno Domini 1980

CONRADUS Card. **BAFILE,** *Praefectus*

L. © S.

6& Iosephus Casoria, Archiepiscopus tit. Foronovan., *a Secretis*

III

TORNACEN. SEU VINDOBONEN.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Iosephi Amandi Passerat, Sacerdotis Professi e Congregatione SS.mi Redemptoris.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de virtutibus cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis imitamini fidem » (Heb. 13, 7).

Redemptoriana familia quae Sanctum Alphonsum M. de' Liguori patrem ac magistrum colit, Sanctumque Clementem M. Hofbauer propagatorem insignem, merito Venerabilem Iosephum Amandum Passerat velut matrem ac nutricem extollit.

Ipse enim priorum praepositorum heres et alumnus, eorum doctrinam assecutus, eam verbis lustravit, exemplo posteris transmisit. Fuit igitur anulus tertius eiusdem aureae traditionis qua sui evangelii nuntiandi praecones corroborantur et perficiuntur et, ipso duce, victores mundum peragrar un t.

Iosephus Amandus Passerat *Joinville,* in Lingonibus, die 30 Aprilis 1772 ortum duxit, prior duorum filiorum Iosephi ac Catharinae Oliver et eodem die rite baptizatus est. Puer eum egregia indole maxime ad pietatem prona singulare coniunxit ingenium, quod primo enituit in Abbatia Sancti Urbani, ubi sub Patribus Ordinis Sancti

Benedicti prima litterarum spatia summa cum laude decurrit. Paulo post in Catalaunense seminarium exceptus, humanioribus litteris operam dedit. Interea, cum probe intelligeret quae sit dignitas, quae pulchritudo sacerdotii ad quod sese iam inde impelli sentiebat, prope erat ut Lutetiam Parisiorum peteret superioribus disciplinis addiscendis, quando eius votis rerum publicarum conversiones obstiterunt, quae ad eius patriam funditus evertendam iam aperte fluebant. Ideoque, ne a falsis opinionibus noxiisque erroribus illuc invectis deciperetur, domum paternam rediit, pro sua integra fide ad omnia paratus. Blandinas respuit, minasque refellit, usque ad carcerem restitit ne nefario sacramento novis reipublicae legibus ab Ecclesiae rationibus dissociati^ sese devinciri cogeretur. Verum, urgente bello, e carcere deductus, et a rebellibus per vim militiae addictus, anno 1792, Deo protegente, ipsi se subtraxit et per Bélgicas terras in Germaniae fines pervenit, pedibus errans, unam post aliam urbem visitans, Augustam Vindelicorum pervenit. Hic primo, deinde Herbipoli sacrae theologiae studiis vacavit. Ast cum novisset Redemptorianam familiam, anno 1732 in Italia exortam, per Sanctum Clementem iam Varsaviae consistere, quasi divino instinctu, ad hunc Ordinem profitendum impulsus, omni abrupta mora, huc pedes convolavit ibique ab ipso Sancto Clemente, die 22 Iulii 1796, inter tirones Congregationis cooptatur.

Novum vitae genus exortus, Iosephus iis comparandis virtutibus quae a Patre Alphonso requiruntur ita prorsus se dedit ut eum tamquam exemplar suspicerent omnes, et ipse eius magister Sanctus Clemens. Hinc eius humilitas et mansuetudo ; hinc in seipsum asperitas ; hinc eius patientia quam Sanctus Clemens admirabatur cum scriberet : ((*Patientia ipsa esse videtur* » ; hinc praesertim oriebatur illa mirabilis orandi consuetudo quae, quamdiu vixit, eius forma et quasi naturalis nota fuit eique vulgo *magni preeatoris nomen comparavit.* Quid mirum si eodem anno, die 13 Novembris, ad vota nuncupanda admittitur? Anno insequenti, die 15 Aprilis 1797, sacerdotio auctus, statim in ipsa domo Varsaviensi theologiam et ecclesiasticam historiam solerter ac erudite docuit. Paulo post, anno 1798, tironibus efformandis praeficitur, quod officium per 22 annos retinuit. Insimul et rectoris et vicarii itinerantis transalpini Instituti officium obiit ut suos e furore Gallicorum exercituum per Europam sese effundentium eriperet. Quattuor annos per Germánicas regiones, undecim per Helveticas transmigravit, de regno in regnum fugiens, « nec labores recusans, nec pericula timens », ut Sancti Clementis verbis utamur, semper animarum zelo compulsus,

semper inter curarum angustias, strenui ducis ad instar qui, variis locatis praesidiis, hac illae discurrit, ad unum ad alium properabat vicuña, ad unam et aliam pergebat curiam eo maxime spectans ut vinculum dispersi sodalitii penitus servaretur ac tirones qui secum erant ad omnem pietatem effingeret. Tandem, anno 1818, in regione quam « Vallem Sanctam » vocant, prope Friburgum tutum refugium invenit. Ibi coenobium vetustissimum et labefactatum erat, at, eius ductu et auspicio, inter paupertatis angustias, disciplinae et perfectionis studium ad miraculum eluxit.

Duobus post annis, Sanctus Clemens qui a Varsavia iam depulsus, Vindobonae Vicarii Generalis munus pro transalpinis regionibus obierat, ad coelitum sedes feliciter evolavit. Tunc Iosephus Passerat,-ab eodem Sancto Clemente antea designatus, auctoritate Moderatoris Generalis, plaudentibus omnibus, eidem successit et statim arduum demandatum opus coepit moliri. Difficultates oriebantur ex rerum adiunctis, nam leges a Iosepho II latae vigebant quibus iura laedebantur Ecclesiae ac religiosorum coetuum ; et haec palam in publicis academiis docebantur. Quapropter Iosephus omnia movit donec facultatem obtinuit studiorum instituendi palaestram ubi clericis sana et tuta scientia traderetur. Ipse autem tironum magisterium suscepit et effecit ut perpetuo subolesceret Patrum copia qui, insigni exercitatione christianarum virtutum et apostolicorum laborum, Instituti nomini gloriam adderent et christianae reipublicae utilitatem magnam procurarent. Tandem, quo tanta fabricanda moles aptioribus fundamentis consisteret, omnibus viribus contendit ut exemplar antiquarum constitutionum quod ipse S. Alphonsus condendo sodalitio olim ediderat, manibus haberet, enixe petens ut totum animum ad illarum studium sodales adiungerent. Sic, mentibus constitutis, facilius quidem fuit suam familiam longe lateque propagare : per Austriam, Bavariam, Galliam, Lusitaniam, Belgium, Hollandiam, Angliam, Septentrionalem Italiam, Status Foederales Americae : 29 collegiis, in plures gentes diffusis. Quo melius mentem Sancti Alphonsi perficeret, Sanctimonialium virginum etiam Redemptorianam sodalitatem trans Alpes propagare studuit et egit.

Ceterum in regenda religiosa familia, quam ad maiorem Dei gloriam, omni cura auxerat, qua provida et amantissima mater semper se gessit. Singulis quoque annis varias Congregationis domos rite lustravit, studiosissime invigilans ut ubicumque regularis observantia exacte vigeret, exemplis et hortationibus omnes ad perfectam virtutem assequendam incitabat. Itaque effecit ut, licet rigidum disciplinae vindicem sese prae-

beret, ab omnibus summa veneratione et magno amore coleretur. Ast, anno 1848, popularis seditio, Vindobonae erupta, suum templum et coenobium vastavit, religiosis violentia manu depulsis. Tunc Servus Dei, multa mira fortitudine passus, cum suis Leodium petiit ; hinc dispersos sodales monuit nulla vi Congregationis nomen labefactari posse, ideoque ita viverent aeque ac si in communitate degerent. Postea, propter devexam aetatem, Vicarii munere abdicato, Brugis per biennium Sanctimonialibus a Sanctissimo Redemptore in spiritualibus pater et magister adfuit. Ultimo, apoplectico ictu correptus, ac Tornacum deductus, per octo annos hanc aegritudinem placide fortiterque sustinuit, donec, Ecclesiae sacramentis munitus, die 30 Octobris 1858, obdormivit in Domino. Egregium profecto virum unde omnium virtutum exempla petas : quarum primo flagrantissima erga Deum caritas eiusque gloria totis viribus promovenda. Ideoque nihil magis eius in votis fuit quam Evangelii lumen inter incultas gentes proferre, terque quaterque beatum se fore dicebat si mortem pro fide potuisset obire. Cum Evangelii praecones quos ipse ad transmarinas regiones mittebat, in eo erant ut discederent, a lacrimis temperare non poterat dicens : « Me Deus refellit ! ». At praesertim suorum alumnorum doctor ac praeceptor fuit summus, *forma gregis factus ex animo (1 Pt.* 5, 4) : regularis disciplina numquam cultorem sui invenit parem. Etenim, quamdiu ipse vixit, tamdiu vitae atque actionum suarum obedientiam perpetuam sociam ac ducem habuit. Nullam umquam, etiam ingravescente aetate, a communibus oneribus vacationem admisit. Paupertatis votum, tamquam sponsam dulcissimam coluit, totiusque animi reginam dominari iussit. Porro verbis, ore, gestu, totoque habitu corporis miram verecundiam et gravitatem prae se tulit adeo ut vel ipso adspectu ad eius virtutis amorem intuentes alliceret.

Sanctimoniae fama quam Servus Dei vivens sibi conciliaverat, post obitum adeo aucta et constans extitit, ut Processus Ordinarii super ea instituti et ad exitum perducti tum Tornaci, tum Vindobonae, tum Romae anno 1892, Sacrorum Rituum Congregationi exhibiti fuerint. Deinde et super scriptis et super obedientia Urbanianis decretis praestita inquisitum est.

A S. R. **C.** decretum super Servi Dei scriptis die 3 Augusti 1896 et 1 Martii 1901 editum est. Die vero 13 Maii eiusdem anni Leo Papa XIII s. m. Commissionem Introductionis causae sua manu obsignavit. Anno insequenti, die 6 Maii a. 1902, super *non cultu* decretum est. Apostolicis processibus rite absolutis, die 9 Iulii a. 1913 iuridica omnium processuum vis recognita fuit. Hisce itaque ad normam iuris anteprae-

paratoria quaestio super virtutibus theologalibus et cardinalibus iisque adnexis agitata est; deinde in Congressu Peculiari die 15 Maii a. 1979 habito, ac tandem, die 4 Decembris eiusdem anni, in Congregatione Plenaria Patrum Cardinalium, Rev.mo Cardinali Petro Palazzini causae Ponente seu Relatore; omnesque ad propositum Dubium affirmative responderunt, Famulum Dei scilicet Iosephum Amandum Passerat christianas virtutes heroum in modum coluisse.

Facta postmodum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II die 13 Martii a. 1980 relatione per subscriptum Cardinalem, Sanctitas Sua iussit Decretum super virtutum heroicitate Servi Dei apparari.

Hodierno tandem die, Beatissimus Pater, accitis ad se infrascripto Praefecto necnon Rev.mo Cardinali Petro Palazzini, Causae Relatore, meque a Secretis aliisque convocari solitis ; iisque adstantibus, solemniter edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate cum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine earumque adnexis Servi Dei Iosephi Amandi Passerat in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum publici iuris fieri et in acta S. Congregationis pro Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 29 Aprilis A. D. 1980.

CONRADUS Card. B **AFILE,** *Praefectus*

L. S.

hB Iosephus Casoria, Archiepiscopus tit. Foronovan., *a Secretis*

IV

CREMONEN. **SEU** LAUDEN.

Canonizationis Beati Vincentii Grossi, Sacerdotis Saecularis, Parochi et Fundatoris Instituti Filiarum Oratorii.

SUPER DUBIO

An eius Causa resumenda sit.

« Quantum studii venerabilis Dei Famulus Vincentius Grossi, Cremonensis dioecesis presbyter, ad suam tuendam sacerdotalem digni-* tatem contulerit, quantum ad pastoralia obeunda munera operae dederit constanter et fideliter, e vita eius tota, seu e virtutibus sancte

exercitis ex absolutioque operibus luculenter infertur. Plane enim sibi persuasum habens alterum Christum hic in terris esse sacerdotem, summa ut Iesus in paupertate vixit, humilitatem coluit, terrenis rebus non adhaesit, ad caelestes omnino intentus. Officiis praeterea paroecialibus diligenter functus, creditum sibi populum maxima diligentia et sapientia gubernavit; Christum item secutus est, qui pastorum est Pastor, sanctorumque presbyterorum exemplar» (**PAULUS PAPA** VI, in *AAS* 68 [1976], 168).

Quem Christi sacerdotem Summus Pontifex Paulus VI, servatis de iure servandis, Beatorum Caelitum honoribus die 1 mensis Novembris anno universalis Iubilaei 1975 cumulavit, eumdem aetatis huius nostrae presbyteris, fidelium curae addictis, imitandum proponendo.

Porro, ex quo inter Beatos caelites ille fuit adscriptus, eius sanctitatis famam in dies crescentem Deus adhuc comprobare visus est supernis signis, eodem deprecatore, patratis. Quapropter Exc.mus ac Rev.mus Dominus Iulius Oggiani, Episcopus Laudensis, aliique Archiepiscopi et Episcopi Langobardiae, fidelium quoque vota expromentes, Sanctitatis Suae férvidas adhibuerunt preces ut Causa canonizationis Beati Vincentii Grossi apud Apostolicam Sedem rite resumeretur.

Instante igitur Rev.do P. Theodoro Zamalloa, Ordinis SS.mae Trinitatis, huiusque Causae legitime constituto postulatore, Em.mus ac Rev.mus Dominus Silvius Cardinalis Oddi, Causae ponens seu relator, in Congregatione Peculiari diei 20 mensis Maii anno 1980 celebrata, dubium posuit disceptandum : *An resumenda sit Causa canonizationis in casu et ad effectum, de quo agitur,* deque ea rettulit. Et Patres Cardinales, audita Ponentis relatione atque attenta etiam favorabili opinione Congressus Ordinarii Sacrae huius Congregationis pro Causis Sanctorum die 14 Martii eodem anno 1980 habiti, omnibus mature perpensis, affirmando responderunt, si Summo Pontifici placuisset.

Quibus de rebus facta subscripto die Ioanni Paulo II per infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas Sua responsum Patrum Cardinalium ratum habuit et confirmavit, *Causam scilicet canonizationis Beati Vincentii Crossi esse resumendam.*

Datum Romae, die 19 Iunii A. D. 1980.

CONRADUS Card. **BAFILE,** *Praefectus*

L. ✠ S.

Iosephus Casoria, Archiep. tit. Poronovan., *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citatio edictalis

VARSAVIEN.

Nullitatis Matrimonii (Morawski - Fangor)

Cum ignoretur locus actualis commorationis D.nae Stanislavae Fangor, conventae in causa de qua supra, eamdem citamus ad comparendum aut per se aut per Procuratorem legitime constitutum coram Tribunali S. Romanae Rotae « Piazza della Cancelleria 1, Roma » in diem 7 octobris 1980, hora decima, pro concordatione vel subsignatione sequentis dubii :

« An concedenda sit nova causae propositio et quatenus affirmative, an sententia Rotalis diei 29 aprilis 1977 confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

Ordinarii locorum, Parochi, et fideles, qui notitiam habuerint actualis commorationis praedictae D.nae Stanislavae Fangor curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur.

Sebastianus Másala, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis, die 1 m. augusti a. 1980.

Ioannes Verginelli, *notarius*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 1 Settembre 1980, Sua Maestà il Re **HUSSEIN** di Giordania.

Sabato, 6 Settembre 1980, S. E. il Signor **HOSNI MUBARAK**, Vice-Presidente della Repubblica Araba d'Egitto.

Giovedì, 11 Settembre 1980, S. E. il Signor **RATU SIR KAMISESE**, Primo Ministro di Fiji.

Venerdì, 12 Settembre 1980, S. E. il Signor **FELIPE HERRERA**, Presidente del « Fondo internazionale per la promozione della Cultura » **deirUNESCO.**

Giovedì, 18 Settembre 1980, Le LL.EE. **PIETRO CHIARUZZI** e **PRIMO MARANI**, Capitani Reggenti della Repubblica di San Marino.

Lunedì, 22 Settembre 1980, S. E. il Dott. **FIDEL CHAVEZ**, Ministro degli Affari Esteri del Salvador.

Lunedì, 22 Settembre 1980, S. E. il Dott. **ALOIS MOCK**, Presidente del Partito Popolare Austriaco.

Sabato, 30 Agosto 1980, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a L'Aquila, in Italia.

Domenica, 14 Settembre 1980, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Siena, in Italia.

Sabato, 20 Settembre 1980, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Montecassino, in Italia.

Venerdì, 26 Settembre 1980, alla presenza del Santo Padre, ha avuto inizio in Vaticano la quinta Assemblea generale del Sinodo dei Vescovi.

Domenica, 28 Settembre 1980, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio a Subiaco, in Italia.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

5 agosto 1980. S. E. Mons. Giulio Einaudi, Arcivescovo tit. di Villamagna di Tripolitania, *Pro-Numsìo Apostolico in Cuba.*

14 settembre » S. E. Mons. Renato Martino, Arcivescovo tit. di Segerme, *Pro-Nunzio Apostolico in Thailandia e Delegato Apostolico in Laos, Malaysia e Singapore.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

13 maggio 1980. Mons. Peter Ooughlan, *Sotto-Segretario del Pontificio Consiglio per i Laici.*

6 agosto » P. Maurice Gilbert, S. I. e P. Urbano Navarrete, S. I., *Consultori della Sacra Congregazione per la Dottrina della Fede.*

12 » » P. Barnabas Ahern, O. P. *(U.S.A.)*; P. Juan Alfaro, S. I. *(Spagna)*; P. Oatalino Are vaio, S. I. *(Filippine)*; Rev. Hans Urs von Balthasar *(Svizzera)*; Mons. CarlojOaffarra *(Italia)*; Mons. Giuseppe Colombo *(Italia)*; P. Ivés Congar, O.P. *(Francia)*; Mons. Philippe Delhaye *(Belgio)*; Rev. Wilhelm Ernst *(Repubblica Democratica di Germania)*; Mons. Pierre Eyt *(Francia)*; Rev. Ivan Fucek *(Jugoslavia)*; Rev. Franciscus Gal *(Ungheria)*; P. Edouard Hamel, S. I. *(Canada)*; Rev. Walter Kasper *(Repubblica Federale di Germania)*; P. Bonaventura Kloppenburg, O. F. M. *(Brasile)*; P. Elie Khalife Hachem, O. L. M. *(Patriarcato maronita)*; Rev. Michael Ledwith *(Irlanda)*; Mons. Karl Lehmann *(Repubblica Federale di Germania)*; Rev. Jorge Medina Estevez *(Cile)*; Rev. John Onaiyekan *(Nigeria)*; Rev. Cari Peter *(U.S.A.)*; P. Candido Pozo, S. I. *(Spagna)*; P. Walter Principe, Basiliano *(Canada)*; Mons. Ignatius Rozycki *(Polonia)*; Mons. Heinz Schurmann *(Repubblica Democratica di Germania)*; P. Bernard Sesboue, S. I. *(Francia)*; P. John Thornhill, S. M. *(Austra-*

lia); P. Cipriano Vagaggini, O.S.B. *(Italia);* P. Christophe Von Schonborn, O. P. *(Svizzera);* P. Jan Walgrave, O. P. *(Belgio); Membri della Commissione Teologica Internazionale « ad quinquennium ».*

12 agosto 1980. Mons. Philippe Delhaye, *Segretario della Commissione Teologica Internazionale « ad quinquennium ».*

13 » » L'Em.mo Signor Cardinale Wladislaw Rubin, Prefetto della Sacra Congregazione per le Chiese Orientali, *Membro della Pontificia Commissione per la Revisione del Codice di Diritto Canonico Orientale.*

19 » » Mons. Benedetto Marchetta, *Sotto-Segretario della Sacra Congregazione per i Sacramenti e il Culto Divino.*

4 settembre » S. E. Mons. Giovanni Canestri, Arcivescovo tit. di Monterano, Vicegerente di Roma; l'Arch. Prof. Riccardo Pacini ; il Dott. Piergiuseppe Magnani; *Membri della Commissione annessa alla Pontificia Opera per la preservazione della Fede e la provvista di nuove Chiese in Roma.*

9 » » Le LL.E)E. Mons. Thomas F. Little, Arcivescovo di Melbourne ; Mons. Szczepan Wesoly, Vescovo tit. di Dragonara; Mons. Juan Posadas Ocampo, Vescovo di Tijuana; *Consultori della Pontificia Commissione per la Pastorale delle Migrazioni e del Turismo.*

13 » » Gli Em.mi Signori Cardinali Raúl Francisco Primatesta, Arcivescovo di Cordoba; Lawrence Trevor Picachy, Arcivescovo di Calcutta; Bernardin Gantin, Presidente della Pontificia Commissione « Iustitia et Pax » e del Pontificio Consiglio « Cor Unum » ; *Presidenti Delegati della quinta Assemblea generale del Sinodo dei Vescovi.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato :

Protonotari Apostolici soprannumerari:

16 novembre 1979. Mons. Yarce Tabares Elleazar (Santa Rosa de Osos).
28 marzo 1980. Mons. Aguinanaldo José B. (Malolos).
» » » Mons. Soriano Virgilio (Malolos).
18 maggio » Mons. Jedin Hubert (Breslavia).
» giugno » Mons. Stehle Emil (Essen).

14	luglio	1980.	Mons. Jerominek Franciscus (Katowice).
»	»	»	Mons. Tobóla Eduardus (Katowice).
18	»	»	Mons. Aitken Robert Francis (Adelaide).
15	settembre	»	Mons. Heinrich Straub (Bamberg).

Prelati d'Onore di Sua Santità:

5	gennaio	1980.	Mons. Acosta Pablo (Sonsón-Rionegro).
»	»	»	Mons. Botero J. Ramon Elias (Sonsón-Rionegro)
»	»	»	Mons. Gómez Luis (Sonsón-Rionegro).
28	marzo	»	Mons. Fernandez Rome (Malolos).
»	»	»	Mons. Izon Espiritu (Malolos).
»	»	»	Mons. Magisa Enrique (Malolos).
10	aprile	»	Mons. Rubén Timoteo (Ozamiz).
12	»	»	Mons. Biancarelli Rolando (Gubbio).
17	»	»	Mons. Bestie Mato (Djakovo).
24	»	»	Mons. Fiorini Settimio (Roma).
28	maggio	»	Mons. Berliocchi Camillo (Città di Castello).
»	»	»	Mons. Cerroni Evaristo (Tivoli).
»		»	Mons. Lauro Agostino (Ischia).
»	»	»	Mons. Usai Giovanni (Sassari).
14	giugno	»	Mons. De Echevarría Lamberto (Vitoria).
19	»	»	Mons. Bruskewitz Fabian (Milwaukee).
3	luglio	»	Mons. De Panfilis Edmondo (Valva e Sulmona).
»	»	»	Mons. Russo Giovanni (Trivento).
11	»	»	Mons. Grieser Giovanni (Innsbruck).
12	»	»	Mons. Amorizzo Mario (Sant'Agata dei Goti).
»	»	»	Mons. Maglione Giovanni (Sant'Agata dei Goti).
		»	Mons. Romano Igino* (Sant'Agata dei Goti).
24	»	»	Mons. Pinna Vittorio (Albano).
»		»	Mons. Polonski Józef (Krakow).
10	agosto	»	Mons. Grác Stephanus (Nitra).
»	»	»	Mons. Janega Stephanus (îïitra).
12	settembre	»	Mons. Parducci Pietro (Pisa).
15	»	»	Mons. Gires Paul (Bayeux et Lisieux).
23		»	Mons. Abril y Castello Santos (Teruel).

Cappellani di Sua Santità:

16	novembre	1979.	Il sac. Jaramillo Arango Luis Carlos (Santa Rosa de Osos).
»	»	»	Il sac. Restrepo Muñoz Salvador (Santa Rosa de Osos).
15	dicembre	»	Il sac. Alonso Gómez José (Palmira).
»	»	»	Il sac. Parra Urrea Gabriel (Palmira).
17	aprile	1980.	H sac. Kolesar Drago (Djakovo).
»	»	»	Il sac. Srakié Marin (Djakovo).
16	maggio	»	Il sac. Giallonardo Giovanni (Valva e Sulmona).

16 maggio 1980. Il sac. Quattrocchi Francesco (Valva e Sulmona).
» » » Il sac. Rotolo Carmelo (Valva e Sulmona).
» » Il sac. Rosato Vittorio (Valva e Sulmona).
» » Il sac. Attilio Giacobbi (Belluno e Feltre).
17 » » Il sac. Grauslys Vacio vas (Kaunas).
» » » Il sac. Gustaitis Andrius (Vilkaviskis).
» » » Il sac. Kazlauskas Vytautas (Vilkaviskis).
» » » Il sac. Mazonavicius Liúdas (Kaunas).
» » » Il sac. Zemaitis Juozas (Vilkavièkis).
3 luglio » Il sac. Colombo Giovanni Maria (Milano).
11 » » Il sac. Dankó László (Csanád).
14 » » Il sac. Temperini Oliviero (Montefiascone).
15 » » Il sac. Mathes Riccardo (Essen).
16 » » Il sac. González Hipólito (León).
25 » » Il sac. Capezzuto Nicola (Calvi e Teano).
» » » Il sac. Di Nocera Belissario (Calvi e Teano).
» » » Il sac. Messuri Alessandro (Calvi e Teano).
» » » Il sac. Regna Nicolino (Calvi e Teano).
10 agosto » Il sac. Balazi Ludovicus (Nitra).
» » » Il sac. Bartosievicz Dominicus (Nitra).
» » » Il sac. Kapusta Theophilus (Nitra).
» » Il sac. Michalka Michael (Nitra).
» » » Il sac. Paldan Andreas (Nitra).
» » » Il sac. Palkovié Stephanus Joannes (Nitra).
13 » Il sac. Franciszek Attilio (Wlocfcwek).

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito:

La Gran Croce dell'Ordine Piano:

15 aprile 1980. A S. E. il sig. Poly Modinos *(Cipro).*

La Gran Croce dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

29 agosto 1980. Ai sig. Segers Paul Willem (Malines-Bruxelles).

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha conferito :

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

22 gennaio 1980. Al sig. Merz Anton (Trier).
» » » Al sig. Scherer Werner (Trier).
5 luglio » Al sig. Schepisi Alberto *(Italia).*
19 » » Al sig. Kasino Endrowahjono Ignatius J. *(Indonesia).*

La Commenda dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

28 gennaio 1980. Al sig. Bagagiolo Alberto (Venezia).
» » » Al sig. Dalla Santa Giovanni (Venezia).
18 marzo » Al sig. D'Angosse-Mieulle Alain (Lavai).
» » » Al sig. Dolivet André (Lavai).
» » » Al sig. Hennuyer Roger (Lavai).
24 aprile » Al sig. Vogels Reinier J. (Rotterdam).
16 maggio » Al sig. Paponaud Marcel (Lyon).
21 » » Al sig. Giacintucci Rocco (Penne-Pescara).
12 giugno » Al sig. Di Eugeni Ruggero (Teramo-Atri).
14 » » Al sig. Weyts Aimé (Malines-Bruxelles).
19 » » Al sig. Braconi Enrico (Siena).
7 luglio » Al sig. Triches Guglielmo (Roma).
8 » » Al sig. Cohausz Alfred (Paderborn).
9 » » Al sig. Sassi Ivo *(Italia).*
11 » » Al sig. Ramalho Ortigao José Duarte *(Portogallo).*
16 » » Al sig. Malfatani Giulio (Civitavecchia).
» » » Al sig. Longuet Pierre Clément Remi (Paris).
18 » » Al sig. Jacob Joseph J. (Saint Maron of Brooklyn).
10 agosto » Al sig. Viel Giuseppe (Belluno).
12 » » Al sig. Guidotti Luigi (Roma).
13 » » Al sig. Johannes Vissborn (Köln).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe militare:

12 giugno 1980. Al sig. Kim Hwang Hwa Antonio *(Corea).*

Il Cavalierato dell'Ordine di san Gregorio Magno, classe civile:

16 novembre 1979. Al sig. Mejia Jaramillo Rafael A. (Santa Rosa de Osos).
» » » Al sig. Muñoz Duque Samuel Jairo (Santa Rosa de Osos).
16 gennaio 1980. Al sig. Van Rossum Adriano J. (Haarlem).
22 » » Al sig. Repgen Konrad (Köln).
26 » » Al sig. Gossens Joseph J. G. (Groningen).
9 febbraio » Al sig. Marti jn Gerardus H. (Bois-le-Duc).
30 aprile » Al sig. Tammeo Vincenzo (Viterbo).
3 maggio » Al sig. Bingen Emile M. (Bois-le-Duc).
21 » » Al sig. Babalola Alade Dominio (Ondo).
26 » - » Al sig. Fischenich Engelbert (Köln).
3 giugno » Al sig. Secret Jean (Périgueux e Sarlat).
16 luglio » Al sig. Lebourg Marcel André (Paris).
21 » » Al sig. Journoud François (Lyon).
31 » » Al sig. Charmot Adrien (Annecy).

La Commenda con Placca dell'Ordine di san Silvestro Papa:

22 gennaio 1980. Al sig. Mohr Konrad (Trier).

La Commenda dell'Ordine di san Silvestro Papa:

6 ottobre 1979. Al sig. Laumanns Reinhard (Paderborn).
28 gennaio 1980. Al sig. Nason Sandro (Venezia).
16 maggio » Al sig. Stefanucci Angelo (Roma).
21 » » Al sig. Brescia Michele (Penne-Pescara).
» » » Al sig. Cacioppo Giuseppe (Penne-Pescara).
» » » Al sig. Di Costanzo Salvatore (Penne-Pescara).
» » » Al sig. Picchiotti Mauro (Penne-Pescara).
» » » Al sig. Venditti Franco (Penne-Pescara),
là giugno » Al sig. Zamp rotta Antonio (Roma).
19 » » Al sig. Ciani Giuseppe (Siena).
3 luglio » Al sig. Seneca Giammario *(Italia).*
12 » » Al sig. Sicardi Pietro (Albano).
18 » » Al sig. Galiena Ennio (Roma).
» » » Al sig. Asmar Maroun (Saint Maron of Brooklyn).
19 » » Al sig. Bellantone Adalberto *(Italia).*
» » » Al sig. Scafolieri Francesco Paolo *(Italia).*
» » » Al sig. Trippini Renato *(Italia).*
31. » » Al sig. Guerrero Valenzuela Rafael (Guayaquil).
» » » Al sig. Maldonado Riera Teodoro (Guayaquil).
10 agosto » Al sig. Fragasso Antonio (Roma).
» » » Al sig. Gugel Angelo (Roma).
15 settembre » Al sig. Adimico Luigi (Belluno e Feltre).
» » » Al sig. Cifariello Felice (Belluno e Feltre).

Il Cavalierato dell'Ordine di san Silvestro Papa:

12 gennaio 1980. Al sig. Benedicto Francisco (Cebu).
28 » » Al sig. Matterazzo Bruno (Venezia).
» » » Al sig. Salin Attilio (Venezia).
10 aprile » Al sig. Erkens Gerardus C. (Roermond).
11 » » Al sig. Van Lierop Marcel (Bois-le-Duc).
12 » » Al sig. Thunnissen Carl Eugene (Haarlem).
3 maggio » Al sig. Pieters Cornelis M. H. (Roermond).
9 » » Al sig. Dams Joannes A. M. (Roermond).
» » » Al sig. Kessner Antonio J. V. (Roermond).
10 » » Al sig. Derksen Martinus E. A. (Haarlem).
» » » Al sig. Finge Wilhelm (Köln).

16 maggio 1980. Al sig. Thijssen Theodor L. C. (Roermond)
21 » » Al sig. Adentam Joseph (Ondo).
» » Al sig. Akinyemi Thomas (Ondo).
» » Al sig. Ategbole Augustine (Ondo).
» » Al sig. Olu Ojo Jerome (Ondo).
» » » Al sig. Sunday Ibikunle Michael (Ondo).
8 giugno » Al sig. Dubois Victor (Namur).
16 » » Al sig. Cortes Benjamin R. (Tuguegarao).
» » » Al sig. Nolasco Tomas L. (Tuguegarao).
» » Al sig. Pablo Mario S. (Tuguegarao).
26 » » Al sig. Brand Pietro Giovanni (Breda).
» » Al sig. Speijer Pietro Marino (Breda).
7 luglio » Al sig. Steppuhn Franz (Freiburg im Br.).
12 » » Al sig. Anastasi Togo (Valva e Sulmona).
» » » Al sig. Di Ciccio Pietro (Valva e Sulmona)
18 » » Al sig. Pizzariello Francesco (Acerenza).
» » » Al sig. Perfetti Roberto (Roma).
16 agosto » Al sig. Bartocci Aldo (Roma).
15 settembre » Al sig. Giuseppe Casareto (Genova).
23 » » Al sig. Di Terlizzi Costantino (Andria).

NECROLOGIO

2 agosto 1980. Mons. Abilio del Campo y de la Barcena, Vescovo già di Calahorra y la Calzada-Logroño *(Spagna).*

6 » » Mons. Peter Magoshiro Matsuoka, Vescovo già di Nagoya *(Giappone).*

10 » » Mons. Aloysius Isaac Mandlekosi Zwane, Vescovo di Manzini *(Swaziland).*

12 » » Mons. Manuel Tato, Vescovo di Santiago del Estero *(Argentina)* .

16 » » Mons. Thomas Gorman, Vescovo già di Dallas-Fort Worth *(U.S.A.).*

17 » » Mons. Laurent Yapi, Vescovo di Abengourou *(Costa d'Avorio)* .

.19 » » Mons. Pablo Correa León, Vescovo già di Cúcuta *(Colombia)* .

26 » » Mons. Charles Joseph van Melckebeke, C.I.C.M., Vescovo di Ningsia *(Cina).*

» » » Mons. Andrew Alexis D'Souza, Vescovo già di Poona *(India).*

16 settembre » Mons. Petrus Joannes Antonius Moors, Vescovo tit. di Maastricht.

Palmeiras, Seabra et Souto Soares; a dioecesi vero Barrensi, territorium municipiorum : Barra do Mendes, Central Ibipeba, Jussara, Presidente Dutra, et TJibai, item ut lege civili determinatur ; quibus omnibus terris novam dioecesim condimus, *Irecensem* appellandam, cuius sedem in urbe vulgo Irecê dicta Episcopus collocabit, cathedra posita in templo Boni Pastoris, ibidem quod nempe cathedrale habebitur, cum iuribus debitis. Constitutam Ecclesiam suffraganeam facimus metropolitanae Sedi Sancti Salvatoris in Brasilia, cuius Archiepiscopo etiam Episcopus Irecensis erit obnoxius ad iuris normam. Praeterea volumus ut Canonicorum collegium condatur, iuxta morem in regione vigentem, atque normas suo tempore dandas. Interea vero Consultores dioecesani eligentur, qui Praesulem consilio atque opera adiuvent. Mensa episcopalis efficietur sive bonis pro rata parte quae dioecesibus Ruibarbosensi et Barrensi propria erant, ad canonem 1500 C.I.C., sive Curiae proventibus, sive fidelium collationibus sponte factis. Ad Seminarii constitutionem atque administrationem, serventur praescripta iuris communis, ratione habita Decreti Concilii Vaticani II « Optatam Totius » atque regularum a Sacra Congregatione latarum pro Institutione Catholica. Ad hoc, electi iuvenes Seminariorum, qui theologiae atque philosophiae studiis vacare debeant; item sacerdotes qui studia sua conficere velint, Romam mittantur, in Collegium Pontificium Pium Brasiliense. Condita dioecesi, sacerdotes ei addicantur Sedi, in qua beneficium aut officium habeant; ceteri vero clerici atque Seminarii tirones ei, in qua legitime degant. Acta denique et documenta quae quoquo modo novam dioecesim respiciant, ad illius Curiam mittantur, atque in archivo serventur, religiose. Ceterum, Venerabilis Frater Carmelus Rocco, cuius mentionem fecimus, has Litteras exsequi studebit, vel quem ipse legaverit, factis nempe iuribus atque potestatibus iustis. Re acta, documenta exarentur, atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Hae vero Litterae in perpetuum firmae habeantur, suosque effectus habeant, contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die duo de tricesimo mensis Aprilis anno millesimo nongentesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

& **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco 83 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 52183.

II

MARIANOPOLITANA GRAECORUM MELKITARUM CATHOLICORUM

in Canada Exarchatus Apostolicus conditur pro omnibus fidelibus catholicis Byzantini Ritus Melkitarum ibi commorantibus.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui benignissimo Dei consilio Ecclesiae sanctae praepositi sumus ut Beato Petro similes eius utilitatibus consuleremus, omnes Nostras vires et studia et curas in eo collocamus, ut non solum necessitatibus filiorum Nostrorum provideamus, sed eo modo qui sit his temporibus accommodatus. Hoc enim tum officium poscit ipsum summi Ecclesiae pastoris tum animorum bonum exigit, sollicitudini nostrae commissorum. Qua re, cum Sacra Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus, auditis quidem tum Venerabili Fratre Patriarcha Maximo V Hakim, tum Conferentia Episcoporum Canadiensis dicionis, id proposuerit ut in hac ipsa regione Exarchatus crearetur Apostolicus pro fidelibus catholicis Ritus Byzantini Melkitarum, ratione nempe habita eorum quae Decreto Concilii Vaticani II « De Ecclesiis Orientalibus Catholicis », n. 4 continentur, Nos rati per hoc aptius filiis Nostris eius Ritus consuli, ea quas sequuntur statuimus ac iubemus. In Canada Exarchatum Apostolicum constituimus pro fidelibus catholicis Byzantini Ritus Melkitarum universis, cuius Sedem in urbe Marianopoli collocari censemus, magisterii vero cathedram in templo poni cuius est appellatio ((Sanctissimi Salvatoris pro Graecis Melkitis Catholicis », cum iustis iuribus. Novi Exarchatus Consultores deligantur, qui Exarcho assint consilio atque opera. Mensa exarchalis, quae dicitur, collationibus populi, tributis paroeciarum, bonis ad Exarchatum pertinentibus coalescet. Exarchatus iura et obligationes desumantur e Litteris apostolicis « Cleri sanctitati », maxime e Canonibus a 366 ad 388, cauto tamen ut potestas iurisdictionis Exarchi in fideles Ritus Byzantini Melkitarum non exclusive exerceatur, sed cum Ordinariis locorum, qui tamen secundaria ratione, ut dicitur, iure suo

utantur. Ubi vero paroecia pro fidelibus illis desit, Curio Latini ritus illorum curam gerat, donec per proprium Curionem provideatur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertia decima mensis Octobris, anno millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

LADISLAUS Card. **RUBIN**
S. Congr. pro Eccl. Orient. Praefectus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost. s. n.*

Loco ✠ Plumbi
In Secret. Status tab., n. 52662.

III
LYCIENSIS

In Italia Ecclesia Lyciensis ad dignitatem metropolitanae Sedis evehitur novaque ecclesiastica provincia constituitur eodem nomine.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Conferentia Episcopalis Apuliae, Christifidelium in eadem regione degentium spirituali saluti magis consulere studens atque normis decreti Sacrosancti Concilii Oecumenici Vaticani II « Christus Dominus » n. 40 obsequens, ab hac Apostolica Sede petivit ut cathedralis Ecclesia Lyciensis, nunc eidem Apostolicae Sedi immediate subiecta, ad gradum dignitatemque Sedis metropolitanae eveheretur atque nova ecclesiastica provincia eodem nomine vocata constitueretur. Nos igitur re mature perpensa, suppleto quatenus opus sit eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis sequentia decernimus ac iubemus. Cathedralem Ecclesiam Lyciensem, nunc Apostolicae Sedi immediate subiectam, ad gradum metropolitanae Sedis attollimus eique iura et privilegia conferimus, quae ceterarum eiusdem honoris Ecclesiarum propria sunt; novam insuper ecclesiasticam

provinciam condimus Lyciensem appellandam quae formabitur metropolitana Ecclesia Lyciensi et suffraganeis Sedibus hic enumeratis : Brundusinae quae, officio metropolitano amisso, archiepiscopalem titulum servabit; Hydruntina, quae pariter, officio metropolitano amisso, archiepiscopalem titulum servabit; Gallipolitana, hactenus metropolitanae Ecclesiae Hydruntinae suffraganea; Neritonensi, usque adhuc Apostolicae Sedi immediate subiecta; Ostunensi, hactenus metropolitanae Ecclesiae Brundusinae suffraganea; Uxentina-S. Mariae Leucadensis, hucusque metropolitanae Ecclesiae Hydruntinae suffraganea. Nos praeterea Lyciensem pro tempore Antistitem dignitate ac gradu Metropolitae perpetuo insignimus, iuribus et privilegiis concessis necnon oneribus et obligationibus impositis quae iuxta sacrorum canonum normas ad omnes Metropolitas pertinent. Collegium autem Canonicorum Ecclesiae Lyciensis dignitate metropolitani Collegii locupletamus. Venerabilem vero Fratrem Franciscum Minerva, ad praesens Episcopum Lyciensem, dignitate archiepiscopali ac gradu Metropolitae augemus iustis cum iuribus. Denique quae praescripsimus, Venerabilis Frater Villelmus Motolese, Archiepiscopus Tarentinus atque Conferentiae Episcoporum Apuliae Praeses, ad exitum adducet, vel ab eo delegatus sacerdos in ecclesiastica dignitate constitutus, factis nempe iuribus atque potestatibus necessariis. Re quidem acta, documenta exarentur atque sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittantur, de more signata sigilloque impressa. Apostolicam hanc Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

B **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Iosephus Del Ton, *Proton. Apost.*

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

Loco £8 Plumbi
In Secret. Status tab., n. 525>¡2.

LITTERAE APOSTOLICAE

S. Ioannes Baptista confirmatur Patronus principalis archidioecesis Tirnaviensis, in Cecoslovachia, loco S. Adalberti.

IOANNES PAULUS PP. II

Ad perpetuam rei memoriam. — Cultus S. Ioannis Baptistae, Praecursoris Domini, cuius laudes non modo Evangelium habet (cfr. *Luc.* 1, 15), sed et Christus, Dei Filius, in illum maximas accumulât (cf. *Matth.* 11, 7 sqq.), tam late obtinuit, ut vix fingi possit Ecclesiae pars, in qua non aut templa eius honori dicata sint, aut eius sanctitas innotuerit. Quod profecto iam pridem etiam in archidioecesi Tirnaviensi, in Cecoslovachiae finibus, factum est, cuius Christifideles non solum cathedralem aedem suam tanti caelicolae nomine insigniri decreverunt, sed et singulari pietate eum semper prosecuti sunt, atque in praesentia prosequuntur : fuit enim ille longa per saecula et praesidium in discriminibus, et auxilium in difficultatibus, et in christianae vitae praeceptis servandis exemplar egregium. Haec sane causa est, cur eius Ecclesiae clerus atque fideles, Iulio Gabris, Episcopo Administratore Apostolico, duce atque auctore, ab hac Apostolica Sede petierint, ut S. Ioannem Baptistam, quem illi sibi elegissent Patronum praecipuum loco S. Adalberti, Me adprobasset, talem Nos confirmaremus, ad normam « Instructionis de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30 ». Quod, iis probatis quae S. Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino hac de re statuisset, factis a Nobis olim potestatibus, per has Litteras facimus, fore simul confisi ut pietas in pectoribus augeatur, flammaque gliscat amoris erga tam clarum Caelitem, ac per illum erga Deum, rerum omnium initium et fontem. Scilicet omnia iura atque privilegia tribuimus, iuxta rubricas consequentia. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris, die xin mensis Octobris, anno **MDCCCCLXXX**, Pontificatus Nostri altero.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI,** *a publicis Ecclesiae negotiis*

Loco £B Sigilli

In Secret. Status tab., n. 51^18.

HOMILIAE

I

In Xystino sacello habita VI exeunte Synodo Episcoporum.*

Venerabiles Fratres,

1. Audivimus modo Sanctum Paulum apostolum gratias agentem Deo pro ecclesia Corinthia, «quia dives facta est in Christo Iesu, in omni verbo et in omni scientia».[1] Nos quoque hac ipsa hora impelli Nos sentimus, ut imprimis gratias agamus Patri et Filio et Spiritui Sancto, antequam finem imponamus huic Synodo Episcoporum; ad quam celebrandam, sive eiusdem Coetus Sodales sive operis socii, sumus congregati in mysterio summae illius unitatis, quae sanctissimae Trinitatis est propria. Ad hanc ergo grati animi sensus conferimus, quod Synodum peregimus, quae vigoris est egregium indicium magnumque momentum habet ad vitam Ecclesiae. Synodus enim Episcoporum — ut verbis utamur Concilii, iuxta cuius optatum Summus Pontifex Paulus VI eam instituit — ((utpote totius catholici Episcopatus partes agens, simul significat omnes Episcopos in hierarchica communione sollicitudinis universae Ecclesiae participes esse».[2]

Gratias una simul pro his quattuor hebdomadis agimus, quibus sustinuimus labores. Quod quidem temporis spatium, iam priusquam postremae enuntiationes, id est Nuntius et Propositiones, proferrentur in nobismet ipsis fructificavit, quatenus veritas et amor in animis nostris magis magisque in dies et hebdomadas progressione quadam visae sunt maturescere.

Haec progressio est sane in lumine ponenda, suntque eius notae, quibus insignis erat, paucis describendae; unde patefit quam recte et sincere in ea manifestatae sint et libertas et officium responsabile circa argumentum, quod pertractabatur.

Volumus hodie prae primis gratiam referre Ei, « qui videt in abscondito)),[3] et tamquam ((Deus absconditus » operatur, quod cogitationes, corda, conscientias nostras direxit nobisque dedit, ut in pace fraterna

* Die 25 m. Octobris a. 1980.

[1] Cfr. *1 Cor.* 1, 5.

[2] *Christus Dominus,* 5.

[3] *Mt.* 6, 4.

et in gaudio spiritali operi insisteremus; quod quidem tale fuit, ut laborem et fatigationem vix sentiremus. Nihilominus, quanta reapse erat fatigatio! Tamen nulli pepercistis labori.

2. Oportet etiam inter nos gratias agamus. Ante omnia vero hoc est edicendum : progressionem illam, qua, modo gradatim maturescente, « veritatem fecimus in caritate », universi nos tribuere debemus instantibus precibus, quas tota Ecclesia, nos veluti circumstans, hoc tempore fudit. Haec scilicet precatio facta est pro Synodo et pro familiis : pro Synodo, quatenus ea ad familias referebatur, pro familiis autem, respectu habito munerum, quae iis in Ecclesia et in mundo hodierno sunt gerenda. His orationibus Synodus ratione fortasse, prorsus singulari fruebatur.

Precibus assiduis et copiosis Deus obsecrabatur : quod potissimum evenit die duodecima mensis Octobris, qua coniuges, qui familias totius orbis terrarum repraesentarent, ad Basilicam Sancti Petri convenerunt, ut una Nobiscum sacros ritus peragerent atque orarent.

Quodsi mutuo gratias agere debemus, hoc officium simul praestandum est tot benefactoribus ignotis, qui in universo mundo precibus suis nos adiuvarunt, dolores etiam suos pro hac Synodi causa Deo offerentes.

3. Nominatim nunc ad mutuam gratiarum actionem faciendam pervenimus, qua omnes, qui ad hunc Coetum celebrandum operam contulerunt, complectimur; sunt autem Praesides, Secretarius Generalis, Relator Generalis, Sodales ipsi iidemque modo peculiari, Secretarius specialis eiusque Adiutores, Auditores, Auditrices, communicationis socialis instrumentis Addicti, Romanae Curiae Dicasteria potissimumque Consilium de Familia, praeterea alii, id est assignatores locorum, placetque seriem producere usque ad adiutores technicos, typographos hisque similes.

Omnes grati sumus, quia hanc Synodum potuimus perficere : quae singularis ostensio fuit collegialis de Ecclesia sollicitudinis Episcoporum, qui in toto sunt orbe terrarum. Grati sumus, quia percipere potuimus familiam, qualis revera est in Ecclesia et in mundo huius temporis, attendentes ad multiplices ac diversas condiciones, in quibus versatur, ad traditiones, quae, e variis culturae formis manantes, eam attingunt, ad elementa cultioris vitae, quibus est obnoxia et quae eam afficiunt, et ad alias res huiuscemodi. Grati sumus, quia cum obsequio fidei iterum scrutari potuimus aeternum Dei consilium de familia, mani-

testatum in mysterio creationis et sanguine Redemptoris, Sponsi Ecclesiae, firmatum ; demum quod definire potuimus, secundum sempiternam dispositionem circa Vitam et Amorem, munera familiae in Ecclesia et mundo hodierno.

4. Fructus vero, quem haec Synodus anni millesimi nongentesimi octogesimi iam statim et ilico edit, in Propositionibus, a Coetu acceptis, continetur, quarum prima sic audit : « De voluntate Dei in peregrinatione Populi Dei cognoscenda. De sensu fidei ».

Hunc uberem thesaurum Propositionum, quae numero sunt quadraginta tres, nunc Nos recipimus quasi fructum singulariter pretiosum Synodi laborum.

Simul vero gaudium significamus, quod Coetus ipse, Nuntium proferendo, universam Ecclesiam est allocutus; quem Nuntium Secretaria Generalis, adiuvantibus Apostolicae Sedis institutis, ad omnes, quorum res interest, curabit mittendum, auxilio etiam utens Conferentiarum Episcopalium.

5. Ea, quae Synodus huius anni millesimi nongentesimi octogesimi acriter consideravit et iisdem Propositionibus enuntiavit, sane efficiunt, ut munera christiana et apostolica familiae in mundo hodierno perspiciamus et ut ea quodammodo eruamus e tota copia rerum, quas Concilium Vaticanum II docuit. Ita efficaciter progredimur in via, quae eo ducat oportet, ut haec Synodus proposita sua doctrinalia et pastoralia reapse exsequi valeat.

Ad hoc quod attinet, eadem huius anni Synodus arcte coniungitur cum Synodis praeteritis estque earum continuatio — loquimur de Synodis anno 1971 et praesertim anno 1974 et 1977 celebratis — quae Concilio Vaticano II in vitae usu ad effectum deducendo servierunt et continenter debent servire. Hae profecto Synodi opus iuvant eo pertinens, ut Ecclesia modo germano talem se ipsam praebeat, qualis in aetatis nostrae condicionibus sit oportet.

6. Inter labores huiusce Synodi summae utilitatis aestimandum est accuratum examen quaestionum doctrinalium et pastoralium, quae illo singulariter indigebant, necnon, consequenter, certum et perspicuum iudicium de singulis hisce quaestionibus.

In copia, admirationem nostram potissimum movente, interventuum, relationum, conclusionum huius Synodi — quae in his duobus veluti cardinibus vertitur, id est in fidelitate erga consilium Dei de familia et in

gerendi se modo pastorali, cui proprius est amor misericors et reverentia hominibus praestanda eosque universe complectens, quod attinet ad eorum « esse » eorumque « vivere » — in tanta copia, dicimus, sunt quaedam partes, quae Patrum Synodi animos singulariter ad se converterunt, quoniam illi conscii erant se interpretes esse exspectationis et spei multorum coniugum et familiarum.

Inter Synodi ergo labores expedit has quaestiones memorare atque perutile agnoscere examen, quod iis est acriter factum : agitur nempe de examine doctrinali et pastorali quaestionum, quae, licet non solae in Synodi disceptationibus sunt pertractatae, tamen ibi peculiarem locum obtinebant, quatenus de iis modo prorsus sincero et libero est deliberatum. Unde ipsum efficitur momentum, quod sententiis est tribuendum, quas Synodus dilucide et animose de iisdem quaestionibus protulit, simul vero christianum illum conspectum retinens, secundum quem matrimonium et familia habentur dona amoris divini.

7. Itaque Synodus, de ministerio pastorali sermonem faciens, prout ad illos refertur, qui post divortium novam unionem inierunt, eos merita laude coniuges ornavit, qui, licet gravibus afficiantur difficultatibus, tamen in propria vita indissolubilitatem matrimonii testantur; quorum in vita animadvertit bonum illum nuntium fidelitatis erga amorem, qui in Christo habet et virtutem et fundamentum. Praeterea Patres Synodi, iterum affirmantes indissolubilitatem conubii et praxim Ecclesiae circa non admittendos divortio seiunctos qui contra regulam denuo matrimonium temptaverunt ad eucharisticam communionem, Pastores et universam communitatem christianam hortantur, ut huiusmodi fratres et sorores adiuvent, quos ipsi non censent ab Ecclesia separatos, quippe qui vi baptismatis ii possint ac debeant vitam Ecclesiae participare orando, verbum audiendo, celebrationi eucharisticae communitatis assistendo, caritatem et iustitiam promovendo. Quamquam negandum non est tales personas ad sacramentum paenitentiae, si casus fert, recipi posse ac deinde ad eucharisticam communionem, cum sese sincero corde aperiunt vivendi formae, quae indissolubilitati matrimonii non adversatur, nempe cum eiusmodi vir et mulier, qui obligationem separationis adimplere non possunt, officium in se suscipiunt omnino continenter vivendi, scilicet se abstinendi ab actibus qui solis coniugibus competunt, et simul scandalum abest, tamen privatio conciliationis sacramentalis cum Deo eos a perseverantia in orando, in paenitentia et caritate exercenda minime abstrahat, ut tandem conversionis et salutis gratiam

consequantur. Ecclesia vero, pro iisdem preces fundens eosque in fide ac spe roborando matrem misericordem se praebeat oportet.

8. Synodi Patres mente et animo alieni non erant a gravibus illis difficultatibus, quas multi coniuges in sua ipsorum conscientia sentiunt circa leges morales, pertinentes ad vitam transmittendam et ad vitam humanam tuendam. Probe scientes quodvis praeceptum divinum secum ferre et promissionem et gratiam, iidem aperte confirmaverunt validitatem ac firmam veritatem nuntii prophetici, alto sensu praediti ad hodiernasque condiciones pertinentis, qui in Litteris Encyclicis *Humanae Vitae* continetur. Eadem Synodus theologos incitavit ad vires suas consociandas cum opera Magisterii hierarchici, ut fundamenta biblica et rationes « personalisticae » quas dicunt, huius doctrinae clariore in lumine continuo ponantur, eo contendentes, ut tota doctrina Ecclesiae, cunctis hominibus bonae voluntatis pervia fiat eiusque intellectus profundior in dies evadat.

Ad eos mentes dirigentes, qui ministerium pastorale obeunt in bonum coniugum et familiarum, Patres Synodi omnem bipartitionem seu « dichotomiam » respuerunt inter paedagogiam, quae rationem ducit cuiusdam progressionis in consilio Dei exsequendo, et doctrinam, ab Ecclesia propositam, omnibus cum eius consectariis, quibus praeceptum secundum eandem doctrinam vivendi continetur ; qua in re non agitur de desiderio servandi legem tamquam mere « ideale », ut vulgo-dicitur, futuro tempore assequendum, sed de*Christi Domini mandato ut difficultates constanter superentur. Re quidem vera « processus gradualitatis », qui dicitur, haberi non potest, nisi quis sincero animo obsequatur legi divinae et illa bona exquirat, quae eadem lege custodiuntur ac promoventur. Etenim sic dicta ((lex gradualitatis » seu gradualis profectus idem esse non potest ac ((gradualitas legis », quasi varii sint gradus seu praecepti formae pro variis hominibus et condicionibus in lege divina. Omnes coniuges in matrimonio ad sanctitatem secundum Dei consilium vocantur ; atque huius vocationis praestantia ad effectum deducitur, quatenus persona humana praecepto Dei valet respondere, sereno animo gratiae divinae ac propriae voluntati confisa. Itaque, coniugibus, si singuli non eadem persuasione religiosa inter se coniunguntur, non satis erit modo passivo et facili se accommodare ad rei condicionem, sed conitentur, ut, cum patientia et benevolentia, in communem voluntatem fidelitatis erga officia matrimonii christiani conveniant.

9. Synodi Patres adepti sunt sive altiorem cognitionem et conscientiam divitiarum, quae in variis formis culturae populorum inveniuntur, sive bonorum, quae omnis culturae ratio affert, quo plenius ininvestigabile Christi mysterium intellegatur. Praeterea agnoverunt, etiam intra fines conubii et familiae, immensum campum patere theologicae et pastorali inquisitioni, ut nuntii evangelici accommodatio ad indolem uniuscuiusque populi melius foveatur atque percipiatur quibus modis consuetudines, res praestabiles, vitae sensus et intimus afflatus peculiaris cuiusdam cultus humani componantur cum iis, ex quibus revelatio divina innotescit.[4] Haec inquisitio, si secundum principium communionis Ecclesiae universae et exstimulantibus Episcopis locorum instituetur — qui inter se coniuncti sint et cum beati Petri Cathedra, « quae universo caritatis coetui praesidet »[5] — fructus suos familiis gignet.

10. Verbis opportunis et ad persuadendum aptis Synodus cum reverentia et animo admodum grato de muliere est locuta, videlicet de eius dignitate et vocatione ut filiae Dei, ut coniugis et matris. Improbans quidquid eius humanam laedit dignitatem, Synodus in lumine posuit matris dignitatem. Quapropter merito edixit societatem hominum ita esse constituendam, ut mulieres non cogantur ad opus externum, certi muneris seu, ut aiunt, professionis proprium, sed oportere, ut familia recte vivere possit, etiam cum mater familiae se plene devoveat.

11. Si has quaestiones praecipuas memoravimus atque responsa, quae ad eas Synodus dedit, nolumus tamen cetera minoris aestimare, de quibus Synodus tractavit; quemadmodum enim multis interventibus per has hebdomadas, utiles et frugiferas, est ostensum, agitur de quaestionibus dignis, quae sive in docendo sive in pastorali ministerio Ecclesiae explicentur, magna cum reverentia et amore, misericordiae pleno, erga viros et mulieres, fratres nostros et sorores, qui ad Ecclesiam confugiunt, ut verba fidei et spei recipiant. Utinam, exemplum de Synodo capientes, Pastores eadem cum cura et firma voluntate haec problemata aggrediantur, prout reapse sunt in vita coniugali et familiari, ea quidem mente, ut omnes ((veritatem faciamus in caritate».

Volumus nunc aliquid addere tamquam fructum laborum, quos per

[4] **Cfr.** ***Ad Gentes Divinitus,*** **22.**

[5] ***Lumen Gentium,*** **13.**

amplius quattuor hebdomadas sustinuimus : videlicet neminem caritatem alio modo facere posse quam in veritate. Quod principium ad vitam cuiusvis familiae non minus quam ad vitam operamque Pastorum, qui familiis revera servire intendant, liceat referri.

Fructus ergo huius Synodi Sessionis in hoc praecipue positus est, ut munera familiae christianae, cuius veluti cor est ipsa caritas, non nisi secundum plenam veritatem impleantur. Omnes autem, quibus, in Ecclesia constitutis, propositum est ad huiusmodi munera operam conferre — sive laici sunt sive clerici vel religiosi utriusque sexus — non aliter quam in veritate hoc facere valent. Veritas enim est, quae liberat ; Veritas est, quae ordinat ; Veritas viam pandit sanctitati et iustitiae.

Ostensum nobis est, qualis Christi amor, qualis caritas omnibus illis, qui quamlibet familiam in Ecclesia et in mundo efficiunt, sit oblata : non solum viris et mulieribus matrimonio iunctis, sed etiam pueris puellisque et iuvenibus, sed etiam viduis et orphanis, avis quoque et universis, qui vitae familiaris quoquomodo sunt participes. His omnibus Ecclesia Christi esse vult et manere testis et veluti porta istius vitae plenitudinis, de qua Sanctus Paulus ad Corinthios loquitur verbis initio allatis : quia in omnibus divites facti sumus in Christo Iesu in omni verbo et in omni scientia.[6]

Quibus dictis, vobis nuntiamus Nos statuisse, ad Secretariam Generalem Synodi Episcoporum adiuvandam, tres Praesules, quorum nominatio ad Romanum Pontificem spectat, duodecim membris eiusdem Secretariae, a vobis electis, adiungere.

Sunt autem :

Ladislaus Cardinalis Rubin, Praefectus Sacrae Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus ;

Paulus Tzadua, Archiepiscopus Neanthopolitanus;

Carolus Maria Martini, Archiepiscopus Mediolanensis.

Denique iubemus vos omnes in Domino valere.

[6] Cfr. *1 Cor.* 1, 5.

II

In Basilica Vaticana habita occasione oblata Beatificationis Servorum Dei Aloisii Orione, Mariae Annae Sala, Bartholomaei Longo.*

Carissimi Fratelli e Figli!

((Gaudeamus omnes in Domino, hodie, diem festum celebrantes sub honore Beatorum nostrorum ! ».

Così oggi possiamo giustamente cantare, in questa grandiosa solennità, mentre i nostri spiriti si elevano nella contemplazione della gloria celeste raggiunta da tre nuovi Beati : Don Luigi Orione, Suor Maria Anna Sala e Bartolo Longo.

1. E giorno di festa perché la Chiesa ci dice che essi entrano ufficialmente nel culto dei fedeli cristiani e possono essere invocati e pregati, come già partecipi dell'eterna felicità. È giorno di festa, perché la Chiesa per loro mezzo ci indica in modo autorevole e sicuro la mèta della nostra vita e la strada per raggiungerla, ricordandoci con San Paolo che ((le sofferenze del momento presente non sono paragonabili alla gloria futura che dovrà essere rivelata in noi » ;[1] ed è giorno di grande festa perché la Chiesa universale, e in particolare l'Italia, gioiscono insieme ai Figli della Divina Provvidenza, alle Suore di S. Marcellina, e ai cittadini di Pompei e di Napoli, per l'onore pubblicamente tributato a questi tre campioni della fede e della carità.

Sì, il Signore è vicino a noi e ci fa comprendere per loro mezzo la sua volontà circa il nostro destino terreno ed eterno : la salvezza e la santificazione dell'uomo, creato ((nella giustizia e nella santità vera».[2] I tre nuovi Beati, che oggi invochiamo, per strade diverse e per prove dolorose, hanno combattuto la buona battaglia, hanno mantenuto la fede, hanno perseverato nella carità, raggiungendo così il premio.[3] Ed ora, insieme alla moltitudine dei Santi, sono per noi luce e conforto, sostegno e consolazione ; essi camminano con noi e per noi, come maestri ed amici ; essi sono un dono dell'Altissimo, con il loro esempio, la loro parola, la loro intercessione.

Salga perciò, in questo momento, a Dio, Autore della grazia, la nostra commossa riconoscenza.

*** Die 26 m. Octobris a. 1980.**

[1] ***Rm* 8, 18.**

[2] ***E f* 4, 24.**

[3] **Cfr. *2 Tim* 4, 7.**

2. Raccogliamoci ora per riflettere in modo particolare sul singolare messaggio che ognuno dei tre Beati propone alla nostra meditazione.

Don Luigi Orione ci appare come una meravigliosa e geniale espressione della carità cristiana.

È impossibile sintetizzare in poche frasi la vita avventurosa e talvolta drammatica di colui che si definì, umilmente ma sagacemente, « il facchino di Dio ». Però possiamo dire che egli fu certamente una delle personalità più eminenti di questo secolo per la sua fede cristiana apertamente professata e per la sua carità eroicamente vissuta. Egli fu Sacerdote di Cristo totalmente e gioiosamente, percorrendo l'Italia e l'America Latina, consacrando la propria vita a coloro che più soffrono, a causa della sventura, della miseria, della cattiveria umana. Basti ricordare la sua operosa presenza fra i terremotati di Messina e della Marsica. Povero tra i poveri, spinto dall'amore di Cristo e dei fratelli più bisognosi, fondò la Piccola Opera della Divina Provvidenza, le Piccole Suore Missionarie della Carità e in seguito le Sacramentine Cieche e gli Eremiti di Sant'Alberto.

Aprì anche altre case in Polonia (1923), negli Stati Uniti (1934) e in Inghilterra (1936), con vero spirito ecumenico. Volle poi concretizzare visibilmente il suo amore a Maria erigendo a Tortona il grandioso Santuario della Madonna della Guardia. È per me commovente pensare che Don Orione ebbe sempre una particolare predilezione per la Polonia e soffrì immensamente quando la mia cara Patria nel settembre del 1939 venne invasa e dilaniata. So che la bandiera polacca bianco-rossa, che egli in quei tragici giorni portò trionfalmente in corteo al Santuario della Madonna, è ancora appesa alla parete della sua poverissima camera di Tortona : lì egli stesso la volle ! E nell'ultimo saluto che egli pronunziò la sera dell'8 marzo 1940, prima di recarsi a San Remo, dove sarebbe morto, disse ancora : <(Io amo tanto i Polacchi. Li ho amati fin da ragazzo ; li ho sempre amati... Vogliate sempre bene a questi vostri fratelli ».

Dalla sua vita, tanto intensa e dinamica, emergono il segreto e la genialità di Don Orione : egli si è lasciato solo e sempre condurre dalla logica serrata dell'amore ! Amore immenso e totale a Dio, a Cristo, a Maria, alla Chiesa, al Papa, e amore ugualmente assoluto all'uomo, a tutto l'uomo, anima e corpo, e a tutti gli uomini, piccoli e grandi, ricchi e poveri, umili e sapienti, santi e peccatori, con particolare bontà e tenerezza verso i sofferenti, gli emarginati, i disperati. Così enunciava il suo programma di azione : « La nostra politica è la carità grande e divina che fa del bene a tutti. Sia la nostra politica quella del "Pater Noster". Noi non guardiamo ad altro che sono anime da salvare. Anime e anime !

Ecco tutta la nostra vita ; ecco il grido e il nostro programma ; tutta la nostra anima, tutto il nostro cuore ! ». E così esclamava con lirici accenti : « Cristo viene portando sul suo cuore la Chiesa e nella sua mano le lacrime e il sangue dei poveri ; la causa degli afflitti, degli oppressi, delle vedove, degli orfani, degli umili, dei reietti : dietro a Cristo si aprono nuovi cieli : è come l'aurora del trionfo di Dio ! ».

Ebbe la tempra e il cuore dell'Apostolo Paolo, tenero e sensibile fino alle lacrime, infaticabile e coraggioso fino all'ardimento, tenace e dinamico fino all'eroismo, affrontando pericoli d'ogni genere, avvicinando alte personalità della politica e della cultura, illuminando uomini senza fede, convertendo peccatori, sempre raccolto in continua e fiduciosa preghiera, talvolta accompagnata da terribili penitenze. Un anno prima della morte così aveva sintetizzato il programma essenziale della sua vita : «Soffrire, tacere, pregare, amare, crocifiggersi e adorare». Mirabile è Dio nei suoi santi, e Don Orione ne rimane per tutti esempio luminoso e conforto nella fede.

3. Suor Maria Sala ci insegna fedeltà al particolare carisma della vocazione.

Entrata tra le Suore Marcelline a ventun anni, comprese che il suo ideale e la sua missione dovevano essere unicamente l'insegnamento, l'educazione, la formazione delle fanciulle nella scuola e nelle famiglie.

Suor Maria Anna fu semplicemente e totalmente fedele al carisma fondamentale della sua Congregazione. Tre grandi insegnamenti sgorgano dalla sua vita e dal suo esempio : la necessità della formazione e del possesso di un buon carattere fermo, sensibile, equilibrato; il valore santificante dell'impegno nel dovere assegnato dall'obbedienza e l'importanza essenziale dell'opera pedagogica.

Suor Maria Anna volle acquisire virtù di capacità in massimo grado, convinta che in tanto si può dare in quanto si possiede ; e si appassionò del suo incarico di insegnante, santificandosi nell'adempimento del proprio lavoro quotidiano. Mise in pratica il messaggio di Gesù : « Chi è fedele nel poco, è fedele anche nel molto».[4] Imparino dalla nuova Beata soprattutto le Religiose ad essere liete e generose nel loro lavoro, anche se nascosto, monotono, umile ! Imparino tutti coloro che si dedicano all'opera educativa a non spaventarsi mai delle difficoltà dei tempi, ma ad impegnarsi con amore, pazienza e preparazione nella loro così importante missione, formando ed elevando gli animi ai supremi valori tra-

[4] *Le* 16, 10.

scendenti. Particolarmente oggi la Scuola ha bisogno di educatori saggi, seri, preparati, sensibili e responsabili.

4. Infine, ecco ancora Bartolo Longo, il fondatore del celebre Santuario di Pompei, dove con profonda devozione mi recai or è un anno; egli è l'apostolo del Rosario, il laico che ha vissuto totalmente il suo impegno ecclesiale.

Bartolo Longo fu strumento della Provvidenza per la difesa e la testimonianza della fede cristiana e per l'esaltazione di Maria Santissima in un periodo doloroso di scetticismo e di anticlericalismo.

A tutti è nota la sua lunga vita, ispirata da una fede semplice ed eroica e densa di episodi suggestivi, durante la quale sgorgò e si sviluppò il miracolo di Pompei. Iniziando dall'umile catechesi ai contadini della Valle di Pompei, e dalla recita del Rosario davanti al famoso quadro della Madonna, fino all'erezione dello stupendo Santuario e all'istituzione delle opere di carità per i figli e le figlie dei carcerati, Bartolo Longo portò avanti con intrepido coraggio un'opera grandiosa che ancora oggi ci lascia stupidi ed ammirati.

Ma soprattutto è facile notare che tutta la sua esistenza fu un intenso e costante servizio della Chiesa in nome e per amore di Maria.

Bartolo Longo, Terziario dell'Ordine Domenicano e fondatore della Istituzione delle Suore « Figlie del S. Rosario di Pompei », si può veramente definire ((l'uomo della Madonna » : per amore di Maria divenne scrittore, apostolo del Vangelo, propagatore del Rosario, fondatore del celebre Santuario in mezzo ad enormi difficoltà ed avversità; per amore di Maria creò istituti di carità, divenne questuante per i figli dei poveri, trasformò Pompei in una vivente cittadella di bontà umana e cristiana; per amore di Maria sopportò in silenzio tribolazioni e calunnie, passando attraverso un lungo Getsemani, sempre fiducioso nella Provvidenza, sempre ubbidiente al Papa e alla Chiesa.

Egli, con in mano la corona del Rosario, dice anche a noi, cristiani della fine del XX secolo : « Risveglia la tua fiducia nella Santissima Vergine del Rosario ... Devi avere la fede di Giobbe!... Santa Madre adorata, io ripongo in Te ogni mia afflizione, ogni speranza, ogni fiducia ! » (11 marzo 1905).

5. Carissimi !

Oggi la Chiesa propone alla nostra meditazione e alla nostra imitazione un Sacerdote, una Religiosa ed un Laico : è davvero sintomatica

questa coincidenza dei tre « stati » di vita ! Si può dire che è un avvenimento ed un incoraggiamento a tutte le categorie che formano il popolo di Dio, che costituiscono la Chiesa pellegrinante verso il cielo : tutti siamo chiamati alla santità ; per tutti ci sono le grazie necessarie e sufficienti ; nessuno è escluso ! Come ha sottolineato il Concilio Vaticano II : ((Tutti i fedeli di qualsiasi stato o grado sono chiamati alla pienezza della vita cristiana e alla perfezione della carità... Nei vari generi di vita e nei vari uffici un'unica santità è coltivata da quanti sono mossi dallo Spirito di Dio e, obbedienti alla voce del Padre, seguono Cristo povero, umile, e carico della croce, per meritare di essere partecipi della sua gloria)).[5] Ed ancora : « Tutti i fedeli quindi sono invitati e tenuti a perseguire la santità e la perfezione del proprio stato ».[6]

Don Orione, Suor Maria Anna e Bartolo Longo, nel richiamarci questa dottrina fondamentale, ci danno una lezione di suprema importanza : la necessità della propria santificazione, perseguita con serietà, sincerità, umiltà e costanza : « Cercate prima il Regno di Dio e la sua giustizia ! » ammoniva Gesù.[7]

La tentazione più subdola, e sempre ricorrente, è quella di voler cambiare la società mutando solamente le strutture esterne ; di voler rendere felice l'uomo sulla terra, soddisfacendo unicamente ai suoi bisogni e ai suoi desideri. I nuovi Beati che oggi preghiamo dicono a tutti, Sacerdoti, religiosi e laici, che l'impegno primo e più importante è quello di cambiare se stessi, di santificare se stessi, nell'imitazione di Cristo, nella metodica e perseverante ascetica quotidiana ; il resto verrà in conseguenza.

Eleviamo fidenti la nostra preghiera ai nuovi Beati, che già hanno raggiunto la gioia eterna del cielo : Don Luigi Orione, Suor Maria Anna Sala, Bartolo Longo intercedete per la Chiesa, che avete tanto amato ! Aiutateci, illuminateci, accompagnateci nel nostro cammino, sempre avanti, con Maria !

Estendete il vostro sguardo e il vostro amore all'umanità intera, bisognosa di certezza e di salvezza !

E attendeteci nella gloria del cielo, che già possedete !

Amen ! Amen ! Alleluia.

[5] Cost. dogm. *Lumen Gentium,* Cap. V, n. 40, b; n. 41, a.

[6] N. 42, e.

[7] *Mt* 6, 33.

ALLOCUTIONES

I

Ad quosdam Birmaniae sacros Praesules occasione oblata « Ad limina » visitationis coram admissos.*

Dear Brothers in the Episcopate,

It is a great joy for me, as Successor of Peter in the See of Rome, to welcome you my brother Bishops from Burma, and to embrace you in the charity of Jesus Christ, the Eternai and Incarnate Word of God.

1. On this *ad limina* visit of yours, you come as the *Ordinaries of four local Churches:* Mandalay, Myitkyina, Bassein and Kengtung. You come likewise as *représentatives of all the Bishops of Burma* serving the en tire Catholic people throughout your land. I greet you therefore with great respect and friendship, with deep esteem and love. I greet you as collaborator in the Gospel, as Bishops of the Church of God, who are united with me and ali the members of the Episcopal College in the bonds of faith and charity, and who are called to exercise together—according to each one's role—responsibility for the universal Church.

2. I greet you as the *spiritual^ heirs o f authentic and generous missionaries,* who worked patiently and perseveringly so that the Gospel would become incarnate in the culture of your people and transform their lives by its own ennobling originality. In you the Church authenticates the labours of the missionaries, renders homage to their sacrifices, and perpétuâtes their memory. I greet you as *spiritual leaders of the faithful,* many of whom have demonstrated and exercised heroism in the Catholic faith, thus giving a splendid witness to Jesus Christ and his Gospel.

3. This is truly an *hour of thanksgiving.* Together we express our gratitude to the Most Holy Trinity for the blessings bestowed upon your people, for the grâces that have touched their lives. Through Jesus Christ we give thanks that the word of God took root in the hearts of your ancestors and brought forth fruits of justice and holiness of life

* **Die 11 m. Octobris a. 1980.**

in generation after generation. We give thanks for the great gif t of persévérance that has eharacterized the lives of so many individuáis and communities.

We praise the power o f the P aschal Mystery which could alone guaran tee fidelity to Christ and his Church, which has been and remains an unquestioned reality in your Christian expérience. Despite difficulties of various kinds, despite obstacles from various sources, despite the unchanging exigencies of the Gospel—before which human nature instinctively recoils in every age—the grace of Jesus Christ has repeatedly conquered human hearts and sustained the efforts of so many of the faithful who zealously endeavour to put on Christ and follow in his footsteps.

Through the action of the Holy Spirit, Christ's death and Résurrection have effected *growth* among your people : *young people* have responded to vocations to the priesthood and religious life ; many of the *laity* have understood their Christian dignity and enthusiastically embraced their mission; *catechists* have'helped to make the Church ever more an evangelized and evangelizing community. Ali of this, venerable Brothers, is owing to the grace of Christ, who in each age must be recognized and proclaimed as the Redeemer of man and the Saviour of the world.

4. Our meeting is likewise an *hour of renewal.* At the tombs of the Apostles Peter and Paul we are challenged to rededicate ourselves *to the Gospel* and to its integrai and faithful proclamation. We are called in our own lives to embrace anew the word of God with ali its demands, and to propose it confidently and consistently to our people in the name of him who was known as a "sign of contradiction"[1] and who once said : "The gate is narrow and the way is hard, that leads to life".[2]

Ours is also a rededication *to the pastoral office* which we exercise in the name of the Good Shepherd. As Bishops we are called to make visible and attractive in ourselves the selfless, sacrificing and compassionate love of Jesus for his people. Only in intimacy with Jesus will we find the inner force to persevere in genuine concern for all our brothers and sisters. Only through holiness of life will we be relevant ministers and représentatives of a loving Christ.

[1] *Lk* 2:34.
[2] *Mt* 7:14.

5. This is an hour of thanksgiving and renewal ; it is also *an hour of hope!*

Because the Spirit of God has been poured out in our hearts and because the final destiny of the Church is in the hands of Jesus, we are sustained by a great hope. Our hope is that each community of the faithful in Burma, gathered together in the power of God's word and made strong by Christ's sacraments, may ever more effectively fulfil its evangelizing mission and serve the cause of human advancement. In brief, that ali the faithful will relate to their neighbours as Jesus did to his, as Jesus wants us to do to ours. Dear Brothers, the words of Saint Paul confirm us in our hope today : "For to this end we toil and strive, because we have set our hope on the living God".[3]

And from this gift of hope implanted in your hearts may there spring up, in each one of you and in your brother Bishops at home, *a new trust in Christ, a new assuredness in your pastoral ministry*—a trust and assuredness that are alien to every form of human complacency, but which derive from confidence in Christ and his word, and are strong in the promise of Jesus, who says : "Ecce ego vobiscum sum".[4]

6. In this spirit of thanksgiving and renewal, with this fresh hope and trust, I ask you to take my greetings to ali the beloved faithful of Burma. To the clergy, to the men and women religious, to the seminarians and catechists, and to ali who make up the ranks of the Catholic laity I send my Apostolic Blessing, with the assurance of my prayers, especially for the sick and suffering, for those afflicted by loneliness and sorrow. And to ail your non-Christian brethren, particulare to the members of the Buddhist communities, with whom you are called to live and work together, as well as to the authorities of the State I offer my cordial and respectful greetings.

And to you, my dear Brothers in the Episcopate : "Grace, mercy and peace from God the Father and Christ Jesus our Lord".[5]

[3] *1 Tim* 4:10.
[4] *Mt* 28:20.
[5] *1 Tim* 1:2.

II

Ad Patres Cardinales et synodales Episcopos, una cum permultis praesentibus futurisque Christianis coniugibus inter Synodum in Aula Paulina coram admissos, habita post audita verba a quibusdam laicis recitata: familia Christiana tuenda et roboranda.*

Signori Cardinali,
Venerabili Fratelli,
Diletti Figli e Figlie,

1. Le testimonianze che abbiamo tutti ascoltato con attenzione e senso di viva partecipazione ci offrono — mi pare — un ritratto fedele e suggestivo della famiglia in questo nostro tempo.

Luci e ombre, attese e preoccupazioni, gravi problemi e solide speranze fanno parte di questo ritratto. Guardandolo mi viene da pensare che davvero gli studiosi, in futuro, potranno dire che il nostro è stato il secolo della famiglia. Infatti, mai come in questo secolo la famiglia è stata investita da tante minacce, aggressioni e erosioni. Ma, in pari tempo, mai come in questo secolo si è venuto incontro alla famiglia con tanti aiuti sia sul piano ecclesiale che civile. In particolare, la riflessione teologica come l'attività pastorale nelle varie parrocchie non si stancano di offrire alla famiglia punti di riferimento e vie concrete per il superamento delle difficoltà e per il proprio perfezionamento. Se si può dire ciò che affermava il mio Predecessore Pio XII all'indomani della seconda Guerra Mondiale, cioè che nella nostra società sofferente la famiglia è la grande malata, si deve pure dire che sono in molti a volere offrire validi rimedi ed aiuti alla famiglia. La Chiesa, conformemente alla sua missione, — il Sinodo in corso in questi giorni ne è una testimonianza — è pronta ad offrirle la «medicina evangelii», il « remedium salutis ».

2. Tutti abbiamo seguito con animo commosso e grato le parole di coloro che hanno voluto recare qui la loro testimonianza vissuta. Sono stati racconti brevi, che ci hanno tuttavia consentito di intravvedere, dietro le frasi necessariamente laconiche, autentici poemi d'amore e di dedizione, i cui singoli capitoli conosceremo a fondo nel Eegno di Dio,

* **Die 12 m. Octobris a. 1980.**

e farà parte anche questo della gioia perfetta di allora. Mi dispiace di non poter riprendere e sviluppare tutti i temi, che sono stati qui evocati con la vivacità, la freschezza, la forza, proprie di ogni testimonianza radicata nell'esperienza personale.

Non posso tacere, tuttavia l'apprezzamento con cui ho ascoltato, ad esempio, i due giovani fidanzati parlare della prevalenza da loro data ai valori spirituali, rispetto a quelli materiali, nella preparazione del loro matrimonio. E così mi ha colpito la lucidità con cui è stata sottolineata, nelle diverse testimonianze, l'incidenza positiva, che Firnpegno di vivere castamente l'amore ha avuto sulla sua crescita e sulla sua maturazione. In mezzo a tante voci, che nella nostra società permissiva esaltano la « libertà)) sessuale come fattore di pienezza umana, è giusto che si levi anche la voce di coloro che, nella quotidiana esperienza di un sereno e generoso autocontrollo, hanno potuto scoprire una fonte nuova di conoscenza reciproca, di intesa più profonda, di libertà autentica.

Ho rilevato, altresì, con intima gioia che le varie coppie hanno mostrato di sentire come un'esigenza ((naturale » del loro amore quella di aprirsi ai fratelli, per offrire a chi era nel bisogno comprensione, consiglio, aiuto concreto : la dimensione altruistica fa parte dell'amore vero che, donandosi, invece di impoverirsi e di disperdersi, si trova arricchito, vivacizzato e consolidato.

Un dato emergente nelle varie esperienze presentate è stata la consapevolezza, avvertibile nelle parole di tutti, che l'amore autentico costituisce la chiave di soluzione di tutti i problemi, anche dei più drammatici, come quelli del fallimento del matrimonio, della morte del coniuge o di un figlio, della guerra. La via d'uscita — è stato detto — è sempre e solo l'amore ; un amore più forte della morte.

L'amore umano è, però, una realtà fragile ed insidiata : esplicitamente lo hanno riconosciuto tutti. Esso, per sopravvivere senza isterilirsi, ha bisogno di trascendersi. Solo un amore che s'incontra con Dio può evitare il rischio di perdersi lungo la strada. Da angolature diverse, quanti hanno parlato ci hanno reso testimonianza dell'importanza decisiva che nella loro vita ha avuto il dialogo con Dio, la preghiera. Nella vicenda di ciascuno ci sono stati momenti in cui solo attraverso il volto di Dio è stato possibile riscoprire i veri lineamenti del volto della persona cara.

Ecco alcune delle bellissime cose che ci sono state dette oggi da

questi nostri Fratelli e Sorelle. Siamo loro grati perché ora, dopo averli ascoltati, ci sentiamo più ricchi. Siamo pienamente consci, infatti, di aver molto da imparare da chi sta cercando di vivere con coerenza le insondabili ricchezze di un sacramento. È sulla scia delle testimonianze testé ascoltate che voglio ora esprimere, quasi proseguendo un dialogo, alcuni miei pensieri.

3. E innanzitutto mi preme dire : bisogna ridare fiducia alle famiglie cristiane. Nella bufera in cui si trova, posta com'è sotto accusa, la famiglia cristiana è sempre più spesso tentata dallo sconforto, dalla sfiducia in se stessa e dal timore. Dobbiamo, pertanto, dirle, con parole vere e convincenti, che essa ha una missione e un posto nel mondo contemporaneo e che, per adempiere tale compito, essa porta in sè formidabili risorse e valori imperituri.

genes et sanctus Cyprianus iam animadverterat ante sanctum Augustinum[8] — confirmabat fidem Ecclesiae in originale peccatum et sic consequenter necessitas baptizandi parvulos clarius eluxit. Hoc sensu ducti intervenerunt Romani Pontifices Siricius[9] et Innocentius I;[10] deinde a Concilio Carthaginiensi anno 418 damnatur « quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat», atque haec docentur; « propter ... regulam fidei » quam tenet Ecclesia de peccato originali, « etiam parvuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt

7. Haec doctrina constanter inculcata et vindicata est decursu Medii Aevi. Viennense praesertim Concilium, anno 1312, clara in luce posuit « tam parvulis quam adultis conferri in baptismo informantem gratiam et virtutes » et non solum culpam remitti.[12] Florentinum vero Concilium, anno 1442, eos reprehendit qui hoc sacramentum differendum contendunt, admonetque infantibus « quamprimum commode fieri potest, debere conferri » baptisma « per quod eripiuntur a diaboli dominatu et in Dei filios adoptantur ».[13]

Tridentinum autem Concilium damnationem a Carthaginiensi Concilio latam iterat,[14] atque argumentum sumens ex

[8] ORIGENES, *In Leviticum hom.* 8, 3, *PG* 12, 496; *In Lucam hom.* 14, 5, *PG* 13, 1835; S. CYFRIANUS, *Epist.* 59, 5, *PL* 3, 1018 B, ed. HÄRTEL *(CSEL* 3) p. 720; S. AUGUSTINUS, *De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum* 1, 17-19, 22-24, *PL* 44, 121-122; *De gratia Christi et de peccato originali* lib. 1, 32, 35, *ibid.*, 377; *De praedestinatione sanctorum* 13, 25, *ibid.*, 978; *Opus imperfectum contra Iulianum*, lib. 5, 9, *ibid.* 1439.

[9] *Epist.* « *Directa ad decessorem* » *ad Himerium episc. Tarraconensem*, 10 febr. 385, n. 2, DENZ.-SCHÖN. (= DENZINGER-SCHÖNMETZER, *Enchiridion symbolorum*Herder, ed. 1965), n. 184.

[10] *Epist.* « *Inter ceteras Ecclesiae Romanae* » *ad Silvanum et ceteros Synodi Melevitanae Patres*, 27 ian. 417, § 5, DENZ.-SCHÖN., n. 219.

[11] Can. 2, MANSI 3, 811-814 et 4, 327 AB, DENZ.-SCHÖN., n. 223.

[12] *Viennense Concilium*, MANSI 25, 411 *CD*, DENZ.-SCHÖN., nn. 903-904.

[13] *Florentinum Concilium*, sess. 11, DENZ.-SCHÖN., n. 1349.

[14] Sess. 5, can. 4, DENZ,-SCHÖN., n. 1514. Cf. *Carthaginiense Concilium anno* 418, v. *supra*, n. 11.

verbis a Iesu Nicodemo dictis, declarat neminem « post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis aut eius voto » iustificari posse.[15] Inter errores, qui a Concilio anathemate plectuntur, notatur opinio Anabaptistarum asseverantium ((praestare omitti eorum (parvulorum) baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae ».[16]

8. Varia Concilia regionalia et Synodi, quae post Tridentinum Concilium celebrata sunt, pari firmitate docuerunt necessitatem parvulos baptizandi. Etiam Paulus VI perantiquam de hac re doctrinam sollemniter revocavit, declarans « baptismum etiam parvulis esse conferendum, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerint, ita ut gratia supernaturali in ortu privati, renascantur ex aqua et Spiritu Sancto ad vitam divinam in Christo Iesu ».[17]

9. Documenta Magisterii quae supra relata sunt ad repellendos errores praecipue spectabant; longe tamen abest ut divitias exhauriant doctrinae de baptismo, qualis exponitur in Novo Testamento, in SS. Patrum catechesibus et in Ecclesiae doctorum institutione : baptismus enim praevenientem amorem Patris manifestat, Filii paschalis mysterii participes facit homines, novam in Spiritu vitam cum ipsis communicat, eosdem in Dei hereditatem introducit, atque Corpori Christi aggregat, quod est Ecclesia.

10. Quae cum ita se habeant, verba quibus Christus in Evangelio secundum Ioannem nos admonet : « Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei »,[18] accipienda sunt tamquam universalis et infiniti amoris invitatio ; verba sunt Patris qui filios universos vocat eisque maximum

[15] Sess. 6, cap. 6, DENZ.-SCHÖN., n. 1524.
[16] Sess. 7, can. 13, DENZ.-SCHÖN., n. 1626.
[17] *Sollemnis professio fidei,* n. 18, *AAS* 60, 1968, p. 440.
[18] *Io* 3, 5.

bonum exoptat. Qua irrevocabili vocatione instanter premente, homo nequit se indifferentem habere vel neutrius partis esse, quia nonnisi eam accipiendo destinatum sibi finem adipisci valet.

Ecclesiae missio

11. Ecclesia officium habet illi missioni respondendi quam Christus post resurrectionem suam Apostolis concredidit, quaeque modo peculiariter sollemni in Evangelio secundum Matthaeum refertur: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ».[19] Fidei transmissio atque baptismi administratio, quae ex hoc Christi mandato arcte inter se colligantur, necessariae partes habendae sunt Ecclesiae missionis, quae universalis est nec umquam poterit desinere esse talis.

12. Quam quidem missionem Ecclesia iam inde a primaeva aetate ita intellexit, et quidem non solum quoad adultos.

Verba enim quae Iesus Nicodemo dixerat, Ecclesia semper ita intellexit scilicet « parvulos baptismate non esse privandos ».[20] Haec verba revera habebant formam adeo universalem atque absolutam ut a Patribus apta retinerentur ad necessitatem baptismi statuendam et a Magisterio expresse ad parvulos applicarentur:[21] pro eis quoque hoc sacramentum habendum est introitus in populum Dei[22] et propriae salutis ianua.

13. Sua itaque docendi et agendi ratione Ecclesia ostendit se nullam aliam novisse viam, praeter baptismum, ad certo

[19] *Mt* 28, 19; *Me* 16, 15-16.

[20] *Ordo baptismi parvulorum, Praenotanda,* n. 2, p. 15.

[21] Cf. *supra,* n. 8, laudatos Patrum locos, nn. 9-13, Conciliorum. Addi potest Professio fidei patriarchae Dosithaei Hierosolymitani (an. 1672), MANSI, 34, 1746.

[22] « Nihil agitur aliud, cum parvuli baptizantur, nisi ut incorporantur Ecclesiae, id est, Christi corpori membrisque socientur », scribit S. Augustinus {*De peccatorum meritis et remissione et de baptismo parvulorum,* lib. 3, c. 4, n. 7, *PL* 44, 189; - cfr lib- 1> ‹- 26, n. 38, *ibid,* 131),

procurandum parvulis ingressum in aeternam beatitudinem; quapropter ipsa cavet ne acceptam a Domino missionem neglegat praebendi omnibus qui baptizari possunt regenerationem « ex aqua et Spiritu Sancto ». Quod autem attinet ad illos infantes qui decesserunt sine baptismate, Ecclesia nihil aliud agere potest nisi eos misericordiae Dei committere, ut reapse facit in ritu funerum pro iis condito.[23]

14. Quod infantes fidem suam nondum per se profiteri queunt, minime impedit quominus Ecclesia eis hoc sacramentum conferat, cum revera in sua ipsius fide eos baptizet. Istud doctrinae caput iam a sancto Augustino clare definitum est; scribebat enim : « Offeruntur quippe parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus (quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt), quam ab universa societate sanctorum atque fidelium ... Tota hoc ergo mater Ecclesia, quae in sanctis est, facit, quia tota omnes, tota singulos parit ».[24] Quam doctrinam sanctus Thomas Aquinas ac post illum omnes theologi resumunt: infans qui baptizatur non per se ipsum seu per proprium actum sed per alios credit, « per fidem Ecclesiae quae ei communicatur ».[25] Eadem doctrina proponitur etiam in instaurato baptismi Rituali, cum celebrans parentes et patrinum ac matrinam rogat ut fidem Ecclesiae profiteantur in qua parvuli baptizantur.[26]

15. Quamvis vero conscia sit Ecclesia de efficacitate suae fidei, quae in baptismo infantium operatur, necnon de validitate sacramenti quod eis confert, quosdam tamen in sua praxi limites agnoscit, cum infantem, extra periculum mortis, non admittat ad sacramentum nisi de parentum consensu et seria

Ordo exsequiarum, ed. typica, Romae, 15 augusti 1969, nn. 82, 231-237.

Epist. 98, 5, *PL* 33, 362, *CSEL* 34, p. 526; cf. *Sermo* 176, c. 2, n. 2, *PL* 38, 95Ü.

Summa theologica, IIIa pars, qu. 69, art. 6, ad 3; cf. qu. 68, art. 9 ad 3.

Ordo baptismi parvulorum. Praenotanda, n. 2; cf. n. 56.

cautione accepta ut baptizato institutio catholica tradatur:[27] ipsi enim cura est sive de naturalibus parentum iuribus, sive de exigentiis fidei progressus in parvulo.

PARS SECUNDA

RESPONSA AD DIFFICULTATES HOC TEMPORE EXORTAS

16. Ratione habita doctrinae supra memoratae, iudicandae sunt nonnullae opiniones quae hoc tempore de parvulorum baptismo proferuntur, quibus legitimitas huius usus qua regulae generalis in controversiam adducitur.

Baptismi cum actu fidei connexio

17. Nonnulli, cum animadvertant in scriptis Novi Testamenti baptismum praedicationem Evangelii consequi, praeviam animi conversionem exigere atque cum fidei professione coniungi, ac praeterea gratiae effectus (videlicet remissionem peccatorum, iustificationem, regenerationem, vitae divinae participationem) plerumque e fide potiusquam e sacramento pendere,[28] proponunt ut hic ordo : praedicatio, fides, sacramentum, vim normae accipiat atque, extra mortis periculum, ad parvulos extendatur et pro eis obligatorius instituatur catechumenatus.

18. Sine dubio Apostolorum praedicatio ordinarie ad adultos dirigebatur atque primi baptizati fuerunt homines ad christianam fidem conversi. Cum autem haec facta referantur in libris Novi Testamenti id opinionem ingerere potest illic nonnisi in fidem adultorum considerationem intendi. At consue-

[27] **Diuturna enim exstat traditio, ad cuius auctoritatem appellarunt S. Thomas Aquinas, II^{a}-II^{ae}, qu. 10, art. 12 corp. et Benedictus XIV (Instr. *Postremo mense* data 28 febr. 1747, nn. 4-5, DENZ.-SCHÖN., nn. 2552-2553) iuxta quam haud baptizandus est infans e parentibus infidelibus vel hebraeis ortus, extra mortis periculum *(CIC,* can. 750. § 2), invitis iisdem parentibus; id est nisi ipsi hoc petierint et cautiones praebuerint.**

[28] **Cf. *Mt* 28, 19; *Me* 16, 16; *Act* 2, 37-41; 8, 35-38; *Rom* 3, 22. 26; *Gal* 3, 26.**

tudo parvulos baptizandi ut supra memoratum est innititur in traditione immemorabili quae ex Apostolis originem ducit, cuiusque momentum recusari nequit; praeterea numquam confertur baptismus sine fide, quae pro parvulis est fides Ecclesiae.

Insuper, iuxta doctrinam Concilii Tridentini de sacramentis, baptisma non est mere signum fidei, sed etiam eius causa.[29] In baptizatis operatur « internam illuminationem », ideoque recte liturgia byzantina illud nuncupat « sacramentum illuminationis)) vel simpliciter « illuminationem », videlicet fidem receptam, quae animos invadit ut caecitatis velamen coram Christi splendore tollatur.[30]

Baptismi convenientia cum gratia personaliter suscipienda

19. Affirmatur praeterea quamlibet gratiam, utpote quae alicui personae destinetur, ab eo, qui eandem recipit, conscio modo accipi atque fieri propriam debere; cui rei efficiendae infans prorsus impar est.

20. At infans est revera persona, multo antea quam id significare valeat per actus conscientiae et libertatis; et qua talis, ipse iam fieri potest per sacramentum baptismi filius Dei et coheres Christi. Postea, ubi primum conscientiae et libertatis exercitium haberi poterit, tunc his facultatibus praesto erunt vires quae per gratiam baptismi animo inditae fuerunt.

Baptismi convenientia cum parvuli libertate

21. Obicitur praeterea parvulorum baptismum ipsorum libertati officere. Etenim contra personae dignitatem est ut iisdem imponantur religiosae obligationes in futurum tempus servandae, quas ipsi fortasse repudiaturi sunt. Melius igitur

[29] ***Concilium Tridentinum,*** **sess.** 7, ***Decr. de sacramentis,*** **can. 6,** DENZ.-SCHÖN., **n.** 1606.

[30] **Cf. *2 Cor* 3, 15-16.**

est si ea tantum aetate sacramentum conferatur, qua ipsi liberae sponsionis capaces facti erunt. Interea parentes atque educatores se caute gerere et a quavis sollicitatione abstinere debent.

22. At huiusmodi agendi ratio prorsus fallax censenda est: nulla libertas humana tam pura exsistit, ut a quovis influxu immunis esse possit. Si ipse rerum naturalium ordo consideretur, animadvertimus parentes pro filiis optiones facere circa ea quae ipsorum vitae necessaria sunt et ad veros valores eosdem dirigunt. Agendi ratio familiae quae se profiteatur neutrius esse partis circa religiosam pueri vitam, fit reapse damnosa optio, quippe quae essentiali quodam bono eum privet.

Praesertim, qui contendunt per sacramentum baptismi vim inferri parvuli libertati, ii non animadvertunt omnes homines, etiam non baptizatos, qua creaturas adstringi erga Deum officiis quae praetermitti non possunt, quaeque baptismus confirmat et in filiali adoptione effert. Pariter non animadvertunt in Novo Testamento ingressum in christianam vitam nobis exhiberi non veluti quandam formam servitutis vel coercitionis, sed tamquam aditum ad veram libertatem.[31]

Accidere quidem poterit, ut puer, cum adoleverit, obligationes e baptismo suo manantes respuat. Attamen eius parentes, quamvis hac de causa dolore affici possint, nihil certe habebunt quod eos paeniteat, si, ut ipsorum ius et officium erat, baptismum et christianam educationem filio procuraverint.[32] Nam, secus ac res se habere videantur, fidei germina in eius animo condita fortasse aliquando reviviscent, parentibus etiam adiuvantibus patientia et amore, oratione et genuino fidei testimonio.

[31] *Io* 8, 36; *Rom* 6, 17-22; 8, 21; *Gal 4,* 31; 5, 1. 13; *1 Pe 2,* 16, etc.

[32] Hoc officium et ius, explanatum a Concilio Vaticano II in sua Declar. *Dignitatis humanae,* n. 5, inter nationes agnoscitur: *Universa Declaratio hominis iurium,* art. 26, n. 3.

Baptismus in societatis adiunctis consideratus

23. Sunt praetera qui, ad illum nexum advertentes quo persona coniungitur cum societate, existiment expedire quidem ut infantes baptizentur in societate quae formam homogeneam exhibeat, in qua scilicet valores, iudicia et mores quoddam efficiant cohaerens systema; esse tamen haud opportunum in hodiernis societatibus quae pluralisticae dicuntur, quae scilicet instabili valorum aestimatione et opinionum conflictatione distinguuntur. Quibus in adiunctis, dicunt expedire ut differatur baptismus, donec satis maturuerit candidati personalitas.

24. Sine dubio Ecclesia non ignorat sibi debitam rationem habendam esse realitatis socialis. Homogeneitatis tamen et pluralismi criteria vim tantum indicativam habent, neque accipienda sunt pro normativis principiis, cum imparia sint ad solvendam quaestionem proprie religiosam, quae suapte natura ad Ecclesiam et ad christianam familiam pertinet.

Criterium enim « homogeneae societatis » permittit quidem legitimum haberi parvulorum baptismum, si societas est christiana; idem tamen criterium conducere potest etiam ad hanc legitimitatem negandam, cum christianae familiae numero pauciores sunt, quia in societate maiore ex parte adhuc pagana degunt vel in republica quae atheismum militantem propugnat; quod quidem, ut patet, minime admitti potest.

Criterium vero « pluralisticae societatis » haud plus valet quam criterium supra memoratum, quia in huiusmodi societate familia et Ecclesia libertate agendi fruuntur, ac proinde christianam institutionem procurare possunt.

Ceterum, qui historiam perpendat, probe noverit quantopere cohibita esset missionalis Ecclesiae dilatatio primis saeculis, si tunc temporis criteria ista « sociologica » observata essent. Accedit quod nostro tempore nimium saepe appellatio fit ad <(pluralismum », ut inopinato sane modo imponantur fidelibus agendi rationes, quae reapse eos in suo libertatis christianae iure impediunt.

In societate igitur, cuius mentis habitus, mores ac leges, iam non amplius ab Evangelio normas sumunt, maxime interest ut in perpendendis quaestionibus, quae a baptismo parvulorum oriuntur, in primis ratio habeatur naturae et missionis propriae Ecclesiae. Populus Dei, etsi societati humanae admisceatur atque ex diversis gentibus diversisque culturis constet, nihilominus suam habet « identitatem », quae fidei et sacramentorum unitate distinguitur. Eodem spiritu eademque spe animatus, ipse quandam efficit organicam compaginem, quae apud varios hominum coetus apta est ad gignendas structuras sibi ad crescendum necessarias. Pastoralis Ecclesiae actio circa sacramenta, peculiarique modo circa parvulorum baptisma, aptanda est huic rerum statui, minime vero e criteriis, quae unice e scientiis humanis hauriuntur, pendere debet.

Infantium baptismus in pastorali actione circa sacramenta

25. Alia denique additur obiectio contra infantes baptizandi morem, quasi procedat e pastorali ratione, quae missionali afflatu careat, cuique maiori curae sit sacramentum ministrare quam fidem excitare et Evangelii^actuositatem promovere. Quem morem retinendo, Ecclesiam cedere dicunt tentationi ad numerum respiciendi et socialem statum stabiliendi; incitare ad magicum quemdam sacramentorum conceptum servandum, cum contra eius munus sit ad activitatem missionalem attendere, christianorum fidem adducere ad maturitatem, eorum promovere liberam et consciam sponsionem ideoque quosdam itineris gradus in sua pastorali ratione circa sacramenta admittere.

26. Profecto Ecclesiae apostolatus eo tendere debet, ut vivida fides suscitetur atque genuina christiana vita foveatur; at ea quae ratio pastoralis erga adultos requirit in sacramentorum administratione, nequeunt parvulis simpliciter applicari, qui, ut supra memoratum est, «in fide Ecclesiae» baptizantur. Praeterea haud parvi pendenda est sacramenti necessitas, quae

totum suum momentum et vim urgentem servat, praecipue cum parvulo procurandum sit infinitum vitae aeternae bonum.

Quod autem attinet ad sollicitudinem respiciendi numerum, id, si recte intellegatur, tantum abest ut habeatur pro Ecclesia tentatio vel malum, ut sit revera eius officium et bonum. Ecclesia, enim, quae a sancto Paulo ut Christi « corpus » et « plenitudo » definitur,[33] visibile est in mundo Christi sacramentum; eius missio est ad omnes homines extendere sacramentale vinculum, quo Domino suo glorificato coniungitur. Ideoque non potest facere quin optet ut primum et fundamentale sacramentum, hoc est baptismus, omnibus, parvulis aeque ac adultis, conferatur.

Si ita intellegatur, praxis administrandi baptismum parvulis vere evangelica est, quippe quae vim testimonii prae se ferat; patefacit enim nos a Deo praeveniri, eiusque gratuito amore vitam nostram circumfundi : « non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse dilexit nos ... Nos diligimus, quia Ipse prior dilexit nos ».[34] Quae autem etiam ab adultis ad baptismum suscipiendum postulantur,[35] oblitterari non sinunt id quod scriptum est : « Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti ».[36]

PARS TERTIA

NONNULLAE PASTORALES NORMAE DIRECTORIAE

27. Etsi impossibile est quasdam hodiernas admittere sententias, quales eae sunt quae contendunt prorsus esse tollendum usum parvulos baptizandi, vel arbitrio relinquendum, certis de causis, utrum baptismus statim conferatur an prola-

[33] *Eph* 1, 23.

[34] *1 Io* 4, 10. 19.

[35] Cf. *Concilium Tridentinum,* sess. VI, *De iustificatione,* cap. 5-6, can. 4 et 9, DENZ.-SCHÖN., nn. 1525-1526, 1554, 1559.

[36] *Tit* 3, 5,

tetur, non potest tamen negari necessitas pastoralis laboris profundioris atque aliqua ex parte renovati cuius principia et summa lineamenta nunc expedit indicare.

Principia huius pastoralis navitatis

28. Magni interest in primis in memoriam revocare baptismum parvulorum habendum esse grave officium; quaestiones quae de eo pastoribus ponuntur, non aliter solvendae sunt nisi fideliter attendendo ad doctrinam et perpetuam praxim Ecclesiae.

Actio pastoralis circa parvulorum baptisma concrete regenda est duobus principiis, quorum alterum priori subicitur.

1) Baptismus, ad salutem necessarius, signum est et instrumentum praevenientis amoris Dei, qui ab originali peccato liberat, atque vitae divinae consortium communicat: ex se, horum bonorum donum pro parvulis differendum non est.

2) Cautiones praestandae sunt, ut hoc donum per genuinam fidei et vitae christianae educationem ita crescere possit, ut sacramentum totam suam « veritatem » attingat.[37] Istae cautiones regulariter praestantur a parentibus vel propinquis, etsi suppleri possunt variis modis in christiana communitate. Si tamen istae cautiones revera seriae non sunt, id causa esse poterit cur sacramentum differatur; si denique certo nullae sunt, sacramentum denegandum est.

Dialogus pastorum cum familiis fidem habentibus

29. Ratione habita horum duorum principiorum, realis singulorum casuum condicio expendenda erit per colloquium pastorale inter sacerdotem et familiam. Quoad modum instituendi colloquium cum christianis parentibus qui religiosa officia assidue observant, normae traditae sunt in Praenotandis Ritualis Romani, quorum hic duas res significantiores memorare satis sit.

[37] Çf. *Ordo baptismi parvulorum, Praenotanda,* n. 3, p. 15.

Imprimis, magnum momentum tribuendum est praesentiae atque activae parentum participationi in celebratione; ipsi iam priores agunt partes, respectu habito patrinorum et matrinarum, quorum praesentia tamen etiam requiritur, cum eorum auxiliatrix opera in educatione pretiosa sit atque interdum necessaria.

Deinde, magnum momentum tribuendum est baptismi praeparationi. Parentes debent de eo sollicitudinem habere, pastores suos de exspectato partu certiores facere, suum animum spiritaliter praeparare. Pastores autem familias visitabunt, immo plures simul adunabunt eisque catechesim atque opportuna monita praebebunt; ad orandum denique eas incitabunt pro filiis, quos mox accepturae sint.[38]

Quod autem attinet ad tempus baptismi celebrandi, standum erit hic Ritualis monitis : « Ratio habeatur in primis salutis parvuli, ne hic beneficio sacramenti privetur; deinde valetudinis matris, ut, quantum fieri possit, et ipsa adesse possit; demum, dummodo hoc praestantiori bono infantis non obsit, necessitatis pastoralis, id est temporis sufficientis ad praeparandos parentes et ad ipsam celebrationem congrue ordinandam, ut indoles ritus apte manifestetur ». Itaque baptismus celebrabitur, « si parvulus in periculo mortis versatur, sine mora », secus, regulariter, « infra priores hebdomadas post nativitatem parvuli ».[39]

Dialogus pastorum cum familiis parum credentibus vel non christianis

30. Fieri potest ut pastores adeantur a parentibus modicae fidei atque religionem per occasionem tantum observantibus, vel etiam a parentibus non christianis, qui ex rationibus consideratione dignis baptismum pro filio petunt.

[38] **Cf. *ibid.*, n. 8, § 2, p. 17; n. 5, §§ 1 et 5, p. 16.**
[39] ***Ibid.* n. 8, § 1, p. 17.**

Quo in casu, colloquio perspicaci necnon benevolentiae pleno pastores conabuntur eorum studium suscitare iri sacramentum quod petunt atque eos monere de obligatione quam contrahunt.

Ecclesia enim huiusmodi parentum desiderio satisfacere non potest, nisi data ab eis cautione, baptizatum parvulum postea institutione christiana donatum iri, quam sacramentum requirit, itemque spem fundatam habere debet baptismum fructus suos esse daturum.[40]

Si sufficientes sunt cautiones allatae — cuiusmodi sunt electio patrinorum seu matrinarum, qui sincero animo curam suscipiant parvuli, vel auxilium fidelium communitatis, — tunc sacerdos non poterit recusare quominus baptismum sine mora celebret, eodem modo quo ipse se gerit erga christianarum familiarum filios. Si contra cautiones insufficientes erunt, baptismus prudenter differatur; pastores tamen cum parentibus commercium servare debent, ita ut si fieri potest, condiciones ab ipsis ponendae obtineantur, quae necessariae sunt ad sacramentum celebrandum. Denique, si ne id quidem fieri poterit, proponi potest tamquam extrema ratio adscriptio parvuli alicui catechumenatui, tempore scholarum frequentando.

31. Hae normae, quae iam latae sunt et vigent,[41] adhuc nonnullis explanationibus indigent.

Imprimis manifestum esto huiusmodi baptismi denegationem nullo modo habendam esse formam quandam coercitionis. Ceterum nec de denegatione hic agitur, nec multo minus de personarum acceptione, sed de paedagogica dilatione, quae eo spectat, ; ut familia pro sua condicione vel in fide progrediatur vel magis conscia fiat suarum obligationum.

[40] Cf. *iMd.*, n. 3, p. 15.

[41] Edictae primum per Litteras huius Congregationis pro Doctrina Fidei ad respondendum petitioni Exc. DD. Bartholomaei Hanrion, episc. Dapangensis in Togo, hae normae publici iuris factae sunt, insimul ac praedicti episcopi petitio in ephemeridibus *Notitiae* 61, 1971 (an. 7), pp. 64-70.

Quod ad cautiones attinet, sufficiens existimanda est ea promissio, ex qua spes fundata habeatur pueros in christiana religione institutum iri.

Inscriptio, quae forte fiat, ut in futurum catechumenatus frequentetur, nullo ritu ad id condito celebrari debet, qui facile sacramenti ipsius instar aestimari possit. Manifestum etiam esto, huiusmodi inscriptionem non esse revera ingressum in catechumenatum, neque parvulos, qui sic inscribantur, pro catechumenis habendos esse cum omnibus huic statui adnexis praerogativis. Posteriore tempore praesentandi erunt ad aptum aetati suae catechumenatum. Ad rem quod attinet, expresse declarandum est, si in *Ordine initiationis christianae adultorum* extet *Ordo initiationis puerorum qui aetatem catecheticam adepti sunt,*[42] hoc nullatenus significare Ecclesiam malle aut considerare tamquam ordinariam baptismi dilationem ad illam aetatem.

Denique, in iis regionibus ubi parum credentes vel non christianae familiae constituunt maiorem incolarum partem, adeo ut ibidem iure conferentiae Episcopales introduxerint communem normam pastoralem de servando temporis intervallo longiore quam in lege generali ante baptismi celebrationem,[43] christianae familiae ibi degentes integrum suum ius retinent citius suos filios baptizandi. His ergo sacramentum conferendum est, uti Ecclesia exoptat et istarum familiarum fides atque animi magnitudo merentur.

Munus familiae necnon communitatis paroecialis

32. Pastoralis opera, quae parvulorum baptismi occasione peragitur, inserenda est in latiorem navitatem quae extendatur ad familias necnon ad totam christianam communitatem.

[42] **Cf. *Ordo initiationis christianae adultorum,* Romae, ed. typica, 6 ian. 1972, cap. 5, pp. 125-149.**

[43] **Cf. *Ordo baptismi parvulorum, Praenotanda* n. 8, §§3-4, p. 17.**

Quam ad rem magni momenti est impensior pastoralis actio, quae dirigatur ad sponsos qui matrimonii praeparandi causa conveniunt, ac deinde ad coniuges recenter matrimonio iunctos. Pro adiunctis, tota sollicitanda erit ecclesialis communitas, ac praecipue educatores, christiani coniuges, consociationes actionis familiaris, religiosae congregationes atque saecularia instituta. Huic apostolatui sacerdotes magnas tribuant partes. Parentes praecipue de ipsorum officio excitandae et educandae filiorum fidei commoneant. His enim cum demandatur ut religiosam parvuli initiationem inchoent, eum doceant Christum tamquam propinquum amicum diligere, eius denique conscientiam efforment. Hoc opus eo fecundius faciliusque evadet, quo magis innitetur in baptismi gratia, in animo parvuli infusa.

33. Ut clare indicat Rituale, paroecialis communitas et praesertim christianorum coetus qui necessitudine atque vicinitate cum hac familia coniuncti sunt, partem habere debent in hoc pastorali baptismi opere. Etenim « ad populum Dei, hoc est Ecclesiam, quae fidem ab Apostplis acceptam tradit et nutrit, praeparatio baptismi et christiana institutio summopere pertinet ».[44] Quae actuosa populi christiani participatio, iam in praxim adducta cum de adultis agitur, pariter exigitur in parvulorum baptismo, ubi «populus Dei, hoc est Ecclesia, communitate locali repraesentata ... magnas partes habet ».[45] Ceterum communitas ipsa magnum spirituale et apostolicum beneficium percipiet e baptismi celebratione. Denique, post liturgicam celebrationem, opus communitatis adhuc continuabitur, cum adulti conspirabunt ad fidem iuvenum educandam tum suae vitae christianae testimonio, tum participatione in variis catecheseos operibus.

[44] ***Ibid., De initiatione christiana Praenotanda generalia,*** **n. 7, p. 9.**

[45] ***Ibid., Praenotanda,*** **n. 4, p. 15.**

CONCLUSIO

Congregatio pro Doctrina Fidei ad Episcopos sese dirigens, plene confidit ut ipsi, in exercitio muneris a Domino accepti, curae sibi habeant Ecclesiae doctrinam de baptismi parvulorum necessitate in mentem revocare, aptam rationem pastoralem promovere, atque ad traditam disciplinam eos reducere qui, pastoralibus sollicitudinibus consideratione dignis fortasse compulsi, ab illa discesserint. Exoptat etiam, ut de huius Instructionis doctrina atque normis directoriis certiores fiant omnes pastores, christiani parentes et Ecclesiae communitates, ita ut omnes conscii evadant suarum obligationum, et per parvulorum baptismum atque eorum christianam educationem ad profectum Ecclesiae, quae est Corpus Christi, sociam operam conferant.

Hanc Instructionem in Conventu ordinario huius Sacrae Congregationis deliberatam, Summus Pontifex Ioannes Paulus P.P. II, in Audientia infrascripto Cardinali Praefecto concessa, adprobavit et publici iuris fieri iussit.

Romae, ex Aedibus S. Congregationis pro Doctrina Fidei, die 20 Octobris 1980.

FRANCISCUS Card. ŠEPER
Praefectus

68 Fr. **HIERONYMUS HAMER**, O. P.
Archiepiscopus tit. Loriensis
Secretarius

SACRA CONGREGATIO PRO EPISCOPIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Latis decretis a Sacra Congregatione pro Episcopis, Ioannes Paulus Pp. II iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit. Videlicet :

die 18 Martii 1980. — Archiepiscopali Eccclesiae Consentinae et Cathedrali Ecclesiae Bisinianensi Exc. P. D. Dinum Trabalzini, hactenus Episcopum Reatinum.

die 2 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Agrigentinae Exc. P. D. Aloisium Bommarito, hactenus Episcopum titularem Vannidensem.

die IS Maii. — Cathedralibus Ecclesiis Thermularum et Larinensi R. D. Cosmum Franciscum Ruppi, dioecesis Conversanensis, moderatorem Instituti Pastoralis Apuliae.

die 14 Maii. — Cathedrali Ecclesiae Reatinae Exc. P. D. Franciscum Amadio, hactenus Episcopum Valvensem et Sulmonensem.

die 28 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Beniaminacevalensi, noviter erectae, R. D. Marium Melanium Medina Salinas, vicerectorem seminarii minoris nationalis in urbe Ss.mae Assumptionis.

die 31 Iulii. — Archiepiscopali ^Ecclesiae Catacensi et Cathedrali Ecclesiae Squillacensi Exc. P. D. Antonium Cantisani, hactenus Archiepiscopum Rossanensem et Episcopum Cariatensem.

— Archiepiscopali Ecclesiae Rossanensi et Cathedrali Ecclesiae Cariatensi Exc. P. D. Seraphinum Sprovieri, hactenus Episcopum tit. Themisonensem.

die 8 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Astensi Exc. P. D. Franciscum Sibilla, hactenus Episcopum Savonensem et Naulensem.

die 16 Septembris. — Cathedrali Ecclesiae Policastrensi Exc. P. D. Humbertum Lucianum Altomare, Episcopum Dianensem.

die 11 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Tagamnae, noviter erectae, Exc.mum P. D. Petrum Dean, hactenus Episcopum Praelatum eiusdem sedis.

die 27 Octobris. — Titulari episcopali Ecclesiae Tiseditanae R. D. Georgium Ardila Serrano, e clero dioecesis Succursensis et S. Aegidii,

Coetus episcoporum Columbiae a secretis, quem constituit Auxiliarem E.mi P. D. Hannibalis S. R. E. Cardinalis Muñoz Duque, Archiepiscopi Bogotensis.

die 30 Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Papatlensi Exc.mum P. D. Laurentium Cárdenas Aregullín, hactenus Episcopum titularem Crepedulensem et Auxiliarem dioecesis Tehuacaniensis.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Silensi, R. D. Leontium Lat y Leviste, e clero Lipensi, Apostolicum Visitatorem seminariorum maiorum in Insulis Philippinis, quem deputavit Auxiliarem Episcopi Malolosini.

die 6 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Mariborensi R. D. Franciscum Kramberger, moderatorem seminarii minoris eiusdem dioecesis.

die 7 Novembris. — Coadiutorem c. j. s. Exc.mi P. D. Eurici Kräutler, C. PP. S., Episcopi Praelati Xinguensis, R. P. Hervinum Kräutler, C. PP. S., hactenus temporalium bonorum administratorem eiusdem Praelaturae.

— Titulari Episcopali Ecclesiae Theleptensi, R. D. Paulum Lopes de Faria, e clero Bellohorizontino, quem deputavit Auxiliarem Exc.mi P. D. Iosephi Gonçalves da Costa, C. SS. R., Archiepiscopi Nictheroyensis.

die 8 Novembris. — Metropolitanae Ecclesiae S. Ioannis de Cuyo Exc.mum P. D. Italum Severinum Di Stefano, hactenus Episcopum Sancti Rochi.

— Cathedrali Ecclesiae Sanctissimae Conceptionis in Argentina R. P. Georgium Meinvielle, sodalem Societatis S. Francisci Salesii.

die 19 Novembris. — Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Episcopi Praelati Marbeliani, R. D. Dinualdum Gutiérrez, Vicarium Generalem Archidioecesis Capicensis.

die 21¡. Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Aversanae Exc. P. D. Joannem Gazza, hactenus Episcopum titularem Circesiensem.

die 21 Novembris. — Cathedrali Ecclesiae Sorsogonensi Exc.mum P. D. Jesum Várela, hactenus Episcopum Ozamisanum.

SACRA CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE SEU DE PROPAGANDA FIDE

i

DECRETUM

GIENNENSIS IN PERUVIA SEU SANCTI FRANCISCI

De mutatione denominationis vicariatus apostolici

Cum Exc.mus ac Rev.mus Dominus Augustus Vargas Alzamora, Vicarius Apostolicus Sancti Francisci Xaverii, proposuisset ut praesens denominatio sui Vicariatus ita permutaretur, ut deinde Giennensis in Peruvia seu Sancti Francisci nuncuparetur, iuxta nomen vulgo Jaen, ubi Sedes Vicariatus Apostolici invenitur, Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, re mature perpensa auditoque favorabili voto quorum interest, optatis praelaudati Ordinarii inhaerendum esse censuit.

Itaque eadem Sacra Congregatio, vigore facultatum sibi a SS.mo Domino Nostro Ioanne Paulo Divina Providentia Pp. II concessarum, supramemoratam propositionem adprobavit ac praesens ad rem Decretum confici iussit.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide die 22 mensis Novembris A. D. 1980.

& D. S. Lourdusamy, *Secretarius*

Sac. T. Scalzotto, *Subsecretarius*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Decretis Sacrae Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide, Ioannes Paulus PP. II iis quae sequuntur Ecclesiis sacros Praesules praefecit.

Videlicet :

die Jf Septembris 1980. — Metropolitanae Ecclesiae Liberae Urbis et Boënsi in Monte Leonino Exc.mum P. D. Iosephum Ganda, hactenus Episcopum Kenemaënsem,

— Cathedrali Ecclesiae Denpasarensi Exc.mum P. D. Vitalem Djebarus, Societatis Verbi Divini, hactenus Episcopum Rutengensem.

— Cathedrali Ecclesiae Mahagiensi-Mokaënsi Exc.mum P. D. Runiga Musanganya, hucusque Episcopum titulo Gigthensem ac Auxiliarem Exc.mi Archiepiscopi Kisanganiensis.

die *lk Septembris.* — Titulari episcopali Ecclesiae Segermitanae Exc.mum P. D.Renatum Raphaelem Martino, e clero Archidioecesis Salernitanae, Praelatum honorarium S. S. atque munere Consiliarii Nuntiaturae Apostolicae fungentem, quem archiepiscopali dignitate ornavit et Pro-Nuntium Apostolicum in Thailandia necnon Delegatum Apostolicum in Laosio, Malaesia ac Singapurana Civitate nominavit.

— Titulari episcopali Ecclesiae Giufitanae Exc.mum P. D. Petrum Öule, Episcopum olim Ecclesiae Cathedralis Madetriensis-Dumnensis seu Dalminiensis, quem archiepiscopali dignitate ornavit.

die 21} Octobris. — Cathedrali Ecclesiae Tezpurensi Exc.mum P. D. Robertum Kerketta, hactenus Episcopum Dlbrugarhensem.

— Cathedrali Ecclesiae Kaviengensi Exc.mum P. D. Carolum Hesse, hactenus Episcopum titularem JSTaratcatensem.

— Cathedrali Ecclesiae Vavensi R. D. Iosephum Nyekindi, eiusdem dioecesis Vicarium Capitularem.

— Cathedrali Ecclesiae nuper evectae Sibolgaënsi in Indonesia R. P. Anicetum Bongsu Sinaga, Ordinis Fratrum Minorum Capuccinorum sodalem, hucusque eiusdem Missionis Praefectum Apostolicum.

— Coadiutorem cum iure successionis Exc.mi P. D. Petri Pao Zin Tou, Episcopi Hsinchuensis, constituit R. D. Lucam Liu Hsien Tang, e clero diocesano, Sancti Francisci Xaverii scholae moderatorem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Samonensi R. D. Ioannem Ioseph, Vicarium Generalem Faisalabadensis dioecesis, quem Exc.mi P. D. Pauli Andreotti eiusdem dioecesis Ordinarii, Auxiliarem deputavit.

III

NOMINATIONES

Peculiaribus datis decretis, Sacra Congregatio pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit :

die 1 Augusti 1980. — Exc.mum P. D. Raphaelem Nzé Abuy, Episcopum Bataënsem, *Administratorem Apostolicum* « sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioeceseos Malaboënsis.

die 19 Septembris. — R. P. Ioannem de Freitas Alves, Congregationis Missionariorum Filiorum Cordis B. M. Virginis sodalem, *Administratorem Apostolicum* «sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis» dioeceseos Sancti Thomae in Insula.

die 25 Septembris. — R. P. Ioannem O'Riordan, Congregationis Sancti Spiritus sodalem, *Administratorem Apostolicum* « sede vacante)) dioecesis Kenemaënsis.

die 15 Octobris. — Exc.mum P. D. Emmanuelem Gerada, Archiepiscopum titulo Nomentanum, *Pro-Nuntium Apostolicum* in Pakistania.

die 1Ij. Novembris. — R. P. Michaelem Cleary, Congregationis Sancti Spiritus sodalem, *Administratorem Apostolicum* ((sede vacante et ad nutum Sanctae Sedis » dioeceseos Baniulensis.

SACRA CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

i

CADURCEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Petri Bonhomme, Sacerdotis, Fundatoris Congregationis Sororum Dominae Nostrae a Calvario.

SUPER DUBIO

An eius Causa introducenda sit.

Inter insignes religionis morumque restauratores in Gallia qui, prima saeculi XIX parte, spiritualibus ruinis ex Gallica Revolutione obortis occurrerunt, accensendus est Servus Dei Petrus Bonhomme, sacerdos et fundator Congregationis Sororum Dominae Nostrae a Calvario, de cuius Causa beatificationis introducenda coram Sacra Congregatione pro Causis Sanctorum nuper actum est.

Is ortum habuit in oppido quod vulgo appellatur *Cramât,* intra fines Cadurcensis dioeceseos, die 4 mensis Iulii anno 1803, eodemque nativitatis die sacri fontis aqua renatus est. Parentes ei fuerunt Iosephus Bonhomme et Antonia Darnis, humiles et honestissimi coniuges, quos Dei Famulus

semper dilexit, praesertim matrem, quae in pueri animo pietatem indidit validissimam, amorem Dei et Deiparae Virginis altissimum et erga proximum caritatis ignem.

Primam sacram Communionem Nocte Nativitatis Domini anno 1813 recepit. Ab anno 1815 ad annum 1818 scholam frequentava presbyteralem loci *Reilhaa.* Quindecim annos natus seminarium de *M ont faucon* atque anno 1823 regium collegium Cadurcense ingressus est ; die 2 Novembris a. 1824 ad seminarium maius Cadurcense transiit, ubi anno 1826 minoribus ordinibus fuit insignitus. Ea iam tempestate Dei Famulus animo proposuit qualis futurus esset suus apostolatus : se scilicet natalis loci regenerationi, in primis iuvenum, dicare; quem in finem, de superiorum venia, parvum ludum in *Qramat* tum aperuit. Diaconus die 22 Septembris anno 1827 factus, potuit tandem ad optatum sacerdotium die 23 mensis Decembris eodem anno pervenire.

Sacerdotio auctus, statim ardens Servi Dei animus ad apostolatum, in educatione praesertim et institutione iuvenum, trahitur. Miranda sane multiplex et varia eius sacerdotalis actuositas, quam deinde habuerit. Scholas adaperuit, ipse docens ferventi animo. Mox ab episcopo Cadurcensi, parochus loci *Qramat* est nominatus. Tunc etiam hospitium infirmis senibusque recipiendis erexit et, necessitatibus crescentibus, ardor et amor magis magisque incrementum operibus dederunt. Ut autem corporum cura simul cum animarum progrederetur cura, in societatem vitae mulieres, Dei amore et proximi divites, convocavit, quibus postea nomen dedit Sororum vulgo « de Notre-Dame du Calvaire ». Interdum plures ad Sanctuarium Mariale de *Rocamadour* peregrinationes suscitat; missiones populo incessanter tradit; domos Sororum condit, quas sapienter dirigit; omnibus omnia factus est. Beata Maria Virgo refugium est eius in angustiis et difficultatibus, spes in operibus, mediatrix in necessitatibus.

Pluribus distentos operibus, Dei Servus vitam fere monasticam sibi imposuit eamque fideliter observavit, laborando et orando, ut Dei gloriam animarumque salutem melius procuraret. Ut ad maiorem perveniret perfectionem cupivit aliquando vitam in statu religioso amplecti, sed oboedientia ei imposuit ut quod inceperat perficeret, idest Instituti Sororum a se conditi stabilitatem et incrementum, quod quidem Deus palam benedixit.

Apostolicis laboribus asperaque paenitentia fractus, Dei Famulus, virtutibus magis quam aetate dives, die 9 mensis Septembris anni 1861

obdormivit in Domino, desiderium sui ac claram sanctitatis famam post se relinquens. Quae fama in dies percrebrescens supernis signis a Deo confirmari visa est. Quam ob rem factum est, ut Causa de Beatorum Caelitum honoribus eidem decernendis ageretur. Itaque, cum demum licuit, anno scilicet 1952, processus ordinaria potestate in Curia episcopali Cadurcensi constructi sunt, Sacraeque tunc Rituum Congregationi exhibiti. Cum autem in eadem canonica inquisitione nullus, uti planum est, testis *de visu* interrogari potuerit, Causa ipsa studio Sectioni Historicae eiusdem Congregationis fuit commissa. Quae autem, documentis et testimoniis scriptis undique collectis eorumque valore et authenticitate in tuto positis, amplam *Positionem,* servatis adamussim normis de tractatione Causarum, quae appellantur, historicarum, degessit; quod opus concinnatum typisque cusum Consultores Officii Historici-Hagiographici huius Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum in coetu diei 2 Februarii anno 1977 dilaudaverunt. Scriptis vero Servi Dei iampridem perpensis, Sacra eadem Rituum Congregatio die 21 mensis Octobris anno 1965 decreverat nihil obstare quominus in ipsa Causa ad ulteriora procedi posset. Interim plurimi sacrorum Antistites aliique sive e Clero sive e laicis in dignitate constituti Summo Pontifici instantes preces obtulerunt, ut Causa beatificationis huius Servi Dei apud Apostolicam Sedem introduceretur.

Quo autem expeditius reddi possit iter Causarum, quae ante Litteras Apostolicas, quae a verbis incipiunt « Sanctitas clarior », die 19 Martii a. 1969 editas, instructae erant, Paulus Papa VI, die 16 Ianuarii a. 1974, concessit ut Causae historicae in Congressu Ordinario loco Congressus Peculiaris disceptaretur ; atque Ioannes Paulus II, die 17 Novembris a. 1979, dispensavit a celebratione Congregationis Particularis earundem Causarum.

Quapropter, cum omnia in promptu essent, die 1 mensis Iunii a. 1979, instante Rev.do P. Marcello Martin, Congreg. S. Spiritus, Causae huius postulatore legitime constituto, habitus est Congressus Ordinarius Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, in quo Cardinalis Praefectus dubium posuit disceptandum : *An Causa Servi Dei Petri Bonhomme introducenda sit.* Et Officiales Praelati ceterique suffragium ferentes, una cum eodem Cardinali Praefecto, omnibus mature perpensis, proposito dubio adfirmando responderunt, si Summo Pontifici placuisset.

Facta postmodum de hisce omnibus, die 15 Martii anno 1980, Summo

Pontifici Ioanni Paulo II per infrascriptum Cardinalem relatione, Sanctitas Sua responsum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit : *Causam videlicet Servi Dei Petri Bonhomme esse introducendam.*

Datum Romae, die 15 Martii A. D. 1980.

CONRADUS Card. **BAFILE,** *Praefectus*

L. © S.

& Iosephus Casoria, Archiep. tit. Foronovan., *a Secretis*

II

IANUEN.

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Augustini Roscelli, Sacerdotis, Fundatoris Instituti Sororum ab Immaculata Conceptione B. M. V.

SUPER DUBIO

An eius Causa introducenda sit.

Inter eos, qui saeculo elapso materialismi infecto labe Ecclesiam Christi laetificarunt, procul dubio Servus Dei Augustinus Roscelli adnumeranda est, qui Institutum Sororum ab Immaculata Conceptione B. M. Virginis eximius fundator exstitit.

In vico, cui vulgo nomen *Borgone di Casarza Ligure,* archidioecesis Ianuensis, a piis honestissimis coniugibus, Domenico Roscelli et Maria Gianelli, die 27 Iulii a. 1818 natus est, domi eodem die, cum tenui valetudine esset praeditus, sacris baptismalibus aquis regeneratus, die vero 30 Augusti ritus baptismi solemniter iteratus fuit in ecclesia paroeciali.

Religiosam institutionem a parentibus, imprimis a piissima matre nactus est. Post prima grammaticae elementa a parocho Borgonensi accepta, seminarium Ianuense ingressus, aetate 20 annorum per aliquod tempus servitium militare praestit et tandem studiis humanisticis et theologicis expletis, die 19 Septembris a. 1846, 28 annos natus, sacerdotio insignitus est. Per annos decem curam animarum in paroecia S. Martini loci *Albaro* exercuit. Subinde Sacerdoti Montebruno apud Institutum vulgo « degli Artigianelli », ab eodem conditum, moderandis iuvenibus per viginti annos adiutor fuit. Exinde sibi proposuit ut similem Institutionem pro puellis educandis conderet. Unde, anno 1864, binas domos constituit, quibus nomen « casa laboratorio », ad alumnas tum in vita

christiana, tum artibus sive professionibus muliebribus inf or mandas. Quibus mox in unam domum conflatis, ad huius institutionem dirigendam, novam feminarum Familiam religiosam in urbe Ianuensi anno 1876 fundavit, sub titulo Immaculatae Conceptionis B. Mariae Virginis, cui ipse Constitutiones ab Archiepiscopo loci approbatas dedit.

Postquam per varia loca hoc Institutum diffuderat, ipse iam ab annis fere caecus effectus, et ultimo, brevi pulmonari morbo prostratus, sacramentis Ecclesiae devotissime susceptis, et orationi habitualiter intentus, Ianuae, in domo principe suae Familiae religiosae animam Deo reddidit die 7 Maii, anno reparatae salutis 1902, aetatis suae octogesimo quarto.

Ab eius obitu sanctitatis fama, qua vivens circumdatus erat, in dies crevit. Qua de re procesus ordinaria auctoritate constructi sunt apud curiam archiepiscopalem Ianuensem annis 1932-1939, tum super fama sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere, tum super scriptis et super cultu publico eidem Famulo Dei non praestito. Qui absoluti Romam transmissi sunt riteque aperti. Pervenerunt interim ad Summum Pontificem litterae Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum, aliorumque sive ecclesiastica sive civili dignitate virorum praestantium, quibus petebant ut Causa Servi Dei apud Apostolicam Sedem introduceretur.

Scriptis eidem Servo Dei tributis attente perpensis, Sacra tunc Congregatio Rituum, die 24 Maii a. 1961, nihil obstare decrevit quominus ad ulteriora Causa progrederetur.

Interim autem, quo expeditius reddi possit iter Causarum, quae instructae erant ante Litteras Apostolicas « Sanctitas clarior », die 19 Martii anno 1969 editas, Paulus Papa VI benigne indulsit, die 7 mensis Iulii a. 1977, ut, adhibito peculiari procedendi modo, super Introductione earundem Causarum in unico Congressu Ordinario disceptari possit. Quam peculiarem facultatem Ioannes Paulus II pro sua benignitate prorogavit.

Quapropter, instante Rev.mo P. Bernardino a Senis, O. F. M. Cap., postulatore legitime constituto, habitus est, die 14 mensis Iulii anno 1980, Congressus Ordinarius Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum, in quo Cardinalis Praefectus dubium posuit disceptandum : *An Causa Servi Dei Augustini Roscelli introducenda sit.* Et Officiales Praelati ceterique suffragium ferentes, una cum eodem Cardinali Praefecto, omnibus mature perpensis, proposito dubio adfirmando responderunt, si Summo Pontifici placuisset.

Facta demum de hisce omnibus Summo Pontifici Ioanni Paulo II relatione per subscriptum Cardinalem Praefectum, in Audientia eidem concessa die 11 mensis Septembris anni huius 1980, Sanctitas Sua responsum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit : *Causam videlicet Servi Dei Augustini Roscelli esse introducendam.*

Datum Romae, die 11 Septembris A. D. 1980.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

© Iosephus Casoria, Archiep. tit. Foronovan., *a Secretis*

III

PONTISCURVI SEU SORANA

Beatificationis et Canonizationis Servi Dei Iosephi a Iesu et Maria (in saeculo: Vincentii Pesci), Sacerdotis Professi Congregationis a Passione Iesu.

SUPER DUBIO

An eius Causa introducenda sit.

« Religiosi... omnes — edixit Conc. Vaticanum II — fidei integritate, caritate erga Deum et proximum, *amore crucis* necnon spe futurae gloriae, Christi bonum nuntium in toto mundo diffundant » *(Perfectae caritatis,* 25) ; immo monet idem Concilium ut ipsi sanctuarii alumni «Christo Crucifixo se conformare assuescant » *(Optatam Totius,* 9), atque una sanctitas, quae ab omnibus excolitur, Christum sequitur « pauperem, humilem et crucem baiulantem», Beatam Virginem imitata, quae suam unionem cum Filio fideliter sustinuit *usque ad crucem* (cfr. *Lumen Gentium,* 41; 58).

Ea vero perpetua Ecclesiae monita, quam maxime semper meditati atque secuti sunt illi, qui ad Crucem Christi, « Dei virtutem », sequendam in schola S. Pauli a Cruce sunt vocati, laudem meriti Benedicti PP. XV de *spiritu bono* legiferi Patris ab eis servato (Litt. Apost. *Optimo sane consilio,* 11 Aprilis a. 1920). Ad quod opus suum validum contulit Dei Servus Iosephus a Iesu et Maria, in saeculo Vincentius Pesci.

Is, die 13 Septembris anno .1853, Filectini, Anagninae dioeceseos in oppido, ex nobili familia Pesci natus est et postridie baptizatus atque

appellatus Vincentius Franciscus Ernestus Bernardinus. Domi suae est confirmatus, nondum trimulus, ab Episcopo Verularum Iesualdo Vitali, qui etiam patrini munere functus est. Primordiorum scholis frequentatio, aa. 1864-1868 in ephebeo Scholarum Piarum Alatrii studiis incubuit, laudem pietatis et diligentiae adeptus. At capto a latronibus eius patre et re oeconomica familiae extenuata, domum regredi debuit, Deo totum se committens et virtutibus constanter se exercens, ita ut omnibus exemplar christianae vitae probaretur.

Interim Filectini et Romae philosophiae et medicamentariae arti addiscendis vacavit. Anno 1875 trimestre militare debuit et domum reversus, summam pecuniam a patruo pharmacopola ipsi oblatam si matrimonium inire acceptasset, ingenue recusavit ac, superatis parentum repugnantiis, Passionistarum novitiatum Paleani ingressus est, a quo tamen, in alium novitiatum, Romae a Ven. Bernardo M. a Iesu (Silvestrelli) institutum, translatus est, ut exemplar fulgeret novis tironibus ; ibi vero, ad corpus S. Pauli a Cruce, die 1 Decembris anno 1878 vota nuncupavit.

Dum ecclesiasticis disciplinis addiscendis variis in recessibus Latii australis incumbit, die 23 Decembris a. 1882, triginta annos natus, Verulis sacerdotio auctus est.

Emenso studiorum curriculo, cum plausu philosophiam et theologiam docuit (aa. 1886-1895), ad altiora postea regiminis munera vocatus per totam suam vitam, bis etiam suae religiosae provinciae praepositus (aa. 1908-1911; aa. 1914-1919), quamquam interdum etiam exercitiis spiritualibus praedicandis se dedidit. Multum etiam operatus est in animarum moderatione, « discretione spirituum » celebratus. Singulari orationis dono ditatus, mitis simulque diligens firmusque regularum observantiae custos, exemplo et caritate sodales ad officia implenda trahebat, humilitate et prudentia omnibus acceptus. Quanto studio exardesceret ad Marialem et in Christum passum pietatem colendam et diffundendam ipsa eius scripta, quae sat multa remanent, revelant, Patribus, S. Scripturae et Ecclesiae doctoribus, maxime S. Thomae et in sermonibus de Passione Taulero, inspirata. Adversitates nec paucas nec parvas passus est in suo regimine, praesertim in terraemotu a. 1915 et ob horridum bellum aa. 1915-1918 quod 50 sodales e conventibus avulsit ; at nihilominus Dei Servus religiosae provinciae incrementum, spiritum legiferi Patris integre servatum et innumeras animas Cruci Christi lucrif aetas, intrepido et sereno semper animo procuravit.

Perpetuo vigilantem brevissimus et inopinatus pulmonum morbus Dei Servum, 76 annos natum, in recessu Pontiscurvi, ad mortem adduxit, quam sancte obiit die 12 mense Ianuario anno 1929.

Fama virtutum et donorum, quae Dei Servum in vita prosecuta erat, amplius in dies diffundi coepit post eius obitum, de qua testantur etiam plurimae litterae postulatoriae, atque votum quasi plebiscitum populi Pontiscurvi Summo Pontifici adhibita, ut introductio Causae apud Sedem Apostolicam institueretur.

Eapropter a die 2 Februarii a. 1950 ad diem 16 Martii a. 1955 in curiis Pontiscurvi, S. Agathae Gothorum et Neapolitana ordinarii processus super fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere, super scriptis et super non cultu sunt celebrati. Quos excepit recognitio et translatio exuviarum Servi Dei e sacello Passionistarum in coemeterio Pontiscurvi ad ecclesiam sodalium eorumdem rite acta anno 1959, crescente populi privata in Dei Servum veneratione.

Servatis itaque de iure servandis, Sacra tunc Ei tuum Congregatio, scriptis perpensis eidem Servo Dei tributis, die 29 Maii, anno 1958, probante Summo Pontifice PP. Pio XII, ad ulteriora in Causa procedi posse decrevit.

Interim autem, quo expeditius reddi possit iter Causarum, quae ante Litteras Apostolicas « Sanctitas clarior » die 19 Martii anno 1969 editas instructae erant, Paulus Papa VI benigne indulsit, die 7 mensis Iulii anno 1977, ut, adhibito peculiari procedendi modo, super Introductione earundem Causarum in unico Congressu Ordinario disceptari valeat. Quam peculiarem facultatem Ioannes Paulus II pro sua benignitate prorogavi^

Hinc, die 27 mensis Iunii hoc vertente anno 1980, instante Rev.mo P. Friderico Menegazzo, Congregationis Passionis postulatore generali, habitus est Congressus Ordinarius Sacrae huius Congregationis pro Causis Sanctorum, in quo Cardinalis Praefectus dubium proposuit disceptandum : *An Causa Servi Dei Iosephi a Iesu et Maria, sacerdotis professi Congregationis Passionis, introducenda sit.* Et Officiales Praelati ceterique suffragium ferentes, una cum eodem Cardinali Praefecto, omnibus mature perpensis, proposito dubio affirmantes responderunt, si Summo Pontifici placuisset.

Facta postmodum de hisce omnibus, die 11 mensis Septembris hoc vertente anno, Summo Pontifici Ioanni Paulo II per subscriptum Car-

dinalem relatione, Sanctitas Sua responsum Sacrae Congregationis pro Causis Sanctorum ratum habuit et confirmavit : *Causam videlicet Servi Dei Iosephi a Iesu et Maria esse introducendam.*

Datum Romae, die 11 Septembris A. D. 1980.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. SB S.

63 Iosephus Casoria, Archiep. tit. Foronovan., *a Secretis*

IV

BAREN.

Beatificationis et Canonizationis Servae Dei Eliae a S. Clemente (in saeculo : Theodorae Fracasso), Monialis Professae Ordinis Carmelitarum Discalceatorum.

SUPER DUBIO

An eius Causa introducenda sit.

Dei Famula soror Elia a Sancto Clemente, Theodora Fracasso in saeculo nuncupata, parentibus Iosepho et Paschate Cianci, die 17 Ianuarii a. 1901, Barii, in Apulia, nata est, dieque 21 eiusdem mensis salutaribus Baptismatis undis rite expiata. Pueritiam et adulescentiam in pietate et litterarum studiis domi et apud Sorores a Sacris Stigmatibus Domini nostri Iesu Christi exegit, et anno 1911 ad sacrum Eucharistiae convivium primum est admissa. Perfectiorem inhians vitam, anno 1915 Tertium Ordinem saecularem S. Dominici ingressa est, donec die 8 Aprilis a. 1920, in Barense Sancti Ioseph Carmelitarum Discalceatarum monasterium recepta est, habitu religioso novoque nomine ibidem die 24 Novembris pie susceptis. Novitiatus tirocinio cum laude exacto, die 4 Decembris a. 1921 prima vota nuncupavit, sollemnem professionem deinde die 11 Februarii a. 1925 — et sacrum virginum velum recipiens — emisit. Humilibus monasterii muneribus addicta, universa ea sübridens imbuit et vivificavit caritate qua intime iam diu exardescebat. Nam, divina dilectione praeventa, anno 1924 sese miserenti Dei amori totam dicaverat, oblationem proprio sanguine scribens. Innocentem victimam in odorem suavitatis suscepit Dominus, cuius in manibus, patienter

et laete animi et corporis toleratis doloribus, spiritum die Nativitatis Domini a. 1927 emisit.

Humilis Christi ancilla, brevi quam duxit vita, unum sibi proposuit et in rem deduxit, evangelica nimirum infantis simplicitate et paupertate ad Deum contendere, eum solum in omnibus quaerendo eique summa fidelitate vel in minimis serviendo. Dei voluntatibus ex amore exsequendis magna fidelitate prae omnibus addicta, Deo placere suis operibus enisa est, cuius et verba vera animi aviditate et audiebat et in corde conservabat, perpetuo in conspectu Dilecti sui ambulans, quocum indeficienti amoris colloquio etiam operibus vacans uniebatur. Simultates et contradictiones perpeti debuit, quas eo infantium forti animo tulit, qui etiam et praesertim in cruce positi, a Patre se sciunt dilectos, quibus, eius auxiliante gratia, omnia cooperantur in bonum. Sui vel in infirmitatibus oblita, ceteris monasterii sororibus humiliter et suaviter praesto esse et auxiliari in deliciis habuit, cor universo mundo, praesertim Sacerdotibus et missionariis, pandens, quos in visceribus Christi diligebat, quibusque peculiaria se ex caelo auxilia exhibitura moriens pollicita est. Prae omnibus ecclesiam suam Barensem percaram habuit, cuius Pastorem in patrem habuit et venerata est, quemque una cum Summo Pontifice cotidie suis orationibus adiuvare suisque sacrificiis sustinere velut dilectionis normam perpetuo habuit. Sciens Dominum regnum suum humilibus parvulisque disponere, sanctae Teresiae Lexoviensis tramitem secuta est confidenter, nihil antiquius habens quam ex fide in omnibus vivere, in spem contra spem credere, ex toto corde et totis viribus Deum eiusque Ecclesiam cum omnibus fratribus diligere, haec omnia in humilitate ac vultu hilari et laeto, sui prorsus immemor, exhibendo.

Sanctitatis fama, qua etiam vivens circumdata erat, post eius mortem augescente, supernis quoque accedentibus, ut videtur, signis quae eius apud Deum intercessione patrata ferebantur, processus anno 1953 episcopali potestate apud Curiam Barensem, et per rogatorias litteras in Curia etiam ecclesiastica Mediolanensi instituti sunt. Quae canonicae inquisitiones anno 1955 absolutae, ad Sacram tunc Rituum Congregationem delatae sunt. Multae interim litterae Summo Pontifici sunt missae, quibus Patres Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Institutorum Religiosorum Moderatores, aliiqui viri in dignitate sive ecclesiastica sive civili constituti efflagitabant ut beatificationis Servae Dei causa apud Sedem Apostolicam introduceretur.

Servatis itaque omnibus de iure servandis, scriptis eidem Dei Ea-

mulae tributis rite perpensis, decretum prodiit die 1 Iulii anno 1964 quo, Paulo Papa VI approbante, edictum est nihil obstare Causae progressioni.

Hinc, instante Rev.do P. Simeone a S. Familia Tomás Fernández, Ordinis Carmelitarum Discalceatorum postulatore generali, die 20 Iunii anno 1980, vigore facultatum peculiarium a Summo Pontifice Ioanne Paulo II tributarum, Congressus Ordinarius Sacrae huius Congregationis pro Causis Sanctorum habitus est, in quo disceptatum est dubium : *An introducenda sit Causa in casu et ad effectum de quo agitur.* Cui dubio Cardinalis Praefectus omnesque Praelati Officiales affirmando responderunt.

Facta deinde de praemissis omnibus Ioanni Paulo Papae II per infrascriptum Cardinalem fideli relatione, Sanctitas Sua responsum S. Congregationis pro Causis Sanctorum ratum habuit et confirmavit.

Datum Romae, die 11 Septembris A. D. 1980.

PETRUS Card. **PALAZZINI,** *Praefectus*

L. © S.

SB Iosephus Casoria, Archiep. tit. Foronovan., *a Secretis*

ACTA TRIBUNALIUM

SACRA ROMANA ROTA

Citationes edictales

I

AQUEN. IN GALLIA

Nullitatis Matrimonii (De Bourg de Lurençon - Pouzet des Isles)

Cum ignoretur locus actualis commorationis D.nae Mariae Helenae Pouzet des Isles conventae in causa de qua supra, eandem citamus ad comparendum aut per se aut per Procuratorem legitime constitutum coram Tribunali S. Romanae Rotae ((Piazza delia Cancellería 1, Roma)) in diem 3 februarii 1981, hora decima, pro concordatione vel subsignatione sequentis dubii :

((An constet de matrimonii nullitate, in casu ».

Ordinarii locorum, Parochi, et fideles, qui notitiam habuerint actualis commorationis praedictae D.nae Mariae Helenae Pouzet des Isles curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur.

Marius F. Pompedda, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis, die 18 m. Novembris a. 1980.

Ioannes Yerginelli, *notarius*

II

GOANA ET D AMANEN.

Nullitatis Matrimonii (Rodrigues - Rodrigues)

Cum ignoretur locus actualis commorationis d.nae Leonildis Rodrigues, conventae in causa de qua supra, eamdem citamus ad comparendum aut per se aut per Procuratorem legitime constitutum coram Tribunali S. Romanae Rotae « Piazza della Cancelleria 1, Roma », in diem 22 ianuarii 1981, hora decima, pro concordatione vel subsignatione sequentis dubii :

« An Sententia Rotalis diei 9 maii 1980, confirmanda vel infirmanda sit, in casu ».

Ordinarii locorum, Parochi et fideles, qui notitiam habuerint actualis commorationis praedictae d.nae Leonildis Rodrigues curare debent ut ipsa de hac edictali citatione rite moneatur.

Dorius-Maria Huot, *Ponens*

Ex Cancellaria Tribunalis die 20 m. Novembris a. 1980.

Ioannes Verginelli, *notarius*

*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Il Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza Ufficiale per la presentazione delle Lettere Credenziali:

Lunedì, 10 Novembre 1980, S. E. il Signor MOUSTAFA KAMAL EL-DIWANI, Ambasciatore della Repubblica Araba d'Egitto presso la Santa Sede.

Giovedì, 27 Novembre 1980, S. E. il Signor EUGÈNE RITTWEGER DE MOOR, Ambasciatore del Belgio presso la Santa Sede.

Sabato, 29 Novembre 1980, S. E. il Signor JOSÉ JOAQUÍN PUIG DE LA BELLACASA Y URDAMPILLETA, Ambasciatore di Spagna presso la Santa Sede.

U Santo Padre Giovanni Paolo II ha ricevuto in Udienza:

Lunedì, 3 Novembre 1980, l'On. LOUISE WEISS.

Giovedì, 13 Novembre 1980, S. E. il Signor MICHAEL MANLEY;

il Signor JERZY OZDOWSKI, Membro del Consiglio di Stato della Repubblica Popolare di Polonia;

il Signor Consigliere KAZIMIERZ SZABLEWSKI, Ministro Plenipotenziario, Capo della Delegazione del Governo della Repubblica Popolare di Polonia per i contatti permanenti di lavoro con la Santa Sede;

il Signor JAMES SCOTT-HOPKINS, Presidente del Gruppo Democratico nel Parlamento Europeo.

Lunedì, 24 Novembre 1980, l'On. MARGARET THATCHER, Primo Ministro di Gran Bretagna.

Venerdì, 28 Novembre 1980, S. E. il Signor ABDELMUHSIN M. AL-SUDEARY, dell'IFAD.

Giovedì, 13 Novembre 1980, alla presenza del Santo Padre, si è tenuta una riunione degli Em.mi Signori Cardinali Capi dei Dicasteri della Curia Romana.

Da Sabato, 15 Novembre, a Mercoledì, 19 Novembre 1980, il Santo Padre si è recato in Apostolico pellegrinaggio nella Repubblica Federale di Germania sostando a Köln, Bonn, Osnabrück, Mainz, Fulda, Altötting e München.

Martedì, 25 Novembre 1980, il Santo Padre ha visitato le popolazioni della Campania e della Basilicata, in Italia, colpite dal terremoto del 23 Novembre 1980.

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

7 novembre 1980. P. Roger Du Noyer, M. E. P., *Consultore della Pontificia Commissione per l'America Latina.*
14 » » Fr. Edouard Sami Martin Sabanegh, F. S. O., *Capo Ufficio nel Segretariato per i non Cristiani.*
26 » » L'Em.mo Signor Cardinale William Wakefield Baum, *Gran Cancelliere del Pontificio Istituto di Archeologia Vristiana.*
28 » » L'Em.mo Signor Cardinale Giuseppe Maria Sensi, *Membro della Pontificia Commissione per lo Stato della Città del Vaticano.*

Con Biglietti della Segreteria di Stato il Santo Padre Giovanni Paolo II ha nominato:

Prelati d'Onore di Sua Santità:

3 luglio 1980. Mons. Nicola Bowanga (Mbadaka-Bikoro).
18 agosto » Mons. Peter Faber (Trier).
» » » Mons. Peter Israel (Trier).
» » Mons. Nikolaus Junglas (Trier).
» » » Mons. Sergio Giuliani (Coirà).
15 settembre » Mons. Reginald Joseph Orsmond (Johannesburg).
Mons. Leo Schwarz (Trier).
23 » Mons. Jean Ntilivamunda (Nyundo).
29 ottobre » Mons. Alban Rey (Lyon).
» » Mons. Carlo Ferri (Parma).

8 novembre 1980. Mons. Alberto Cvecich (Pisa).
» » » Mons. Lido Ferretti (Pisa).
» » » Mons. Janni Sabucco (Pisa).

NECROLOGIO

1 novembre 1980. Mons. Armando Fares, Arcivescovo già di Catanzaro e Vescovo già di Squillace *(Italia).*
2 » » Mons. Patrick M. O'Donnell, Arcivescovo già di Brisbane *(Australia).*
» » » Mons. Piotr Golçbiowski, Vescovo tit. di Panio.
7 » » Mons. Lambert van Kessel, S. M. M., Vescovo già di Sintang *(Indonesia).*
8 » » Mons. Amato Pietro Frutaz, Uditore Generale della Camera Apostolica.
13 » » Mons. Etienne Auguste Germain Loosdregt, O.M.I., Vescovo tit. di Amaura.
23 » » Mons. Michele Federici, Arcivescovo, Vescovo di Verdi - Frosinone e di Ferentino *(Italia).*
25 » » Mons. Aleksander Moscicki, Vescovo tit. di Doara.
28 » » Mons. Joannes de Reeper, M. H. M., Vescovo già di Kisumu *(Kenya).*

Recens nuntiatum est Augustinum Grimault, C.S.Sp., Episcopum titulo Maximianopolitanum in Palaestina, die 18 m. Iunii, a. 1980; Linum Gonzaga y Rasdesales, Archiepiscopum olim Zamboangensem, die 15 m. Augusti a. 1980; Victorinum Christophorum Ligot, Episcopum Ferdinandopolitanum ab Unione, die 18 m. Septembris a. 1980; de vita decessisse.

An. et vol. LXXII 29 Decembris 1980 N. 9

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Directio: Palazzo Apostolico - Città del Vaticano — *Administratio:* Libreria Editrice Vaticana

ACTA IOANNIS PAULI PP. II

LITTERAE ENCYCLICAE

Ad Episcopos, Sacerdotes et Christifideles totius Catholicae Ecclesiae: de Divina Misericordia.

IOANNES PAULUS PP. II

VENERABILES FRATRES, DILECTI FILII ET FILIAE,

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

I

»

1. DIVES IN MISERICORDIA Deus[1] ipse quidem est nobis quem Christus Iesus revelavit ut Patrem : immo quem ostendit nobis ac demonstravit in sese Filius nempe eius.[2] Qua in re memorandum tempus illud est, cum duodecim Apostolorum unus Philippus Christum allocutus ait : « Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis » ; cui ita Christus respondit vicissim : <(Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me...? Qui vidit me, vidit Patrem ».[3] Prolata autem haec sunt verba novissimum intra sermonem, quo suis Christus vale dixit, cena ineunte paschali, quam sacrarum dierum illarum consecuti sunt

[1] Cfr. *Eph.* 2, 4.

[2] Cfr. *Io.* 1, 18; *Heb.* 1, Is.

[3] *Io.* 14, 8 s.

eventus, in quibus semel id comprobari oportuit in sempiternum, quod scilicet « Deus..., qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos, et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo ».[4]

Concilii Vaticani Secundi doctrinam Nos sectantes peculiaresque nostrorum temporum necessitates una spectantes dicavimus Encyclicas Litteras *Redemptor Hominis* inscriptas veritati de homine, quae sua pro plenitudine altitudineque recluditur nobis in Christo. Nunc vero diebus istis dubiis ac difficilibus alia impellit Nos haud minoris momenti necessitas, ut videlicet eodem rursus in Christo Domino vultum detegamus Patris, qui sane « Pater misericordiarum et Deus totius consolationis » est.[5] Legimus enim in Constitutione *Gaudium et Spes* : «Christus, novissimus Adam, ... hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit » ; quod tamen omnino agit « in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris ».[6] Adductae igitur hae Concilii voces perspicue admodum testantur hominis demonstrationem in plena eius naturae dignitate evenire non posse quin tota simul ad Deum referatur, neque id secundum conceptus solos sed ex ipsis penitus vitae rebus. Etenim homo eiusque suprema vocatio panduntur in Christo per declarationem mysterii Patris atque amoris illius.

Ea profecto de causa expedit in praesentia istud pertractari mysterium: nam multiplices Ecclesiae hominumque nostrae aetatis experientiae id suadent; implorationes etiam tot cordium humanorum necnon dolores ac spes, angores et exspectationes eorum id flagitant. Si verum praeterea hoc est, quod in Litteris Encyclicis *Redemptor Hominis* nuntiavimus — unum quemque videlicet hominem certo quodam sensu viam esse Ecclesiae —, eodem proin tempore Evangelium et universa Traditio constanter monent percurrere nos hanc viam debere sin-

[4] *Eph.* 2, 4 s.

[5] *2 Cor.* 1, 3.

[6] Const. past. *Gaudium et Spes,* 22: *AAS* 58 (1966), p. 1042.

gulis cum hominibus, perinde ac designavit illam Christus, cum Patrem in se aperiret eiusque amorem,[7] Quotiens igitur in Christo Iesu ad hominem via illa dirigitur, quae semel Ecclesiae commissa est intra mutabiles saeculorum vicissitudines, totiens Patri obviam proceditur et eius amori. Hanc veritatem Concilium Vaticanum Secundum pro nostris temporibus confirmavit.

Quo magis autem Ecclesiae opus in hominem convertitur — hoc est, quo magis anthropocentricum, ut ita dicamus, illud fit — eo nimirum plus stabiliatur idem oportet ac perficiatur theocentrica ratione : ordinandum nempe in Christi Iesu ad Patrem. Quamvis variae hominum opiniones mentisque affectiones tum praeteritae tum recentioris aetatis fuerint ac nunc etiam proclives sint ad dividendos immo vero inter sese opponendos theocentrismum et anthropocentrismum, Ecclesia tamen Christum secuta conatur eos hominum in historia coniungere intimo concordique nexu. Quod unum similiter primariorum principiorum est vel ipsum fortasse potissimum Magisterii recentis Concilii. Si his ergo Ecclesiae temporibus susceptum nobis veluti munus praecipuum est doctrinam exsequi magni illius Concilii, Nos cum fide meìiteque aperta et prompto animo ad idem principium revocemus oportet. In commemoratis iam Encyclicis Litteris Nostris edocere contendimus altiorem multipliciterque locupletiorem Ecclesiae conscientiam — eiusdem pariter Concilii fructum — Christo ipsi latius intellectum et cor nostrum debere recludere. Hodie denuo inculcare volumus neminem aperiri posse ad Christum, qui ut Eedemptor mundi plene hominem ipsi homini manifestet, aliter sane ac per maturiorem respectum ad Patrem eiusque amorem.

2. Deus, « lucem habitans inaccessibilem »,[8] eodem tamen tempore hominem alloquitur lingua totius rerum universitatis :

[7] **Cfr.** ***ibid.***

[8] ***1 Tim.*** **6, 16.**

« Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna eius et virtus et divinitas ».[9] Obliqua vero haec et imperfecta cognitio, quae industria mentis est Deum conquirentis per creaturas mundique aspectabilia, nondum « visio Patris » est. Etenim « Deum nemo vidit umquam)), inquit Sanctus Ioannes, quo plus ponderis veritati tribuat, propterea « unigenitus Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit)>.[10] «Enarratio» haec Deum patefacit imperscrutabili in vitae ipsius mysterio — unum ac trinum — qui lucem habitat inaccessibilem.[11] Per hanc Christi « enarrationem » cognoscimus tamen Deum in primis pro illius erga hominem amore : id est secundum eius « philanthropiam ».[12] Ibi nimirum « invisibilia ipsius » insigniter fiunt « visibilia », quin incomparabili modo visibiliora quam cuncta per reliqua opera «quae facta sunt» ab eo: nam in Christo visibilia apparent ac per Christum, hoc est per facta illius et dicta postremoque per mortem eius in cruce ac resurrectionem.

Sic quidem in Christo per Christumque singulariter etiam Deus elucet sua in misericordia; nempe extollitur illa Divinitatis, proprietas, quam Vetus iam Testamentum variis utens speciebus ac dictionibus « misericordiam » definivit. Huic enim Testamenti Veteris traditioni super misericordia divina significationem Christus addit sempiternam. Neque de ea solum loquitur similitudinibusque eam explanat et parabolis, verum ante omnia ipse illam in se corporat ac sua veluti persona induit. Quippe: is ipse quodammodo misericordia est. Quicumque igitur in eo perspicit illam invenitque in ipso, Deus peculiari ratione « visibilis » ei redditur ut Pater « dives in misericordia ».[13]

Istorum aequalium temporum mens, vel magis forsan quam

[9] *Rom. 1,* 20.

[10] *Io.* 1, 18.

[11] *1 Tim.* 6, 16.

[12] ®aav$pa>7ti<x : *Tit.* 3, 4.

[13] Cfr. *Eph. 2,* 4.

hominum superioris aetatis, Deo misericordiae adversari videtur et item conatur ipsam misericordiae cogitationem de vita exterminare ex hominisque corde exstirpari Etenim vocabulum conceptusque misericordiae hominem videntur in angustias adducere, qui multo plenius quam antehac in historia dominus evaserit ac terram subiecerit sitque ei dominatus [14] ob immensam nec prius umquam cognitam progressionem scientiarum et technicae artis. Talis autem terrae dominatus aliquando ab una tantum parte leviterque acceptus nihil loci relinquere misericordiae videtur. Quo de argumento utiliter nihilo minus repetere possumus imaginem « hominis condicionis in mundo hodierno » quae initio Constitutionis *Gaudium et Spes* describitur. Inter alia ibi haec leguntur iudicia : « Quae cum ita sint, mundus hodiernus simul potentem ac debilem se exhibet, capacem optima vel pessima patrandi, dum ipsi ad libertatem aut servitutem, ad progressum aut regresum, ad fraternitatem aut odium prostat via. Praeterea, homo conscius fit ipsius esse recte dirigere vires, quas ipse suscitavit et quae eum opprimere aut ei servire possunt ».[15]

Mundi hodierni status non solum indicat tales rerum mutationes, quae spem melioris vénturae hominum aetatis in terris proponant, verum plures quoque minationes demonstrat, quae longe quidem superant omnia adhuc cognita pericula. Ecclesia, licet minationes huius modi numquam denuntiare intermittat variis oblatis occasionibus (verbi gratia, in declarationibus factis apud Coetum Nationum Unitarum et Instituta UNESCO et FAO vocata atque alibi), debet tamen eas scrutari in veritatis fulgore a Deo perceptae.

In Christo enim monstrata veritas de Deo « Patre misericordiarum »[16] nos sinit ipsum « conspicari » valde propinquum homini, maxime quidem cum affligitur ille cumque sua in vita

[14] Cfr. *Gn.* 1, 28.

[15] Const. past. *Gaudium et Spes,* 9: *AAS* 58 (1966), p. 1032.

[16] *2 Cor.* 1, 3.

ac dignitate intima obicitur periculis. Hac sane de causa in hodiernis Ecclesiae et mundi condicionibus plures homines eorumque coetus vivo fidei sensu perducti se veluti sua sponte, ut ita dicamus, ad Dei misericordiam recipiunt. Ad id sine dubio compelluntur ipso a Christo, qui suum per Spiritum intus in hominum animis operatur. Nam reclusum ab eo mysterium Dei <(Patris misericordiarum » fit propria quaedam quasi appellatio, quae denuntiato Ecclesiae hodiernis in rerum adiunctis homini impendentibus.

His ideo Litteris Encyclicis suscipere volumus eandem appellationem; ex aeterno eiusque simul ob simplicitatem et altitudinem incomparabili sermone revelationis ac fidei haurire res cupimus, ut per eum rursus coram Deo et hominibus magnas declaremus sollicitudines nostrae aetatis.

Etenim fides nos revelatioque admonent non tantum, ut mysterium Dei qua « Patris misericordiarum » contemplemur velut a rebus ipsis avulsum sed ut nomine Christi unaque cum Christo eandem ad hanc misericordiam decurramus. "Nonne Christus forte affirmavit Patrem nostrum, « qui videt in abscondito »[17] a nobis perpetuo — dixerimus — exspectare, ut omni in necessitate ad ipsum revertentes pervestigemus mysterium eius semper: mysterium scilicet Patris amorisque illius?[18]

Propterea quidem exoptamus Nos, ut meditationes sequentes propius ad omnes adducant mysterium illud eodemque tempore fiant ipsae vehemens Ecclesiae appellatio pro misericordia, cuius tantopere homo mundusque hodiernus egent. Ac profecto ipsius indigent, saepe quamvis nescii.

II

3. Ante suos populares in Nazarae oppido exprompsit Christus prophetae Isaiae sententias: « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me evangelizare pauperibus, misit me prae-

[17] *Mt.* 6, 4. 6. 18.

[18] Cfr. *Eph.* 3, 18; etiam *Lc.* 11, 5-13.

dicare captivis remissionem et caecis visum, dimittere contractos in remissione, praedicare annum Domini acceptum ».[19] Secundum Lucam hae locutiones prima sunt ipsius messianica pronuntiatio, quam deinceps acta efiataque subsequuntur nobis per Evangelium cognita. Porro ea per facta et dicta praesentem reddit Christus inter homines Patrem. At magni quidem animadverti refert eosdem illos homines in primis esse pauperes, opibus sustinendae vitae carentes, et alios libertate destitutus et caecos pulchritudinem creatarum rerum contemplari non valentes et alios vel mentis angoribus laborantes vel iniustitiam socialem patientes atque ipsos tandem peccatores. Erga hos ideo maxime homines fit Messias lectu facillimum Dei signum, qui est amor; fit Patris ipsius indicium. Ac visibili in eius modi signo possunt homines nostrae item aetatis — haud secus quam illius temporis anteacti homines — cernere Patrem.

Notandum utiliter etiam est, cum legati a Ioanne Baptista missi ad Iesum accessissent ut interrogarent : « Tu es qui venturus es an alium exspectamus? »,[20] hunc invocan tem idem testimonium, quo Nazarae iniisset suum instruendi opus, respondisse eis : « Euntes nuntiate Ioanni, quae vidistis et audistis : caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur et surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizan tur », finemque ita dicendi fecisse : « et beatus est, quicumque non fuerit scandalizatus in me ».[21]

Suo igitur potissimum vivendi genere suisque actibus revela vit Iesus quo pacto adesset amor isto in mundo ubi vivimus : amor scilicet, qui operatur quique hominem compellat omniaque continet, quae ipsius efficiunt humanitatem. Talis vero amor vehementer percipitur quotiescumque aegritudo iniuria egestas attingitur — quin immo tota historica illa « condicio humana », quae variis rationibus designat angustias hominis ac fragilita-

[19] *Lc.* 4, 18 s.
[20] *Lc.* 7, 19.
[21] *Lc.* 7, 22 s.

tem tum physicam eius tum moralem. Atqui ipse modus ille et ambitus, quo amor ostenditur, lingua biblica « misericordia » nominatur.

Ideoque Christus Deum patefacit, qui Pater est, qui est « amor » : sicut Sanctus Ioannes sua prima epistula extulit;[22] Deum aperit « divitem in misericordia », quem ad modum apud Sanctum Paulum legimus.[23] Haec autem veritas, potius quam doctrinae aliquod argumentum, res solida est ipsa, quae nobis repraesentatur a Christo. Praesentem ergo Patrem reddere tamquam amorem ac misericordiam constituit in Christi ipsius conscientia principalem comprobationem muneris seu missionis eius uti Messiae; id quod verbis ab eo pronuntiatis corroboratur primum in Nazarethana synagoga ac deinde suis coram discipulis aliisque a Ioanne Baptista ad eum emissis.

Secundum hanc vero rationem declarandi Deum praesentem, qui Pater, amor, misericordia est, Iesus ex misericordia ipsa statuit unum praecipuorum suae praedicationis argumentorum. Quomodo alias facere consuevit, hic etiam docet nominatim « in parabolis », utpote quae rerum melius recludant naturam. Meminisse satis est parabolae de filio prodigo[24] vel etiam de bono Samaritano[25] vel per oppositionem de servo quoque nequam parabolae.[26] Complures immo loci inveniuntur intra Christi magisterium, qui nova semper via quadam illustrant amorem ac misericordiam. Prae oculis defixisse sufficit bonum pastorem, qui ovem errantem vadit quaesiturus[27] vel mulierem, quae domum converrit amissam drachmam erutüra.[28] Evangelista Lucas est qui haec Christi institutionis capita particulatim

[22] *1 Io.* 4, 8. 16.
[23] Cfr. *Eph.* 2, 4.
[24] *Lc.* 15, 11-32.
[25] *Lc.* 10, 30-37.
[26] *Mt.* 18, 23-35.
[27] *Mt.* 18, 12 ss; *Lc.* 15, 3-7.
[28] *Lc.* 15, 8 ss.

enodat cuiusque proin Evangelium sibi titulum meruit « Evangelii misericordiae».

Cum autem de praedicatione agitur, iam momenti summi quaestio simul ponitur, nempe de vi vocabulorum de materiaque conceptus, in primis de intellectu notionis misericordiae (cum amoris figura collatae). Recta enim intellegentia illarum cogitationum quasi quaedam clavis est, qua veritas misericordiae ipsa comprehendatur. Et pluris sane hoc nostra interest. Verum tamen, priusquam ulteriorem nostram deliberationem eodem in argumento consumamus, ut videlicet verborum decernamus vim significationemque propriam ipsius conceptus « misericordiae », denotetur oportet Christum, cum amorem misericordiam Dei revelaret, eadem opera ab hominibus poposcisse, ut sua in vita se insuper sinerent amore ac misericordia permoveri. Postulatum istud ad indolem pertinet messianici nuntii facitque etiam medullam « etheos » evangelici. Magister hoc enuntiat modo per mandatum, quod is « magnum et primum » describit,[29] modo per formulam benedictionis, cum in montano loquitur sermone: « Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur ».[30]

Sic propterea messianicus nuntius de misericordia prae se fert peculiarem naturam et divinam et humanam. Christus, uti complementum ipse vaticiniorum messianicorum, cum factus sit amoris incarnatio, qui maxima se virtute comprobat erga dolentes infelices peccatores, praesentem adducit Patrem eoque modo plenius ostendit Patrem, qui Deus est « dives in misericordia ». Cum autem pro hominibus simul factus ille sit exemplar misericordis in ceteros amoris, Christus simul gestis multo potius rebus quam verbis proclamat illam appellationem ad misericordiam, quae una ex necessariis partibus est « etheos Evangelii ». Neque hic id solum interest, ut mandatum aliquod postulatumve impleatur ethicae indolis, verum ut satis fiat

[29] *Mt.* 22, 38.
[30] *Mt.* 5, 7.

condicioni supremi ponderis, unde valeat se Deus sua in misericordia erga homines revelare: « Misericordes ... misericordiam consequentur ».

III

4. Vetere in Testamento « misericordiae » notio suam habet longam locupletemque progressionem. Ad eam ideo revolvamur oportet, quo amplius misericordia refulgeat a Christo reclusa. Factis namque suis ac praeceptis illam demonstrans loquebatur cum hominibus, qui non tantum misericordiae notionem comprehenderant, verum tamquam Dei populus Veteris Foederis hauserant sua ex multorum saeculorum historia peculiarem experientiam ipsius misericordiae Dei. Quod quidem experimentum intus in animo a societate ipsa et communitate subitum erat necnon singulis ab hominibus.

Populus enim fuit Israel illius foederis cum Deo, quod saepius violavit. Cum sibi autem conscius fiebat suae infidelitatis — neque deerant per Israelis diuturnam historiam prophetae aliique qui conscientiam illam refovebant —, misericordiam invocabat. Hac de re Libri Veteris Testamenti plurima nobis testimonia praebent. Inter eventus vero ac narrationes maioris momenti commemorari licet: primordia rerum gestarum Iudicum,[31] Salomonis precationem templum dedicaturi,[32] partem vaticinii Michaeae,[33] consolationes ac promissiones ab Isaia enuntiatas,[34] Hebraeorum deprecationem in exsilium relegatorum,[35] renovationem pacti post reditum de exsilio.[36]

Multum profecto ponderis habet, quod sua in praedicatione ipsi prophetae misericordiam, quam crebro inducunt ob populi delicta, consociant significanti cum figura Dei amoris. Israelem

[31] **Cfr.** *Idc.* **3, 7 ss.**

[32] **Cfr.** ***1 Reg.*** **8, 22-53.**

[33] **Cfr.** ***Mich.*** **7, 18 ss.**

[34] **Cfr.** ***Is.*** **1, 18; 51, 4-16.**

[35] **Cfr.** ***Bar.*** **2, 11-3, 8.**

[36] **Cfr.** ***Ne.*** **9.**

diligit Dominus unicae electionis amore, simili quidem affectui coniugali;[37] quocirca culpas ei condonat usque ad infidelitatem ipsam et proditionem. Si paenitentiam exinde pervidet in eo veramque mentis conversionem, ad gratiam rursus ipse populum reducit.[38] In doctrina prophetarum misericordia praecipuam denotat amoris vim, qui peccatum vincit ac populi electi infidelitatem.

In hoc dein statu universali « societatis » eminet misericordia velut congruens altera pars interioris experimenti singulorum hominum, qui in peccato versantur quive dolores omne genus calamitatesque perferunt. Tam malum physicum quam morale, id est peccatum, faciunt ut Israelis filii et filiae ad Dominum confugiant eius implorantes misericordiam. Sic ad illum David se confert de gravitate sibi conscius proprii facinoris.[39] Aequaliter et Iob prius in suo terribili casu reluctatus ad eum se convertit.[40] Esther quoque convolat ad ipsum discrimine capitali intellecto adversus suum populum.[41] Praeter haec denique exempla reperiuntur alia in Veteris Testamenti Libris.[42]

Multiformis haec totius communitatis in eaque singulorum persuasio, quae universum apud Vetus Testamentum decursu saeculorum comprobatur, ex prisco populi electi experimento proficiscitur, quod exsilii tempore fecit : miseriam Dominus populi sui conspexit in servitutem redacti eiusque clamorem percipiens et angores perspiciens statuit in libertatem ipsum vindicare.[43] Quo quidem in actu salvationis a Domino ita completo potuit cernere propheta tum amorem eius tum commiserationem.[44] Hic igitur profecto stabilitur cuncti populi securitas et

[37] Cfr. exempli gratia, *Os.* 2, 21-25 et 15; *Is.* 54, 6 ss.

[38] Cfr. *Ier.* 31, 20; *Ez.* 39, 25-29.

[39] Cfr. *2 Sam.* 11; 12; 24, 10.

[40] Cfr. *Iob.* passim.

[41] *Eat.* 4, *m* ss.

[42] Cfr. exempli gratia, *Ne.* 9, 30 ss; *Tob.* 3, 2s. lis; 8, 16 s; *1 Mae.* 4, 24.

[43] Cfr. *Ex.* 3, 7 s.

[44] Cfr. *Is.* 63, 9.

membri uniuscuiusque illius: in misericordia divina, quam expeti licet quibusvis in rebus adversis.

Ad istud deinde accedit quod hominis miseria ipsius est etiam peccatum. Quam infelicitatem populus Testamenti Veteris pariter cognovit iam inde ab exodi tempore, cum aureum vitulum erexisset. At illam facinorosam foederis violationem ipse Dominus evicit, cum Moysi sollemniter edixit: « Dominus, Dominus Deus, misericors et clemens, patiens et multae miserationis ac verax ».[45] Praecipua ex hac revelatione populus ipse electus omnesque eius participes post quodque delictum collegerunt vires ac rationes cur ad eum confugerent, ut nempe commonefacerent eum illorum omnium quae de se ipso subtiliter patefecerat utque rogarent eum veniam.[46]

Factis ita quidem et dictis suam aperuit Dominus misericordiam a primis populi illius initiis, quem sibi delegit quique progrediente historia propria Deo misericordiarum continenter sese credidit, modo in calamitate ipsa modo in criminis sui conscientia. Universae sic varietates ac tenues differentiae amoris demonstrantur in Domini misericordia erga suos: pater ipse eorum est[47] quoniam Israel primogenitus est eius filius;[48] sponsus quoque est eius cui nomen novum declarat propheta: *ruhama* — id est « bene amata », quippe quae sit ipsa misericordiam consecutura.[49]

Etiam cum populi sui infidelitate exacerbatus Dominus neglegere eum decernit, teneritas nihilo minus illius et magnanimus erga eundem amor impellunt ipsum, ut superet iram.[50] Expedite proin concipitur animo cur auctores Psalmorum ca-

[45] *Ex.* 34, 6.

[46] Cfr. *Nm.* 14, 18; *2 Par.* 30, 9; *Ne.* 9, 17; *Ps.* 86 (85), 15; *Sap.* 15, 1; *Eccli.* 2, 11; *Il.* 2, 13.

[47] Cfr. *Is.* 63, 16.

[48] Cfr. *Ex.* 4, 22.

[49] Cfr. *Os.* 2, 3.

[50] Cfr. *Os.* 11, 7 ss.; *Ier.* 31, 20; *Is.* 54, 7s.

nere gestientes celsissimas Domini laudes imponant carmina ad Deum amoris et teneri tudinis, misericordiae ac fidelitatis.[51]

Quibus consequitur ex omnibus, ut non modo pertineat ad ipsam Dei notionem misericordia, verum describat item totius populi Israelis vitam eiusque singillatim filiorum ac filiarum: substantia est intimae familiaritatis cum ipsorum Domino, substantia videlicet collocutionis eorum cum illo. Hoc prorsus sub aspectu exhibetur misericordia cunctis in Veteris Testamenti Libris ubertate quidem magna significationum. Difficile forsan eisdem in scriptis conquirere sit responsionem dumtaxat rationalem interrogationi: quae in se ipsa sit misericordia. Nihilo setius vocabula inibi usurpata plurimum sane hac de re docere nos valent.[52]

[51] **Cfr. *Ps.* 103 (102) et 145 (144).**

[52] **Cum Veteris Testamenti Libri misericordiam definiunt, duas potissimum adhibent locutiones, quarum utraque habet tenuem differentiam semanticam. In primis quidem usurpatur vocabulum *hesed,* quod bonitatis intimum declarat affectum. Quoties duos inter homines ea bonitas oritur, sunt illi non benevoli tantum vicissim, sed eodem etiam tempore mutuo fideles propter interius aliquod officium ac proinde ob fidelitatem inter se ipsos. Si porro *hesed* « gratiam » quoque aut « amorem » significat, id evenit tali ex fidelitate. Quod autem officium istud, de quo agitur, naturam prae se fert non modo moralem sed fere iuridiciale™, inde non quidquam mutatur. Quoties deinde nomen *hesed* in Vetere Testamento refertur ad Dominum, hoc semper accidit ratione habita ipsius foederis, quod cum Israele percusserat Deus. Illud enim pactum a Deo fuit donum atque gratia Israeli. Nihilominus, cum congruenter huic ipsi foederi cum Deo inito opera danda esset, ut id observaretur, *hesed* induebat vim quodam modo legalem. Officio autem iuridico iam non Deus obstringebatur, cum Israel foedus violavisset, neque iam eius condiciones impleret. At tunc plane *hesed,* cum vinculum iuridiciale non amplius haberet, rationem altiorem suam patefaciebat: se enim exhibebat, prout principio erat, nempe amorem, qui donat, amorem proditione valentiorem, gratiam peccato potentiorem.**

Fidelitas illa erga infidelem «filiam populi mei» (cfr. *Lam.* 4, 3. 6) denique fidelitas Dei est in se ipsum. Quod manifestum apparet praesertim in creberrimo usu duplicis dictionis *hesed we'met* (id est gratia ac fidelitas), quae aestimari potest hendiadys (cfr. exempli causa, *Ex.* 34, 6; *2 Sam.* 2, 6; 15, 20; *Ps.* 25 [24], 10; 40 [39], lis; 85 [84], 11; 138 [137], 2; *Mich.* 7, 20). «Non propter vos ego faciam, domus Israel, sed propter nomen sanctum meum» *(Ez.* 36, 22). Quocirca neque Israel, licet detineatur culpa violationis pacti, postulare iam valet audere *hesed* ipsius Dei ex iustitia (legali); attamen potest debetque in spe perseverare atque confidere se impetraturum, cum foederis Deus reapse suo de amore respondeat. Eius autem generis amoris effectus sunt venia ac restitutio in gratiam et interioris pacti renovatio.

Alterum dein verbum, quod in Veteris Testamenti sermone utile est describendae

Misericordiam Domini celebrat Vetus Testamentum vocibus multis finitimae interpretationis, quae peculiari nimirum sua vi inter se distinguuntur, at quae omnes dici possunt undique tendere ad principem rationem unam, ut nempe misericordiae divitias naturam transcendentes in medium proferant eodemque

misericordiae, *rahᵉmim* est. Parvo quidem : discrimine a vocabuli *hesed* significatione distat. Nam, cum *hesed* illuminat proprietates fidelitatis erga se ipsum atque officium respondendi de proprio amore (quae sane qualitates quodam sensu masculinae sunt), tum *rahᵉmim* iam sua in origine designat matris amorem *(rehem* valet idem ac sinus maternus). Ex profundiore quidem et originali vinculo, immo ex coniunctione, quae matrem infantemque devincit, peculiaris necessitudinis ratio cum eo proficiscitur, scilicet singularis amor. Qui insuper amor dici potest omni ex parte gratuitus nulliusque meriti fructus; et hoc modo statuit interiorem necessitatem: est enim postulatio cordis. Ideoque variatio quaedam quasi « feminina » est ipsius masculinae fidelitatis erga se per nomen *hesed* indicatae. Secundum hoc psychologicum fundamentum *rahᵉmim* gignit numerum affectionum, inter quas inveniuntur bonitas et teneritudo, patientia et indulgentia, nempe prompta ignoscendi voluntas.

Assignat omnino Testamentum Vetus tales proprietates Domino, cum de eo loquens utitur vocabulo *rahᵉmim.* Apud Isaiam legimus: «Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obli visear tui » *(Is.* 49, 15). Amor hic fidelis et inexpugnabilis ob arcanam maternitatis virtutem multipliciter profertur Veteris Testamenti locis: nunc ut liberatio a periculis praesertim inimicorum, nunc etiam ut peccatorum condonatio — vel singulorum vel totius quoque Iraelis —, nunc demum ut alacritas implendae promissionis ac spei (eschatologicarum) adersus omnem humanam infidelitatem, sicut legitur apud Osee: « S an abo praevaricationem eorum, diligam eos spontanee» *(Os.* 14, 5).

Aliae praeterea in Veteris Testamenti lingua reperiuntur locutiones quae aliis modis referuntur eandem ad sententiam principalem. At binae iam supra commemoratae voces peculiarem merentur considerationem. In eis liquido monstratur priscum earum latus anthropomorphicum : contemplantes enim divinam misericordiam auctores Sacrorum Bibliorum usurpant dicta, quae conscientiae atque experientiae hominum respondent aetatis suae aequalis. Verba tamen Graeca in interpretatione Septuaginta minorem praebent ubertatem quam Hebraica: non ergo ostendunt omnia parva significationis discrimina semantica, quae sunt primigeniae scriptionis propria. Quidquid vero id est, Novum Testamentum progreditur ab ipsa ubertate et altitudine, quibus Vetus iam praestabat Testamentum.

Ita profecto accipimus quasi ex hereditate Veteris Testamenti et in quadam veluti summula non solam abundantiam elocutionum in Libris illis adhibitarum ad divinam misericordiam definiendam verum propriam quoque et evidenter anthropomorphicam « psychologiam » Dei : trepidantem videlicet imaginem ipsius amoris, qui cum malo ac particulatim cum hominis populique peccato confligens se aperit tamquam misericordiam. Haec imago contexitur non ex sola universali potius significatione vocabuli *hänan* sed etiam intellegentia verbi *hesed* necnon nominis *rahᵉmim.* Exprimit vox *hänan* ampliorem conceptum; nam designat affirmationem gratiae, quae secum importat perpetuam, ut ita dicamus, dispositionem magnanimam, benevolam et clementem.

Extra haec praecipua elementa semantica species misericordiae Vetere in Testa-

tempore multiplici sub facie ad hominem illam producant. Cohortatur Vetus Testamentum homines conflictatos, in primis vero peccatis gravatos — haud secus atque universum Israelem, qui foederi consenserat cum Deo — ut misericordiam invocent, quibus pariter concedit, ut huic penitus confidant: etenim misericordiam meminit in lapsuum debilitationisque animorum temporibus. Deinceps propter misericordiam gratias retribuii et gloriam Deo, quoties scilicet ostensa illa est et impleta aut in populi aut in cuiusque hominis vita.

Hoc modo igitur misericordia quadamtenus iustitiae divinae opponitur ac saepenumero probatur non solum potentior ea sed profundior etiam. Vetus iam Testamentum per docet, quantumvis iustitia habeatur vera in homine virtus in Deoque transcendentalis perfectio, amorem tamen ipsa esse « praestantiorem)), et quidem idcirco praestantiorem, quod primarius maneat et principalis. Amor, ut ita dicamus, iustitiae temperat atque caritati servit ad extremum iustitia. Principatus autem ille et excellentia amoris prae iustitia (id quod totam designat revelationem) omnino per misericordiam proditur. Hoc adeo manifestum psaltis videbatur ac prophetis, ut ipsa tandem iustitiae vox salutem designaret a Domino eiusque misericordia effectam.[53] Misericordia ergo distat a iustitia verumtamen cum ea non discordât, si modo admittimus in hominis historiam — sicut revera facit Vetus Testamentum — Dei praesentiam, qui ut rerum effector singulari devincitur amore suis cum rebus patratis. Suapte insuper natura odium amor excludit atque de-

mento componitur item ex eo quod sibi vult *hâmal,* quae vox ex ipsa scriptione significat « parcere (inimico victo) », verum etiam « ostendere misericordiam et commiserationem», ac propterea indicat veniam remissionemque culpae. Similiter verbum *hiis* misericordiam declarat atque commiserationem, sed potissimum sensu affectivo. Tamen Sacrorum Bibliorum in locis haec nomina rarius frequentantur, ut misericordia celebretur. Animadvertendum insuper est verbum iam memoratum *'emet,* quod in primis significat «soliditatem, securitatem» (in Graeca autem versione Septuaginta: «veritatem») ac dein «fidelitatem» sicque sociari videtur cum semantica vi propria vocabuli *hesed.*

[53] Cfr. *Ps.* 40 (39), 11: 98 (97), 2 s; *Is.* 45, 21; 51, 5. 8; 56, 1.

siderium maiorum adversus eum cui donum aliquando sui dedit ipsius :•« nihil odisti eorum, quae fecisti».[54] Quae scilicet verba retegunt ima necessitudinis fundamenta inter iustitiam Dei ac misericordiam ad hominem mundumque relatas. Inculcant praeterea hoc: radices vivificantes extremasque coniunctionis illius causas quaeri prorsus debere ipso repetendo « principio » rerum intra creationis mysterium. Praenuntiant vero in Veteris Foederis iam adiunctis plenam Dei revelationem, qui « caritas est ».[55]

Cum creationis autem mysterio mysterium cohaeret electionis, quae historiam populi informavit, cuius pater spiritalis merito propriae fidei Abraham est. At tamen per hunc ipsum populum, aetates Veteris Novique Foederis transeuntem, refertur mysterium electionis istud ad unum quemque hominem et immensam cunctam hominum familiam. « In caritate perpetua dilexi te; ideo attraxi te in misericordia».[56] ((Montes enim recèdent..., misericordia autem mea non recedet a te, et foedus pacis meae non movebitur ».[57] Veritas haec suo tempore Israeli enuntiata adfert secum totius hominum historiae prospectum, qui temporarius simul est atque eschatologicus.[58] Christus deinde Patrem eodem in prospectu ac praeparato in animorum statu revelat, perinde ac longae confirmant scriptorum paginae Veteris Testamenti. Ad illius demum revelationis finem in pervigilio suae nempe mortis expromit apostolo Philippo voces : ((Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me...? Qui vidit me, vidit Patrem ».[59]

[54] ***Sap.*** **11, 24.**
[55] ***1 Io.*** **4, 8. 16.**
[56] ***Ier.*** **31, 3.**
[57] ***Is,*** **54, 10.**
[58] ***Ion.*** **4, 2. 11;** ***Ps.*** **145 (144), 9;** ***Eccli.*** **18, 8-14;** ***Sap.*** **11, 23-12, 1.**
[59] ***Io.*** **14, 9.**

IV

5. In ipso quasi Novi Testamenti limine resonat Evangelium Sancti Lucae singulari quadam convenientia duorum vocabulorum ad misericordiam divinam attinentium, in quibus universa Veteris Testamenti vehementer etiam traditio quasi repercussa vocis imago recinat. Ibi enim semanticae eduntur proprietates, quae cum Librorum Antiquorum vario iunguntur sermone. Ecce Mariam, quae Zachariae domum ingressa magnificat toto pectore Dominum ex « misericordia eius », cuius « in progenies et progenies » fiunt participes in Dei timore homines viventes. Paulo autem post, cum Israelis celebrat electionem, ipsa misericordiam effert, de qua recordatur is semper, qui illum elegit.[60] Nato exinde Ioanne Baptista, Zacharias pater eadem in domo bene dicit Israelis Deo extollitque misericordiam, quam fecit « cum patribus nostris » memoratus testamenti sui sancti.[61]

Secundum Christi vero ipsius doctrinam haec imago, quasi hereditate ex Testamento Vetere accepta, simplicior iam redditur atque interior simul. Id quod fortasse liquidius eminet de prodigi filii parabola,[62] ubi essentia videlicet divinae misericordiae exponitur ratione aliqua insigniter manifesta, quamvis ipsum « misericordiae » vocabulum ibi non occurrat. Quem porro ad effectum non lingua sola conducit, sicut in Libris Testamenti Veteris, sed et similitudo ipsa, quae permittit uberius ut perspiciatur mysterium misericordiae tamquam flebilis casus intercedentis inter amorem patris ac prodigentiam filii et peccatum.

[60] Utroque nimirum in casu agitur de *hesed,* scilicet de fidelitate, quam Deus exserit erga proprium amorem pro populo, de fidelitate in promissa, quae ipsa quidem in maternitate Dei Genetricis consequentur postremam suam absolutionem (cfr. *Lc.* 1, 49-54).

[61] Lc. 1, 72. Hic pariter misericordia tractatur secundum vim nominis *hesed,* quia sequentibus in sententiis, ubi Zacharias loquitur de misericordi bonitate Dei nostri, clare expromitur altera cogitatio, nempe vocis *rahᵉmim* (in Latina interpretatione: viscera misericordiae), quae divinam misericordiam idem potius esse declarat ac maternum amorem.

[62] Cfr. *Lc.* 15, 11-32.

Filius enim iste, qui partem sibi obtingentis patrimonii recipit a patre domoque excedit, in regione longinqua eam dissipaturus « vivendo luxuriöse », homo quadamtenus cuiusvis est aevi, iam inde ab eo, qui primus gratiae perdidit hereditatem pristinaeque honestatis. Similitudo latissime quidem hoc loco patet. Etenim tramite obliquo tangit parabola omnem violationem pacti amoris, amissionem omnem gratiae, omne delictum. Verum, si res cum traditione prophetica confertur, eadem in comparatione minus insistitur totius populi Israelis infideli tati, licet filii prodigi similitudo possit ad eam infidelitatem extendi. Filius «postquam omnia consummasset..., ipse coepit egere» tantoque vel magis quod fames erat facta « in regione illa », in quam se pertulerat, patria domo derelicta. Haec ideo cum ita essent, « cupiebat saturari » quacumque re poterat, etiam forte <(de siliquis quas porci manducabant » ab eo pasti pro uno « civium regionis illius ». At hae quoque illi negaban tur.

Clare deflectit similitudo ad intima hominis. Nam patrimonium, quod a patre iste perceperat, copia sane materialium erat bonorum; atqui maioris longe momenti quam ea bona restabat dignitas ipsius ut filii domicilio in paterno. Illa igitur condicio, in quam opibus absumptis incurrerat, debuerat eum commonefacere huius sic perditae dignitatis. Antea certo non ipse cogitaverat de ea, cum patrem obsecraret, qui debitam sibi patrimonii expenderet portionem, ut abire valeret. Neque nunc quidem conscius sibi illius esse videtur, cum secum dicit : « Quanti mercenarii patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo ».

Suum enim statum is metitur bonorum regula, quae amisit, nempe quae non iam « possidet », mercenariis in patris domo « possidentibus » ea. Istae voces habitum mentis dénudant praesertim super corporeis rebus. Sub earum nihilo se tins vestitu miserabilis latet casus profligatae dignitatis et conscientia simul filietatis dissipatae.

Tum accidit denique ut ineat consilium: « Surgam et ibo

ad patrem meum et dicam illi: Pater, peccavi in caelum et coram te et iam non sum dignus vocari filius tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis ».[63] Hi propterea sermones sunt, qui acutius difficultatis principalis circumscribunt naturam. Per impeditiorem corporalium negotiorum fortunam, in qua suam ob levitatem suumque crimen versabatur prodigus filius, maturuit dignitatis imminutae sensus. Ubi tandem in animum induxit ad domum patris reverti, a quo peteret ille, ut exaudiretur — iam non sane ex cuiusdam filii iure verum in mercenarii cuiuslibet condicione —, foris quidem agere videtur propter famem ac miseriam, in quam erat prolapsus; at causa ista pervaditur maioris detrimenti intellegentia: esse namque in patris sui domo mercenarium permagna certe demissio est ac dedecus. Sed paratus tamen filius prodigus est ad demissioni tali ac dedecori occurrendum. Quippe: is prorsus novit aliud sibi nullum superesse ius nisi ut mercenarius sit in patria domo. Consilium porro eius captum est plena ex earum rerum cognitione, quas meruerat earumque etiam quarum tunc habere ius potuit secundum iustitiae normas. Probat autem haec ipsa deliberatio emergere ex filii prodigi conscientia sensum perditae dignitatis, immo dignitatis illius, quae de necessitudine filii cum patre proficiscatur. Hac proin cum affectione ingreditur viam.

• In parabola super filio prodigo ne semel quidem usurpatur « iustitiae » verbum; sicut nec primigeno in textu nomen adhibetur « misericordiae »: attamen consociationis ratio iustitiae et amoris, qui ut misericordia profertur, diligentissima cura inseritur propriam in doctrinam evangelicae similitudinis. Manifestius namque constat amorem transire in misericordiam, quoties transgredí oporteat definitam iustitiae regulam: accuratam videlicet ac saepe nimis arctam. Profusis nempe facultatibus, quas a patre acceperat, reversus meretur prodigus filius lucrari victum operando mercenarii ritu intra patrios parietes,

[63] *Lc.* 15, 18 s.

deinceps paulatim sibi cumulare copiam quandam bonorum etsi numquam tantam fortassis quantam is disperdiderat. Postulata saltem haec ordinis essent iustitiae eoque etiam plus, quoniam filius iste non solum patrimonii sibi reservati absumpserat partem, sed ipsum insuper patrem suis moribus offenderai et adflixerat. Mores quidem illi, quos plane indicaverat sua se dignitate privavisse, revera indifferentes patri esse non potuerunt. Quin immo cogere debebant eum dolere. Debebant ipsum pacto aliquo implicare. Agitur ad extremum tamen de proprio filio; neque illa necessitas auferri valuit nec qualibuscumque actibus dissolvi. Huius pariter rei conscius est prodigus filius; et ista quidem talis est conscientia, ut liquido ei ostentet dignitatem pessum datam eumque incitet ad locum recte aestimandum, qui pertinere ultra possit ad illum in domo patris.

6. Descripta species haec status animi in filio prodigo subtiliter nos sinit, ut comprehendamus in quo demum misericordia divina consistat. Nihil iam dubii est quin simplici illa sed profunda in similitudine monstret patris figura Deum uti Patrem. Actio patris in parabola eiusque omnis modus se gerendi, quae intimum retegunt ipsius affectum, singulos filios intra misericordiae prospectum Veteris Testamenti deprehendere nobis permittit iam in nova funditus rerum complexione, quae simplicitate abundat et altitudine. Etenim filii prodigi pater fidelem se exhibet suam erga paternitatem, fidelem erga amorem, quem numquam illi non impertiebat filio suo. Fidelitas autem ea significatur in parabola non tantum promptissimo animo, quo est filium complexus domum tunc redeuntem, patrimonio consumpta; vehementius etiam declaratur laetatione illa festività teque adeo liberali in profusorem remigrantem, quae talis quidem est, ut fratris maioris repugnantiam inflammet atque invidiam, utpote qui recesserit a patre numquam nec domum destituent.

Patris fidelitas erga se ipsum — quae qualitas iam profluit

ex Veteris Testamenti nomine « hesed » — simul confirmatur quadam ratione admodum plena affectionis. Nam haec legimus : cum vidisset pater filium prodigum domui appropinquantem, ((motus est et accurrens cecidit supra collum eius et osculatus est illum i).[64] Ingenti certe agit concitatus affectu; unde explicari aequabiliter potest eius in filium magnanimitas, quae tantam postea fratri maiori movet indignationem. Atqui causae illius commotioris animi sunt altius nimirum deducendae. En : pater intellegit servatum esse bonum quoddam primarium — ipsum scilicet humanitatis bonum proprii filii. Quamquam patrimonium iste disperdidit, in tuto eius tamen constat humanitas. Immo vero est rursus quodammodo inventa. Hoc testantur verba quae filio natu maiori loquitur pater : « epulari autem et gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat et revixit, perierat et inventus est ».[65] Accedit quod in eodem capite XV Evangelii secundum Lucam offendimus parabolam ovis rursus inventae[66] deindeque similitudinem drachmae iterum repertae.[67] Toties autem ibi eadem extollitur laetitia, quae in filii prodigi adest casu. Patris erga se fidelitas intenditur tota in filii amissi humanitatem in ipsiusque dignitatem. Sic profecto maxime explanatur gaudium permagnum eo recurrente domum.

Ulterius vero amorem adversus filium, amorem nempe qui ex ipsa oriatur paternitatis natura, dici licet patrem ferme praefinivisse, ut filii dignitatis gereret curam. Nam sollicitudo ista modum statuit eius amoris, quem Sanctus Paulus cecinit exinde: « Caritas patiens est, benigna est caritas..., non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum..., congaudet autem veritati..., omnia sperat, omnia sustinet » et « numquam excidit ».[68] Misericordia ergo — qualem Christus in prodigi filii reclusit similitudine —- interiorem possidet formam amoris,

[64] *Lc.* 15, 20.
[65] *Lc.* 15, 32.
[66] Cfr. *Lc.* 15, 3-6.
[67] Cfr. *Lc.* 15, 8 s.
[68] *1 Cor.* 13, 4-8.

qui in Novo Testamento « agape » nuncupatur. Talis propterea amor inclinare se potest super omnem prodigum filium miseriamque humanam ac praesertim super moralem quamque egestatem, id est peccatum. Hoc cum evenit, qui misericordiam experitur, haud se deici sentit, verum quasi denuo inveniri atque « existimari ». Ante omnia laetitiam ei pater testificatur, quia <(inventus est » ac « revixit ». Quod ipsum gaudium commonstrat bonum quoddam inviolatum: filius enim quamvis prodigus non verus cessat esse filius sui patris; gaudium insuper denotat bonum recuperatum, quod in filii prodigi casu reditus eius fuit ad veritatem de se ipso.

Id tamen, quod secundum Christi parabolam accidit necessitudini patris ac filii, non valemus « extrinsecus » ponderare. Cunctae namque opinationes praeiudicatae nostrae de misericordia maximam sane partem fructus sunt alicuius iudicii solum exterioris. Interdum immo evenit ut talem iudicandi viam persecuti dispiciamus in misericordia quandam inaequalitatis rationem inter auctorem misericordiae et acceptorem. Hinc proclives nos ad hanc sententiam sumus: dehonestare misericordiam hominem eam recipientem labefactareque hominis dignitatem. At filii prodigi similitudo aliter res sese habere persuadet: rationem misericordiae inniti experientiae communi illius boni, quod homo ipse est, necnon experientiae universali dignitatis eius propriae. Experimentum vero commune istud efficit, ut prodigus filius se conspicari incipiat suaque acta secundum totam veritatem (quae simul veritatis visio significat humilitatem veram) ; patri contra omnino ista de causa filius unicum fit bonum : videt enim is clare et liquide bonum sic impletum esse propter arcanam quandam veritatis amorisque communicationem, qui amor oblivisci videtur omne malum a filio admissum.

Simpliciter proinde sed radicitus exprimit prodigi filii comparatio veritatem conversionis. Haec nominatim solidissima est declaratio operis ipsius amoris misericordiaeque in hominum

societate praesentis. Vis propria ac vera misericordiae non in eo solum consistit quod oculi forte vel acerrimi etiam atque dementes coniciuntur in malum morale aut physicum aut corporale; nam ex germana sua peculiarique natura comprobatur misericordia, cum aestimat, iterum fovet, extrahit bonum de omnibus mali formis in orbe terrarum atque in homine exstantibus. Ita quidem comprehensa defigit ipsa principalem doctrinam messianici nuntii Christi constitutivamque operis eius virtutem. Eodem insuper hoc pacto intellegebant misericordiam et exercebant discipuli ipsius ac sectatores, quorum profecto in animis actisque misericordia numquam se praestare desinebat velut comprobationem apprime creatricem amoris, qui « vinci a malo » se non patitur sed qui vincit « in bono malum ».[69] Necesse ideo est verus misericordiae vultus ab integro semper discooperiatur. Quamquam praeiudicia varia obstant, videtur ea nostris summe necessaria temporibus.

V

7. Messianica Christi nuntiatio eiusque inter homines navitas in crucem demum et resurrestionem atque ascensionem evadunt. Alte igitur nobis postremum in hunc eventum est penetrandum, qui Concilii praesertim sermone mysterium paschale definitur, si modo ad ultimas usque partes voluerimus patefacere misericordiae veritatem perinde ac patefacta ipsa ad extremum est in nostrae salutis historia. Hoc itaque considerationum nostrarum loco decet propius etiam nos ad magisterium accedere Litterarum Encyclicarum *Redemptor Hominis.* Nam si redemptionis veritas secundum humanam rationem suam reserat immensam hominis magnitudinem, qui talem ac tantum meruit habere Redemptorem,[70] divina simul ratio eiusdem redemptionis permittit nobis via — ut ita dicamus — empirica maxime et

[69] ***Rom.*** **12, 21.**

[70] **Cfr. Liturgia Vigiliae Paschalis: praeconium paschale «Exsultet».**

«. historica '» detegere illius amoris altitudinem, qui nihil prorsus abhorret a singulari Filii sacrificio, ut satis faciat Creatoris ac Patris fidelitati erga homines eius ad imaginem efiéctos iamque a « principio » electos in gratiam et gloriam.

Feriae sextae eventa illius hebdomadis atque antea etiam precatio iii horto Gethsemani dicto inducunt commutationem quandam primorem in totum cursum revelationis amoris ac misericordiae per messianicum Christi officium. Etenim, qui ((pertransivit benefaciendo et sanando »[71] « curans omnem languorem et omnem infirmitatem »,[72] nunc contra ipse plurimam promereri videtur misericordiam eamque evocare, cum is comprehenditur et illuditur, damnatur et flagellatur, coronatur spinis clavisque cruci affixus efflat animam acerbissimos inter cruciatus.[73] Tum sane cum maxime misericordiam meretur hominum, quibus bene fecit; quam tamen non recipit. Quin immo illi etiam, qui proximi ei adsistunt, tueri ipsum non valent neque de manibus oppressorum eripere. Ultimo igitur in hoc muneris messianici itinere complentur in Christo prophetarum voces cum primisque Isaiae de Servo Iahveh pronuntiatae: « livore eius sanati sumus ».[74]

Tamquam homo, qui in horto Olivarum atque Calvariae loco vere horrende discruciatur, Christus ad Patrem sese convertit : ad illum sane Patrem, cuius praedicavit erga homines amorem cuiusque misericordiam universo suo agendi modo confirmavit. Verumtamen non adimitur nec ei ipsi terribilis perpessio mortis in cruce : « Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit »,[75] ait Sanctus Paulus, cum granditatem mysterii crucis simulque indolem divinam veritatis redemptionis paucis verbis perstringit. Quae quidem ipsa redemptio est novissima ac definitiva patefactio sanctitatis Dei, qui et ipse absoluta vicis-

[71] *Act.* 10, 38.

[72] *Mt.* 9, 35.

[73] Cfr. *Me.* 15, 37; *Io.* 19, 30.

[74] *Is.* 53, 5.

[75] *2 Cor.* 5, 21.

sint est perfectionis consummatio : videlicet plenitudo iustitiae et amoris, quandoquidem amori superstruitur iustitia ex eoque profluit et ad eum contendit. In patientia ergo Christi ac morte — quoniam proprio Filio non pepercit Pater sed « eum... pro nobis peccatum fecit »[76] — absoluta idcirco declaratur iustitia, quod Christus propter hominum generis delicta suffert passionem et mortem. Haec omnino est iustitiae « superabundantia », cum hominis peccata « compensen tur » hominis-Dei sacrificio. Verum istius modi iustitia, quae plane iustitia est « secundum mensuram » Dei, ex amore nascitur omnis : Patris nominatim Filiique amore; necnon tota de amore fructificat. Hanc prorsus ob causam divina iustitia in Christi cruce refecta « secundum mensuram » Dei est, quia oritur ex amore in amoreque perficitur, dum fructus parit salutis. Ratio divina redemptionis non tunc solum completur, cum peccatum vindicatur, sed cum amori redditur illa vis in homine creatrix, ob quam is accedere iterum valet ad vitae plenitudinem ac sanctimoniam a Deo procedentem. Sic quidem misericordiae revelationem importat secum redemptio pro ipsius plenitudine.

Paschale ideo mysterium culmen huius revelationis et exsecutionis est misericordiae, quae hominem potest iustum facere iustitiamque ipsam reficere, prout ea ordo salvificus est, quem ab initio Deus in homine optaverat ac per hominem in mundo. Patiens Christus hominem singulariter compellat, nec solum credentem. Nam etiam homo incredulus poterit in illo reperire eloquentiam necessitudinis et communitatis cum statu humano, sicut consonam pariter plenitudinem cuiusdam prorsus sui incuriosae devotionis pro causa hominis, pro veritate et amore. Divina mysterii paschalis ratio nihilo setius adhuc descendit altius. Crux enim in Calvariae loco defixa, ubi postremum Christus agit suum cum Patre colloquium, exsurgit quasi de illius amoris medullis, quo ipse homo ad imaginem Dei ac similitu-

[76] *Ibid.*

dinem conditus aequabiliter secundum aeternum Dei consilium est honestatus. Quem Christus revelavit, Deus non tantum arctis cum mundo vinculis colligatur uti Creator primusque ipsius vitae fons; Pater quoque ille videlicet est qui cum homine a se vocato ad vitam in mundo aspectabili ducendam coniungitur nexu aliquo vel strictiore quam creationis. Quippe: amor est qui non sola efficit bona sed perficit etiam, ut participatio contingat ipsius Dei vitae: Patris et Filii et Spiritus Sancti. Qui enim diligit, donare se ipsum concupiscit.

Christi crux in situ Calvariae exstat secus viam illius admirabilis commercii, istius nempe mirandae Dei communicationis cum homine, in qua simul appellatio continetur, quae homini fit, ut se Deo tradens secumque universum visibilem orbem, reddatur vitae divinae particeps et ut more adoptivi filii consors evadat veritatis atque caritatis, quae in Deo est, de Deo exit. Ita plane secundum viam aeternae hominis destinationis ad filii Dei adoptivi dignitatem eminet in historia crux Christi, Filii Unigeniti, qui velut « lumen de lumine, Deus verus de Deo vero »[77] advenit, ut novissimum praeberet testimonium mirabilis Dei foederis cum hominum genere, Dei scilicet cum homine, cum homine unoquoque. Pactum illud tam antiquum quam homo, idem recidit ad ipsum usque mysterium creationis; saepius autem redintegratum unico cum populo electo iam pari nunc iure foedus novum ac decretorium est, ibi nempe in Calvariae loco constitutum, nec uni soli populo, id est Israeli, reservatum sed omnibus singulisque apertum.

Quid igitur nos crux docet Christi, quae nuntii messianici eius muneris locutio est quodammodo extrema? — et tamen nondum ultima Dei foederis vox est: ipsa in illo diluculo prolata est, cum mulieres primae ac deinde Apostoli ad Christi cruci affixi monumentum progressi conspexerunt vacuum sepulcrum primoque exaudierunt nuntium: «resurrexit». Quem ceteris

[77] **Cfr. professio fidei Nicaeno-Constantinopolitana.**

repetiverunt et facti deinceps sunt Christi resuscitati testes. Attamen in hac etiam glorificatione Filii Dei adesse crux pergit, quae, per totam messianicam testificationem de Homine-Filio illo, qui mortem passus in ea est, loquitur nec loqui umquam desinit de Deo-Patre, qui suo amori usquequaque fidelis est erga hominem ; « sic enim dilexit Deus mundum » — ideoque hominem in mundo — « ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam ».[78] Credere autem in Filium crucifixum significat « Patrem videre » ;[79] significat credere in mundo reperiri amorem eundemque valentiorem esse amorem qualibet specie mali, quo implicentur homo genus humanum mundus. In eius modi igitur credere amorem, in misericordiam credere simul significat. Haec enim necessaria amoris est pars eiusque veluti alterum nomen et eodem tempore ratio propria ipsius revelationis necnon eius exsecutionis adversus verum malum, quod in orbe deprehenditur, quod temptat obsidetque hominem, quod in animum se illius insinuât, quin immo eum potest « perdere in gehenna N.[80]

8. Praeterea Christi crux in Calvariae loco testimonium pariter est de mali potentia contra ipsum Filium Dei, scilicet contra illum qui unus universos inter filios hominum fuit suapte natura penitus innocens a peccatoque alienus et cuius in mundum adventus immunis fuit ab Adami inoboedientia ac labis primigenae hereditate. En autem in eo admodum ipso, in Christo nempe, vindicatur peccatum pretio eius sacrificii atque oboedientiae « usque ad mortem ».[81] Eum qui non noverat peccatum, « pro nobis peccatum fecit » Deus.[82] Vindicatur insu-

[78] *Io.* 3, 16.
[79] Cfr. *Io.* 14, 9.
[80] *Mt.* 10, 28.
[81] *Philp.* 2, 8.
[82] *2 Cor.* 5, 21.

per mors, quae ab historiae humanae primordiis sociata cum peccato est. Cum vero sic mors vindicatur, id sane evenit propter ipsius mortem, qui peccato carebat solusque poterat morte sua morti mortem inferre.[83] Taliter quidem crux Christi, in qua Patri consubstantialis Filius plenam retribuit Deo iustitiam, patefactio « radicalis » aliqua est misericordiae sive potius amoris, qui toti adversatur rei efficienti radicem ipsam mali in hominis historia : peccato nominatim ac morti.

Crux ergo humillima inclinatio Divinitatis est super hominem ac super ea quae homo — difficilibus potissimum acerbisque temporibus — suam appellat infelicem fortunam. Crux autem quasi amoris aeterni contrectatio est vulnerum acerrime dolentium in terrena hominis vita; consummatio usque in finem est messianici propositi, quod Nazarae olim Christus in synagoga enuntiavit[84] iteravitque dein coram missis a Ioanne Baptista.[85] Secundum dicta vero, quae Isaiae iam continebantur vaticinio,[86] propositum istud deducebatur ad effectum amore revelando misericordi in pauperes aerumnosos captivos, in caecos afflictos peccatores. At in paschali mysterio limes transitur multiplicis mali, cuius fit consors homo terrestri in vita : nam facit crux Christi, ut altiores perspiciamus mali radices in peccatum mortemque descendentes et sic ea efficitur eschatologicum signum. In consummatione dumtaxat eschatologica ultimaque orbis renovatione vincet in cunctis electis amor intimos ipsos mali fontes, dum uti fructum plane maturum adducet Regnum vitae et sanctitatis gloriosaeque immortalitatis. Talis autem eschatologicae consummationis fundamentum in cruce iam Christi iacet ac morte. Quod inde Christus « suscitatus est tertia die »,[87] id prae se fert postremum officii messianici indicium, quod totam quidem revelationem cumulat misericordis

[83] Cfr. *1 Cor.* 15, 54 s.

[84] Cfr. *Lc.* 4, 18-21.

[85] Cfr. *Lc.* 7, 20-23.

[86] Cfr. *Is.* 35, 5; 61, 1ss.

[87] *1 Cor.* 15, 4.

amoris in mundo malis obnoxio. Id eodem similiter tempore signum constituit, quod « caelum novum et terram novam »[88] praemonstrat, cum Deus « absterget omnem lacrimam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus neque clamor neque dolor erit ultra, quia prima abierunt ».[89]

In eschatologica rerum perfectione aperietur misericordia ut amor, dum in huius saeculi condicione, in historia humana — quae historia simul peccati est et mortis — amor ostendendus est praesertim ut misericordia atque implendus etiam est ut ea. Messianicum Christi consilium — consilium misericordiae — efficitur propositum eius populi, propositum Ecclesiae. Sed in ipsa media intimaque ipsius parte crux semper consistit, cum in ea misericordis patefactio amoris in summum evadat. Quoad igitur « prima » non abibunt,[90] crux « locus » iste persistet, ad quem alii etiam referri possint sermones Apocalypsis Ioannis : « Ecce sto ad ostium et pulso. Si quis audierit vocem meam et aperuerit ianuam, introibo ad illum et cenabo cum illo et ipse mecum)).[91] Insigniter quoque suam Deus recludit misericordiam, quoties hominem concitat ad « misericordiam » proprium in Filium suum, id est in Crucifixum.

Christus omnino ipse tamquam Crucifixus est Verbum, quod minime praeterit,[92] est ille qui stat ad ostium et pulsat cuiusque cor hominis;[93] non tamen eius reprimit libertatem, sed ex ea ipsa libertate deducere studet amorem, qui non tantum actus alicuius consensus et coniunctionis est cum perdolente Filio Hominis, sed certo quodam pacto «misericordia)) est Filio aeterni Patris a singulis nobis exhibita. In omni autem messianico hoc Christi opere atque in omni misericordiae demonstra-

[88] *Apc.* 21, 1.
[89] *Apc.* 21, 4.
[90] Cfr. *Apc.* 21, 4.
[91] *Apc.* 3, 20.
[92] Cfr. *Mt.* 24, 35.
[93] Cfr. *Apc.* 3, 20

tione per crucem nonne plus forsitan possit hominis dignitas observari et elevari, cum misericordiam expertus sit etiam aliquo modo is qui simul « misericordiam demonstrat »?

Nonne revera Christus demum ipse talem animi affectum indicat erga hominem cum dicit: « Quandiu fecistis uni de his... mihi fecistis »?[94] Nonne verba sermonis montani: « Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur »,[95] praebent quadam ratione summam universi Boni Nuntii totiusque admirabilis commercii ibidem absconditi; quod quidem lex prorsus simplex valida simulque « suavis » est ipsius dispensationis salutis? Nonne eaedem montani sermonis voces, quia iam a principio ostendunt cordis humani facultates — videlicet homines esse valere « misericordes » —, discooperiunt fortasse secundum eandem rationem altum Dei mysterium: eam nempe inscrutabilem Patris et Filii et Spiritus Sancti coniunctionem, in qua amor iustitiam complexus aperit misericordiae viam, quae iustitiae vicissim retegit perfectionem?

Mysterium proin paschale Christus ipse est in culmine revelationis mysterii incomprehensibilis Dei. Tunc enim maxime ad extremum usque completur istud in Cenáculo pronuntiatum: « Qui vidit me, vidit Patrem »,[96] Nam Christus, cui pro homine Pater « non pepercit »[97] quique suo in dolore et crucis supplicio expertus humanam non est misericordiam, planam fecit sua in resurrectione plenitudinem illius amoris, quem Pater fovet in eum atque in eo erga omnes homines. « Non est Deus mortuorum sed vivorum! ».[98] Sua quidem in resurrectione Christus commonstravit Deum misericordis amoris idcirco plane, quod crucem in se receperat ut viam ad resurrectionem. Quam ob rem, cum crucis Christi meminimus eiusque passionis ac mortis, fides nostra et spes collineantur in Resuscitatum; in ipsum

[94] *Mt.* 25, 40.
[95] *Mt.* 5, 7.
[96] *Io.* 14, 9.
[97] *Rom.* 8, 32.
[98] *Me.* 12, 27.

nominatim Christum, qui, « cum esset... sero die illa prima sabbatorum... stetit in medio », in Cenáculo, « ubi erant discipuli... insufïïavit et dicit eis.- "Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remissa sunt eis; quorum retinueritis, retenta sunt" »."

Ecce Dei Filium, qui sua in resurrectione funditus persensit super se misericordiam, Patris hoc est amorem, qui morte efficacior est. Verum idem quoque Christus Filius Dei est, qui ad terminum, immo quadam tenus ultra terminum operis messianici sui, praebet se ipse inexhaustum fontem misericordiae, eiusdem nempe amoris, quem deinceps in longiore prospectu historiae salutis in Ecclesia numquam non confirmari oportet peccato ipso potentiorem. Christus paschalis ultima ac sempiterna misericordiae quasi quaedam corporatio est illiusque vivens signum : historicum-salvificum una et eschatologicum. Hoc sane cum eodem affectu liturgia sacra paschalis temporis ponit in ore nostro Psalmi verba : « Misericordias Domini in aeternum cantabo ».[100]

9. In paschalibus autem illis Ecclesiae eloquiis plene resonant in prophetica sua sententia verba iam a Maria prolata Elisabeth, Zachariae uxorem, invisente : « misericordia eius in progenies et progenies ».[101] Quae porro voces ab ipso iam Incarnationis momento pandunt visionem novam historiae salutis. Post Christi vero resurrectionem visio ista historico modo nova est simulque eschatologico. Quo ex tempore propagines usque frequentiores hominum succedunt in familia interminata humana; novae pariter suboles consequuntur Populi Dei crucis resurrectionisque nota distinctae ac « signatae » [102] charactere paschalis mysterii Christi, consummatae scilicet revelationis istius misericordiae, quam in domus limine consanguineae suae

[99] *Io.* 20, 19-23.
[100] *Ps.* 89 (88), 2.
[101] *Lc.* 1, 50.
[102] Cfr. *2 Cor.* 1, 21 s.

Maria proclamavit: « misericordia eius in progenies et progenies ».[103]

Maria insuper est, quae singulari prorsus extraordinarioque pacto — sicut alius nemo — misericordiam cognovit et eodem tempore item eximio perquam modo consecuta est cordis sui sacrificio, ut propria evenire posset participatio sua ipsius revelationis divinae misericordiae. Quod sacrificium proxime cohaeret cum eius Filii cruce, sub qua etiam illa in Calvariae loco adstitit. Ipsius proinde sacrificium hoc peculiaris omnino communicatio est in patefacienda misericordia; nempe communicatio est absolutae Dei fidelitatis erga proprium amorem ac foedus, quod inde ab aevo sempiterno voluit quodque in tempore pepigit cum homine, cum populo, cum genere humano; participatio est revelationis illius, quae semel est in aeternum per crucem transacta. Similis Mariae, Crucifixi Matris, nemo mysterium crucis est expertus, hoc est iustitiae transcendentis divinae cum amore consternan tem congressionem : « osculum » illud iustitiae impertí tum a misericordia.[104] Similis Mariae hoc mysterium animo nemo suscepit: eam rationem vere divinam redemptionis, quae per Filii mortem in Calvariae monte acta est una cum materni cordis eius sacrificio et cum decretorio ipsius « fiat ».

Ergo Maria ea quidem est quae divinae misericordiae interius percipit mysterium ; cuius praeterea novit pretium intellegitque ipsum quam sit magnificum. Hac nimirum significatione eam vocitamus etiam Matrem Misericordiae: Dominam Nostram misericordiae vel Matrem divinae misericordiae. Quibus in titulis singulis ampla reconditur theologica vis, cum enuntient illi peculiarem animae eius, immo totius ingenii ac personae praeparationem ad dispiciendam — primum implicata per eventa Israelis, deinde cuiusque hominis ac postremo universi hominum generis — misericordiam istam cuius « in progenies

[103] *Lc.* 1, 50.

[104] Cfr. *Ps.* 85 (84), 11.

et progenies »[105] participatio fit aeterno ex Sanctissimae Trinitatis consilio.

Memorati vero tituli, quos ascribimus Dei G-enetrici, loquuntur tamen in primis de ea tamquam Crucifixi ac Resuscitati Matre; de illa nempe, quae more extraordinario misericordiam experta « meretur » aequabili modo talem misericordiam progrediente omni sua vita terrestri ac praesertim infra Filii crucem; ac de ea tandem, quae absconditam incomparabilemque simul per communionem messianici Filii sui muneris destinata peculiari ratione est ad hominibus illum apportandum amorem, quem ipse revelatum venerat: amorem porro, qui solidissime comprobatur erga dolentes ac pauperes, orbos libertate propria et caecos, oppressos ac peccatores, perinde ut secundum Isaiae vaticinium locutus est Christus Nazarae prius in synagoga[106] deindeque interrogationi responsitans a Ioanne Baptista missorum.[107]

Huius omnino « misericordis » eiusdem amoris, qui potissimum demonstratur coram animi corporisque malo, cor ipsius insignite uniceque factum particeps est, quae Crucifixi fuit Resuscitatique Mater : participavit Maria. Atque in ea et per eam non cessat ille amor sese in Ecclesiae hominumque generis historia ostentare. Istius modi autem demonstratio singulariter fructuosa est, quoniam in Dei Matre sustinetur unico cordis materni eius tactu et acri sensu necnon particulari ipsius statu nimirum idoneo ad eos cunctos attingendos, qui a matre promptius misericordem accipiunt amorem. Unum hoc est praestantium quidem ac vivificantium religionis christianae mysteriorum, tam arcte cum incarnationis mysterio consociatum.

Qua de re edocet Concilium Vaticanum Secundum: « Haec autem in gratiae oeconomia maternitas Mariae indesinenter perdurat, inde a consensu quem in Annuntiatione fideliter

[105] *Lc.* 1, 50.

[106] Cfr. *Lc.* 4, 18.

[107] Cfr. *Lc.* 7, 22.

praebuit, quemque sub cruce incunctanter sustinuit, usque ad perpetuam omnium electorum consummationem. In caelis enim assumpta salutiferum hoc munus non deposuit, sed multiplici intercessione sua pergit in aeternae salutis donis nobis conciliandis. Materna sua caritate de fratribus Filii sui adhuc peregrinantibus necnon in periculis et angustiis versantibus curat, donec ad felicem patriam perducantur ».[108]

VI

10. Credere nos pienissimo iure licet nostram quoque aetatem verbis inclusam esse Dei Matris, cum illam celebraret misericordiam, cuius <(in progenies et progenies » fiunt ei participes, qui se Dei patiuntur dirigi timore. Voces enim marialis « Magnificat » propheticam, amplectuntur doctrinam, quae non praeteritum dumtaxat Israelis respicit tempus sed futurum etiam Populi Dei in terris. Nam qui in praesentia orbem incolimus, illi sumus, qui tertium iam appropinquare scimus mille annorum spatium quique intus sentimus in animis rerum conversionem nunc in historia evenientem. Saeculum hoc nostrum se fortunatum esse novit, cum ipsa progressio praebeat ei tot opportunitates, quae solum paucis ante annis denis inopinabiles fuerint. Creatrix hominis industria eiusque intellegentia et opera pepererunt altas quidem mutationes tum in provincia disciplinarum naturalium technicaeque artis tum in vita societatis et cultus humanioris. Perspexit homo potentiam suam in rerum naturam atque etiam cognitionem locupletiorem adeptus est de legibus suorum morum socialium. Vidit etiam perrumpi aut comminui óbices longinquitatesque inter homines ac nationes propter auctum universitatis sensum, propter clariorem conscientiam unitatis hominum generis, propter acceptionem mutui famulatus in aliqua vera necessitudine coniunctionis, ac tandem propter cupiditatem potestatemque conversandi pro-

[108] Const. dogm. *Lumen Gentium,* 62: *AAS* 57 (1965), p. 63.

priis cum fratribus et sororibus ultra arte factas partitiones geographicas vel fines nationum aut stirpium. In primis vero iuvenes hodierni comprehendunt progressum scientiae technicaeque artis afferre posse non tantum nova materiae bona verum etiam maiorem cognitionis humanae participationem. Verbi gratia procursus artificiorum diffundendi notitias duplicabit créatrices hominis facultates aditumque reserabit ad divitias mentis et culturae apud alios populos. Novae rationes ipsius communicationis favent pleniori participationi eventuum ac magnificae permutationi cognitionum. Ea quae consecutae sunt scientiae biologica et psychologica et socialis, hominem adiuvabunt, ut profundius pénètrent in suae essentiae divitias. Et quamvis verum sit talem progressionem adhuc nimis saepe manere privilegium populorum industriis fabrilibus sustentatur um, negari tamen non licet omnes nationes et gentes in postero tempore participes esse posse illorum beneficiorum, neque id somnium esse aliquod mirum, quoniam vera praesto sit politica voluntas hac de re. At praeterea haec omnia — vel potius inter haec — simul difficultates subsistunt, quae usque increscere videntur. Angores exsistunt ac débilitâtes, quae responsionem afficiunt illam intimam, quam homo intellegit se reddere debere. Species mundi hodierni exhibet praeterea umbras et inaequabilitates, quae non semper restant in externa rerum superficie. Pastoralis Constitutio Concilii Vaticani Secundi *Gaudium et Spes* haud sane unicum documentum est, quod nostrae pertractat vitam aetatis; praecipuum tamen habet ea pondus. Ibi videlicet hoc legitur : « Revera inaequilibria quibus laborat mundus hodiernus cum inaequilibrio illo fundamentaliori connectuntur, quod in hominis corde radicatur. In ipso enim homine plura elementa sibi invicem oppugnant. Dum enim una ex parte, utpote creatura, multipliciter sese limitatum experitur, ex altera vero in desideriis suis illimitatum et ad superiorem vitam vocatum se sentit. Multis sollicitationibus attractus, iugiter inter eas seligere et quibusdam renuntiare cogitur. Immo, infirmus ac pec-

cator, non raro illud quod non vult facit et illud quod facere vellet non facit. Unde in seipso divisionem patitur, ex qua etiam tot ac tantae discordiae in societate oriuntur ».[109]

Et eodem dein exeunte Prooemio legimus : «... coram hodierna mundi evolutione, in dies numerosiores fiunt qui quaestiones maxime fundamentales vel ponunt vel nova acuitate persentiunt: quid est homo? Quinam est sensus doloris, mali, mortis, quae, quamquam tantus progressus factus est, subsistere pergunt? Ad quid victoriae illae tanto pretio acquisitae? ».[110]

Num vero horum quindecim annorum spatio a Concilio Vaticano Secundo terminato coepit iam minus fortasse conturbare nos summa ista contentionum minationumque temporis nostri propriarum? Videtur potius negandum. Quin ex contrario eaedem contentiones et minationes, quae in documento Concilii videbantur tunc emergere dumtaxat neque radicitus detegere omne quod in se celabant periculum, iam interea annorum istorum intervallo magis illuminatae sunt confirmaveruntque vario modo periculum illud neque amplius sinunt, ut superioris aetatis captiones sustineantur.

11. Quapropter augescit in hodierno mundo periculi sensus. Increbrescit ista formido de vita cotidiana quae coniungitur ante omnia — uti leviter iam significavimus Litteris in Encyclicis *Redemptor Hominis* — cum visione alicuius bellici certaminis, quod pro numero atomicorum hodie exstantium armamentorum importare simul potest saltem ex parte internecionem hominum generis a se ipso. Verum tamen minitans illud periculum non ea sola respicit, quae hominibus homines facere valent instrumentis nempe usi militaris artificii; tangit enim minas alias multas, quas progenuit ea cultus civilis forma materiae prope addicta, quae, licet *humanísticas* divulget asseverationes, principatum nihilo setius rerum tolerat prae ipsa ho-

[109] Const. past. *Q-audium et Spes,* 10: *AAS* 58 (1966), p. 1032.

[110] *Ibid.*

minis persona. Metuit igitur nostri temporis homo ne, adhibitis istis instrumentis, quae id genus humanitatis excogitavit, singuli quidem homines atque etiam familiae communitates societates nationes vexari possint aliorum hominum singulorum familiarum societatum vi et iniuria. Nostri profecto saeculi narratio affatim nobis rei huius ministrat exempla. Praeter universas autem adfirmationes de hominis iuribus secundum integram eius naturam ex corpore nempe animoque constantem haud dicere valemus exempla illa solam pertinere ad elapsam aetatem.

Merito enim timet homo ne violatione aliqua conflictetur, quae ipsum despoliet interiore libertate tum facultate exprimendae veritatis, de qua sibi persuaserit, tum fide quam profiteatur, tum potestate obtemperandi conscientiae voci, quae rectam ei ostendat viam sectandam. Technica ideo utensilia, quae praesto sunt hodiernae societati, in se tegunt non modo potentiam sui ipsius exstinctionis per militarem concursum, verum potestatem quoque subigendi ratione « pacifica » singulos homines et vitae domicilia et societates totas necnon civitates, quae ob quamlibet causam molestae fieri possunt eis qui dicta instrumenta gubernant paratique sunt ad eadem sine conscientiae morsu usurpanda. Cogitanda sunt ipsa in mundo etiamnunc vigentia tormenta, quae ab auctoritate usurpantur meditata via ac ratione veluti artificia dominationis vel oppressionis politicae quaeque a ministris inferioribus impune applicantur.

Sic propterea cum biologicae minationis sensu succrescit alterius periculi conscientia, quod vel plenius delet ea quae suapte natura sunt humana, quae altissime scilicet cohaerent cum personae dignitate eiusque iure veritatis ac libertatis.

At hoc omne contingit inter maerorem illum ingentem ex eo exortum quod iuxta homines eorumque coetus fortunatos et saturatos in opum affluentia versatos rerum consumptioni ac voluptatis famulatos reperiuntur eadem in familia humana nunc singuli nunc sociales quidam ordines famem perpetientes. Non

infantuli desunt, qui matribus inspectantibus famelici pereunt. Neque desunt variis in mundi partibus variisque in structuris socialibus et oeconomicis vastae provinciae egestatis et miseriae et mancae progressionis. Illud ubique iam terrarum innotuit. Immo status iste inaequalitatis inter homines ac populos non solum persistit, verum increscit. In praesentia pariter accidit, ut iuxta eos, qui locupletes sunt ac vivunt in abundantia, exsistant alii, qui vivunt in ipsa indigentia, miseriam perferunt ac saepe admodum inedia obeunt; et horum numerus decenis iam etiam centenis continetur milium milibus. Quam ob causam sollicitudo animorum non potest quin vel maior ingravescat. Ut patet, aliquod principale vitium sive potius vitiorum cumulus, immo vero rerum vitiosa institutio subiacet oeconomicae administrationi huius saeculi necnon cultui ipsi civili; unde non permittitur hominum familiae, ut sese disiungat a condicionibus tam penitus iniquis.

Species ista hodierni mundi — in quo subsistit tantum et physici et moralis mali, ut mundus plane innodatus videatur repugnantiis atque contentionibus et simul repletus periculis humanae libertati conscientiae religioni minantibus — explanat eam trepidationem, cui homo istius temporis obicitur. Eadem tamen anxietas illa percipitur non ab eis modo, qui destituuntur vel opprimuntur, sed ab his similiter, qui divitiarum progressionis imperii fruuntur privilegiis. Et quamquam non desiderantur, qui retegere student istius rationes angoris aut reniti etiam auxilio instrumentorum temporariorum, quae eis ars technica et opes et auctoritas suppeditant, nihilo minus tamen in hominum intimo animo devincit illa sollicitudo talia cuncta remedia. Etenim, sicut recte indicaverunt Concilii Vaticani Secundi explicationes, ea descendit primores ad quaestiones totius vitae humanae. Inquies ista iungitur ipso cum sensu vitae hominis in mundo estque conturbatio aliqua de ventura hominis universique hominum generis aetate; poscit

ideo firma voluntatis decreta, quae praecipi iam videntur generi humano.

12. Proclive quidem statuere est iustitiae sensum longe lateque experrectum esse in huius temporis societate; quem sine dubio affectum magis efferre omnia iustitiae adversantia, in rationibus videlicet tum inter homines coetus sociales vel « classes », tum singulas inter gentes et civitates ac tandem politicas constitutiones integras, quin inter totos etiam, ut dicunt, mundos. Altus vero ille ac multiformis animi habitus, cui hominum conscientia istius aetatis iustitiam assignavit, testatur ethicam indolem dimicationum ac pugnarum, quae orbem permeant.

Cum hominibus autem nostrorum dierum communicat Ecclesia profundum hoc fervidumque desiderium vitae iustae secundum omnes eius partes neque intermittit ponderandas proponere diversas iustitiae illius rationes, qualem postulat hominum societatumque vita. Cuius studii documentum est ipsa provincia disciplinae catholicae socialis adeo ample enucleatae decursu superioris huius saeculi. Ad eiusdem doctrinae principia procedunt nunc educatio et conformatio conscientiarum humanarum in spiritu iustitiae nunc singula coepta praesertim in regione apostolatus laicorum; quae nimirum incepta eodem provehuntur animo.

Attamen intellectu haud difficile est consilia et opera, quae proficiscantur a notione iustitiae quaeque conducere debeant efficiendae iustitiae in convictu hominum coetuum societatum humanarum, saepius quidem in re ipsa deformari. Quamvis deinceps ea pergant ad eundem iustitiae conceptum sese referre, experientia nihilo minus probat iustitiam superari aliis viribus negativis uti simultate odio vel etiam crudelitate. Tunc sane cupiditas destruendi inimicum, circumscribendi eius libertatem, quin et redigendi eum in statum, ubi totus iam pendet ex alio, fit causa actionis princeps; id quod dissidet a iustitiae

essentia, quae contra ex suapte natura eo contendit, ut aequalitatem et aequabilitatem confirmet inter partes pugnantes. Hoc igitur genus abusus ipsius speciei iustitiae veraque eius immutatio demonstrant quam longe actus humanus discrepare possit ab ipsa iustitia, etiamsi in nomine illius suscipiatur. Non sine causa Christus exprobat auditoribus suis Veteris Testamenti doctrinae fidelibus affectum animi, qui deprehenditur in dictis: « Oculum pro oculo et dentem pro dente ».[111] Eo tempore erat ista corruptionis forma iustitiae; formae autem hodiernae eam veluti exemplar sequuntur. Liquet enim obtentu alicuius praesumptae iustitiae (historicae, verbi gratia, vel « classium ») interdum exterminari proximum, occidi hominem ac libertate privari iuribusque nudari primariis humanis. Prioris ac nostri temporis experimentum docet iustitiam ex se non sufficere solam, immo vero perducere ipsam posse ad negationem exstinctionemque sui, nisi permittat virtuti altiori illi, quae amor est, vitam humanam variis rationibus propriis confingere. Historica enim experientia haec peperit inter alia affirmationem: summum ius summa iniuria. Quae dictio iustitiam non imminuit neque quidquam detrahit ponderi illius ordinis, qui super eam constituitur; sed alio dumtaxat sub aspectu indicat quam sit necesse vires spiritus multo etiam profundiores hauriantur, quae ipsum iustitiae ordinem definiant.

Obversante ergo ante oculos imagine saeculi, ad quod pertinemus, Ecclesia participem se praestat sollicitudinis tot hominum temporis nostri. Aliunde praeterea angl debet de lapsu multorum principalium bonorum, quae indubitabilem thesaurum efficiunt non solius christianae doctrinae moralis, verum simpliciter honestatis humanae culturaeque moralis ; huius modi nimirum sunt observantia vitae humanae iam inde a conceptionis momento, matrimonii observantia secundum indissolubilem ipsius necessitudinem, stabilium observantia familiarum. Mo-

[111] *Mt.* 5, **38.**

rum licentia in primis afficit teneriora haec vitae humanae consortionisque loca. Aequo autem gradu procedunt discrimen veritatis in rationibus ipsis inter homines, minor veraciter loquendi cura, solum utilitatis studium in causis cum aliis hominibus, exilior sensus veri communis boni maiorque facilitas illud praetereundi. Denique cuncta perdunt sacram indolem suam crebroque fiunt inhumana : homo enim ac societas, quibus contra omnem rerum faciem nihil iam superest « sacrum », moribus decidunt.

VII

Hic ipse nostrae aetatis conspectus, qui non potest quin pariat intimam anxietatem, in mentem revocat verba, quae ob Filii Dei incarnationem exsonuerunt in Mariae cantu « Magnificat » quaeque misericordiam celebrant « in progenies et progenies ». Conservando porro eorundem verborum caelitus datorum eloquentiam in animo adhibendoque ea ad experientias ac dolores immensae hominum familiae proprios oportet Ecclesiam huius temporis induere sibi altiorem subtilioremque simul conscientiam ipsius necessitatis reddendi universo in suo opere testimonii de misericordia*Dei secundum viam traditionis in Vetere ac Novo Foedere at maxime ipsius Iesu Christi eiusque Apostolorum. Impertiat Ecclesia necesse est testimonium misericordiae Dei in Christo patefactae per totum illius munus uti Messiae ; immo profiteatur eam primo loco velut salvificam fidei veritatem ac necessariam ad vitam cum illa fide congruentem; deinde enitatur inducere ipsam et quasi corporare in vita tum suorum fidelium tum, quantum fieri possit, in vita omnium bonae voluntatis hominum. Ad extremum, dum misericordiam profitetur Ecclesia fidaque permanet ei semper, ius habet atque officium invocandae Dei misericordiae, scilicet implorandae coram singulis casibus physici ac moralis mali et ante cunctas minationes, quae obscurant totum venturum vitae tempus hodierni generis humani.

13. Debet itaque profiteri Ecclesia et proclamare divinam misericordiam omni ex ipsius veritate, prout eam nobis revelatio tradidit. Prioribus in huiusce documenti paginis conati sumus lineamenta saltem adumbrare figurae istius veritatis, quae adeo copiose totam per Sacram Scripturam ac Traditionem illuminatur. Cotidiana in Ecclesiae vita haec veritas Dei misericordiae in Bibliis Sacris nuntiata resonat tamquam perpetua vocis imago ex pluribus lectionibus Liturgiae Sacrae. Verus insuper fidei sensus Populi Dei percipit illam, perinde ac variae testantur significationes pietatis nunc singulorum nunc communitatum. Difficile absque dubio est universa documenta illa recensere ac perstringere, cum maximam sane partem viva quadam virtute inscripta sint animis in intimis et conscientiis hominum. Si autem theologi nonnulli adseverant misericordiam esse summam attributorum perfectionumque Dei, Biblia et Traditio et fidei vita tota Populi Dei praebent singulares rei probationes. Non tamen hic agitur de perfectione incomprehensibilis Dei essentiae intra ipsius divinitatis mysterium, sed de perfectione et attributo illo, quo secundum suae vitae reconditam veritatem homo admodum prope convenit Deum vivum admodumque saepe. Verbis Christi Philippo prolatis[112] congruenter invenit « visio Patris » — Dei nempe per fidem visio — in ipso hoc congressu cum eius misericordia momentum peculiare simplicitatis interioris ac veritatis, haud secus atque offendimus in filii prodigi parabola.

« Qui vidit me, vidit Patrem ».[113] Praedicat Ecclesia Dei misericordiam ex eaque vivit in uberi sua fidei experientia ac sua in doctrina, dum Christum perpetuo contemplatur seque totam convertit in eum, in vitam eius et Evangelium, in crucem eius et resurrectionem, universum in ipsius mysterium. Omnia enim, quae « visionem » Christi efficiunt viva in Ecclesiae fide et doctrina, nos adducunt ad « visionem Patris » in misericordiae eius

[112] **Cfr. *Io.* 14, 9 s.**

[113] ***Ibid.***

sanctitate. Videtur autem Ecclesia tunc maxime Dei profiteri misericordiam ac venerari, cum ad Cor Christi se confert. Namque, ad Christum cum acceditur, in mysterio videlicet Cordis eius conceditur nobis, ut immoremur in hac ratione, quae media quodammodo est simulque pervia maxime hominibus revelationis amoris misericordis Patris, quae intimam constituit partem officii messianici Filii Hominis.

Veram ducit Ecclesia vitam, cum misericordiam confitetur et divulgat — summe mirandam Creatoris Redemptorisque proprietatem — necnon cum homines pertrahit ad fontes misericordiae Servatoris, quam ipsa apud se custodit ac distribuit. Hac in re permultum iuvat perpetua Verbi Dei meditatio at in primis conscia maturaque perceptio Eucharistiae et Sacramenti Paenitentiae seu Reconciliationis. Semper enim provehit Eucharistia nos illum ad amorem, qui morte validior est: « Quotiescumque manducamus panem hunc et calicem bibimus », non solum mortem Redemptoris annuntiamus, verum Resurrectionem etiam proclamamus, « donec veniat » in gloria.[114] Idem praeterea ritus eucharisticus ad ipsius recordationem celebratus, qui pro messianico munere suo Patrem nobis per verbum crucemque ostendit, inexnaustum testificatur eum amorem, vi cuius semper nobiscum se iungere cupit, quin immo nos ingredi, dum progreditur obviam cunctis cordibus humanis. Sacramentum autem Paenitentiae seu Reconciliationis viam cuique complanat, etiam quoties gravibus oneratur culpis. Illo quidem in Sacramento omnis potest homo misericordiam singulariter experiri, illum nominatim amorem, qui quam peccatum ipse potentior est. Hac de re iam factus sermo est in Litteris Encyclicis *Redemptor Hominis-,* decebit tamen praecipuum illud attingere argumentum.

Idcirco sane, quod peccatum in mundo invenitur, quem «sic... dilexit Deus..., ut Filium suum unigenitum daret»;[115]

[114] **Cfr. *1 Cor.* 11, 26; acclamatio in Canone «Missalis Romani».**

[115] ***Io.* 3, 16.**

Deus nempe, qui ((caritas est »,[116] aliter se quam ut misericordiam revelare non valet. Etenim haec respondet non tantum altissimae veritati amoris illius, qui Deus est, sed universae simul interiori veritati hominis ac mundi, qui temporaria eius est patria.

Velut Dei infiniti perfectio est in se misericordia pariter infinita. Quapropter infinita inexhaustaque Patris est prompta voluntas suscipiendorum etiam prodigorum domum ipsius redeuntium filiorum. Item sunt infinitae alacritas potestasque remissionis, quae perpetuo profluunt ex mirabili pretio sacrificii Filii. Nullum hominis delictum vincit potentiam illam nedum coarctet. In homine tamen circumscribere eam potest sola deficiens bona voluntas, nulla videlicet conversionis ac paenitentiae voluntas, id est perseverantia in obstinatione ac repugnantia tum gratiae tum veritati, repudiato praesertim testimonio crucis Christique resurrectionis.

Profitetur ideo Ecclesia et proclamat conversionem. Conversio autem ad Deum in eo quidem consistit quod ipsius quis retegit misericordiam, illum nempe amorem, qui et patiens est et benignus[117] secundum Creatoris ac Patris mensuram ; amorem insuper, cui « Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi »[118] fidelis persistit extrema usque ad consectaria in foederis historia cum homine : usque ad crucem — id est mortem resurrectionemque Filii. Ad Deum proinde conversio effectus numquam non est « inventionis » huius Patris, qui dives in misericordia est.

Porro germana cognitio Dei misericordiae benignique amoris sempiternus est et immensus conversionis fons, non modo ut transeuntis actus interioris, verum uti affectus perpetui animique status. Qui enim illa via Deum cognoscunt eademque ratione eum « vident », aliter quidem vivere non possunt quam

[116] *1 Io.* 4, 8.

[117] Cfr. *1 Cor.* 13, 4.

[118] *2 Cor.* 1, 3.

convertentes se continenter ad ipsum. Vivunt igitur in statu conversionis; qui profecto status partem designat principalem singulorum hominum peregrinationis super terram in statu viatoris. Manifesto Ecclesiam Dei misericordiam in Christo crucifixo ac resuscitato enuntiare patet non verbis doctrinae suae solis sed profundo potissimum vitae impulsu Dei Populi totius. Per istam sane vitae testificationem exsequitur Ecclesia proprium Dei Populi officium, quod messianicum Christi ipsius munus participat quodamque prorogat sensu.

Huius deinde temporis Ecclesia penitus sibi conscia est super fundamentum dumtaxat misericordiae Dei officia se posse implere, quae ex Concilii Vaticani Secundi praeceptis emanent, cum primisque opus oecumenicum, cuius sit universos iungere Christi assectatores. Dum multiplicia in eam partem fovet coepta, demisse concedit Ecclesia illum amorem unum, qui infirmitati praestet humanorum discidiorum, valere in perpetuum unitatem perficere eam, quam Christus a Patre imploraverit quamque Spiritus pro nobis postulare non desinat « gemitibus inenarrabilibus ».[119]

14. Docuit Christus Iesus hominem non tantum Dei misericordiam recipere et experiri, verum iuberi etiam erga ceteros « habere misericordiam » : « Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur ».[120] Quibus omnino in vocibus deprehendit Ecclesia nunc invitationem ad agendum nunc ad exercendam misericordiam vires. Si omnes quidem beatitudines sermonis montani iter demonstrant conversionis vitaeque commutationis, beatitudo misericordes respiciens insignite est hac in re eloquens. Eatenus namque homo ad misericordem Dei procedit amorem, ad eius nempe ipsius misericordiam, quatenus ille se intus transformat secundum talis indolem amoris in proximum.

[119] *Rom.* **8, 26.**
[120] *Mt.* **5, 7.**

Hic vere evangelicus processus non sola immutatio spiritalis est semel in perpetuum effecta; sed totum aliquod prae se fert genus vivendi, necessariam quandam atque perennem christianae vocationis qualitatem. Quae insuper constat ex perpetua inventione perseverantique exsecutione amoris tamquam virtutis simul coniungentis simul attollentis — et hoc contra quasvis difficultates psychologicae aut socialis speciei —; quippe agitur de misericordi amore, qui creator suapte natura amor est. In mutuis autem rationibus inter homines numquam misericors amor actus est aut processus unius tantum partis. Quin etiam cum omnia significare videntur unam partem solam dare et offerre alteramque solam accipere et apprehendere (exemplorum gratia, in casibus medici sanantis, magistri docentis, parentum filios nutrientium et erudientium, benefici hominis egenos adiuvantis), reapse nihilo minus tamen is pariter qui donat, beneficio semper donatur. Utcumque est, etiam ille facile reperiri potest in statu recipientis aut beneficium obtinentis aut misericordem comprobantis amorem aut misericordiam consequentis.

Exemplar nobis hac in re crucifixus ipse Christus est et afflatus supernus et vehementissimum incitamentum. Etenim hoc consectati permovens exemplar possumus omni cum animi humilitate ostentare aliis misericordiam, scientes ipsum agniturum illam esse velut rem sibimet factam.[121] Secundum idem hoc exemplar cunctas nostras oportet perpurgemus tum actiones tum voluntates, quibus misericordia comprehenditur et exercetur ratione *unilaterali,* tamquam boni aliquid ceteris praestitum. Tunc enim revera solum est ea actus misericordis amoris, cum illam exsecuti simul nobis persuasissimum habemus nos recipere eam ab ipsis, qui a nobis recipiant. Si contra deest mutua haec ac reciproca ratio, actiones inde nostrae necdum sunt misericordiae actus neque conversio' plene est iam

[121] Cfr. *Mt.* 25, 34-40.

in nobis effecta — cuius trames a Christo nobis signatus est verbo et exemplo ad crucem usque — nequedum participes ex toto sumus fontis magnifici ipsius amoris misericordis, qui nobis ab eo est apertus.

Sic igitur via, quam in sermone montano Christus nobis monstravit per beatitudinem de misericordibus, multo quidem locupletior est quam istud quod animadvertere possumus communibus in hominum iudiciis de argumento misericordiae. Iudicia enim ea misericordiam habent uti actum vel processum unius tantum partis, quae praesumit retinetque longinquitatem inter hominem misericordia usum et hominem misericordia affectum, inter bona facientem eaque accipientem. Hinc ducitur postulatio illa, ut vincula necessitudinis inter homines et in societate liberentur a misericordia et confirmentur sola iustitia. Atqui iudicationes istae de misericordia non perspiciunt intimum nexum illum inter misericordiam atque iustitiam, de quo omnis traditio biblica loquitur et in primis opera messianica Christi. Ut ita dicamus : misericordia vera altissimus est iustitiae fons. Si enim ex se iustitia idonea est, quae inter homines arbitrum agat in mutua divisione bonorum solidorum aequo cum modo, amor ex contrario et amor unus (ille etiam amor benignus, quem « misericordiam » nuncupamus) potest sibi ipsi hominem reddere.

Quodam igitur sensu misericordia proprie vereque christiana item est perfectissima quasi corporatio « aequalitatis » inter homines proindeque absolutissima *incarnatio* iustitiae, quandoquidem haec in sua rerum provincia eundem tendit ad effectum. Aequalitas tamen per iustitiam stabilita continetur finibus bonorum externorum et *obiectivorum)* amor vero et misericordia efficiunt, ut homines mutuo congrediantur in bono illo, quod homo ipse est cum dignitate, quae eius est propria. Eodem insuper tempore « aequalitas » hominum per amorem ((patientem et benignum »[122] distinctiones non tollit: qui do-

[122] Cfr. *1 Cor.* 13, 4.

nat, fit ipse liberalior, cum gratiam simul dari sibi sentit ab eo qui donum illud suscipit; qui vicissim novit accipere donum, nempe sibi conscius se illo recipiendo bene facere, sua ex parte deservit nobili causae dignitatis personae; id quod proficit ad homines inter se altiore ratione consociandos.

Ita ergo misericordia pars fit necessaria ad mutuas inter homines necessitudines formandas ex spiritu maximae observationis eorum, quae humana sunt necnon ipsius reciprocae fraternitatis. Quod autem vinculum generari nequit inter homines, si rationes mutuas uno iustitiae modo gubernari volunt. Haec enim in omni campo negotiorum inter homines sufferat necesse est permagnam « correctionem », ut ita loquamur, ab illo amore, qui — perdocente Sancto Paulo — est « patiens » et « benignus » vel aliis verbis, qui in se complectitur amoris misericordis proprietates Evangelio christianaeque religioni adeo necessarias. Meminimus praeterea misericordem amorem secum etiam inferre comem illam teneritatem et quasi mollitiam, quam sic eloquenter parabola extollit filii prodigi[123] perinde ac parabolae de ovi et de drachma amissa.[124] Quocirca misericors amor summe necessarius sustinendus est eos inter, qui finitimi sunt: inter coniuges, inter parentes ac liberos, inter amicos; eam insuper deesse plane non licet neque ipsi educationi nec actioni pastorali.

Circuitus vero actionis illius misericordis amoris haud his rebus circumscribitur. Si enim crebra data occasione Summus Pontifex Paulus VI indicavit « civilem cultum amoris » [125] velut finem, ad quem dirigi oporteret conatus omnes in provincia sociali et culturae necnon in regione oeconomica ac politica, addi decet idem illud propositum numquam impetratum iri, si in cogitationibus nostris et actionibus attingentibus vasta diffi-

[123] **Cfr. *Lc.* 15, 11-32.**

[124] **Cfr. *Lc.* 15, 1-10.**

[125] **Cfr. *Insegnamenti di Paolo VI,* Vol. XIII (1975), p. 1568 (In Anni Iubilaei conclusione, die** XXV **Decembris** MCMLXXV).

ciliaque consortionis humanae loca adhaeserimus ad regulam ((oculi pro oculo, dentis pro dente »,[126] neque contra studuerimus formulam istam funditus reficere alioque animo perficere. In hoc certe iter nos Concilium quoque Vaticanum Secundum inducit, cum iterum iterumque necessitatem inculcans mundi humanioris reddendi[127] Ecclesiae munus in huius temporis orbe reponit omnino in eiusdem officii procuratione. Hominum autem mundus usque poterit humanior effici, tantummodo si in multiformem provinciam rationum socialium inter homines intromiserimus una cum iustitia etiam « amorem misericordem » illum, qui messianicum constituit Evangelii nuntium.

Hominum porro orbis evadere tandem valet « usque humanior » tunc solum, cum universas iii mutuas coniunctiones, quae moralem eius vultum componunt, invehemus locum tempusque veniae secundum Evangelium tam necessariae. Remissio enim in mundo adesse testatur amorem peccato valentiorem. Praeterea est haec venia condicio princeps reconciliationis non solum in Dei necessitudine cum homine sed in reciprocis etiam inter homines rationibus. Mundus nimirum, unde indulgentia auferatur, solius maneat mundus gelidae irreverentisque iustitiae, secundum quam sibi quisque propria tueatur iura adversus ceteros, dum *egoismi,* qui dicuntur, variae naturae in homine latitantes possint vitam communionemque humanam perverteré in structuram aliquam oppressionis debiliorum a potèntioribus vel etiam in theatrum perpetuae dimicationis aliorum contra alios.

Quam ob rem censere Ecclesia debet unum esse praecipuorum munerum suorum — quavis historiae aetate ac praesertim hac nostra — praedicandi importandique in vitam ipsum misericordiae mysterium summo quidem gradu patefactum in Iesu

[126] *Mt.* 5, 38.

[127] Const. past. *Gaudium et Spes,* 40: *AAS* 58 (1966), pp. 1057-1059; Pauli VI, Adhortatio Apostolica *Paterna cum Benevolentia,* praesertim n. 1 et 6: *AAS* 67 (1975), pp. 7-9; 17-23.

Christo. Non soli tamen Ecclesiae, velut credentium communitati, verum hominibus certo sensu cunctis mysterium hoc fons est alterius vitae quam istius, quae construi ab homine potest exposito viribus potentibus triplicis concupiscentiae in illo operantis.[128] Huius profecto mysterii virtute Christus nobis praecipit, ut semper ignoscamus. Quoties verba orationis dictitamus quam ipse nos docuit exorantes : « dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris », eis videlicet, qui culpam aliquam in nos admiserunt ![129] Difficillimum vere quidem est declarare singularem excellentiam affectionis, quam designant inculcantque eadem verba. Quot res dicunt hi sermones cuique homini de altero ei simili deque illo ipso ! Etenim conscientia omnes esse inter se debitores procedit aequo gradu cum vocatione ipsa ad communitatem fraternam, quae a Sancto Paulo significata est, cum clare hortaretur, ut fideles se supportarent « invicem in caritate ».[130] Quae institutio hic continetur ad humilitatem erga hominem simulque erga proximum ac se ipsum ! Quae schola hic bonae voluntatis invenitur ad cotidianum convictum variisque in vitae nostrae adiunctis! Quam si praetermiserimus doctrinam, quidnam supererit ulla ex *humanistica* dispositione vitae et educationis?

Tanta videlicet cum vi effert Christus necessitatem reliquis ignoscendi, ut Petro deinde, qui eum interrogavit quoties omnino condonare peccatum proximo suo deberet, numerum figuratum respondeat: « septuagies septies »,[131] significare eo cupiens oportere ipse unicuique ignoscere possit et unoquoque tempore. Liquet nihilo setius adeo largum condonandi praeceptum minime rescindere vera iustitiae postulata. Etenim intellecta recte iustitia finem, uti ita dicamus, veniae statuit. Nullo prorsus Evangelici nuntii loco venia — neque fons qui-

[128] **Cfr. *1 Io.* 2, 16.**

[129] ***Mt.* 6, 12.**

[130] ***Eph.* 4, 2; cfr. *Gal.* 6, 2.**

[131] ***Mt.* 18, 22.**

dem eius misericordia — significat indulgentiam in malum, in scandalum, in iniuriam aut contumeliam inflictam. Nam singulis in casibus reparatio mali et scandali compensatio iniuriae, sanatio contumeliae sunt remissionis ipsius condicio.

Fundamentum proinde ac structura iustitiae ita semper ingrediuntur misericordiae provinciam. At haec tribuere valet iustitiae significationem novam, quae simplicissime plenissimeque declaratur in venia. Nam venia ostendit, extra « compensationis » atque « indutiarum » rationem iustitiae propriam, flagitari necessario amorem, ut homo talem se affirmet. Necesse penitus est iustitiae impleantur condiciones, ut amor maxime suam faciem illuminet. Perscrutantes filii prodigi parabolam, iam animos in eam convertimus cogitationem : eum qui ignoscat eumque cui ignoscatur, primario in aliquo loco convenire, in dignitate scilicet, quae sit naturale hominis bonum; quod vicissim bonum perire non licere ; eius autem asseverationem aut inventionem supremae esse originem laetitiae.[132]

Merito sane iudicat Ecclesia proprium ut munus suique ut finem officii esse germanam veniae indolem custodire, tum in vita moribusque tum in eruditione actioneque pastorali. Eam autem non aliter Ecclesia tutaftur quam fonte ipsius conservando, id est mysterio misericordiae Dei in Christo Iesu recluso.

Tamquam fundamentum igitur operis Ecclesiae, omnibus quidem in locis, de quibus novissimum Concilium complura indicia praebet atque experientia apostolatus multa per saecula, nihil aliud iacet nisi : « haurire de fontibus Salvatoris » :[133] unde plures signantur directoriae normae pro munere et opere Ecclesiae in singulorum Christianorum vita, singularum communitatum, quin immo totius Populi Dei. Fieri tamen alio modo non potest, ut « hauriatur de fontibus Salvatoris » atque in illius paupertatis spiritu, ad quam nos Dominus verbo et exem-

[132] Cfr. *Lc.* 15, 32.

[133] Cfr. *Is.* 12, 3.

pio vocavit: « gratis accepistis, gratis date ».[134] Haud secus ideo in viis universis vitae ministeriique Ecclesiae — per evangelicam nempe paupertatem ministrorum ac dispensatorum et omnis populi, qui testimonium reddit « de magnificis operibus » Domini sui — multo nimirum melius commonstratus Deus est « dives in misericordia ».

VIII

15. In crucifixo resuscitatoque Christo revelatam misericordiae Dei veritatem proloquitur Ecclesia variisque profitetur modis. Ceterum ipsa contendit, ut erga homines misericordiam impleat per homines, cum in illo collocari intellegat pernecessariam sane condicionem curae suae de mundo meliore atque « humaniore », tam nunc quam in posterum. Verum nullo tamen tempore, nulla historica aetate — ac praesertim tanto in rerum discrimine, quantum nostris est diebus — potest oblivisci Ecclesia obsecrationis implorantis misericordiam Dei adversus multiplices formas maiorum, quae premunt hominum genus eique minantur. Hoc ipsum principale demum ius et officium est Ecclesiae in Christo Iesu viventis: est ius et officium erga Deum atque homines. Quanto magis enim humana conscientia saecularium motuum appulsum subiens perdit ipsius significationis sensum verbi « misericordiae » quantoque longius a Deo recedens etiam a misericordiae distrahitur mysterio, tanto certius habet ius Ecclesia et officium Dei misericordiam compellandi « cum clamore valido ».[135] Hic porro validus clamor proprie ad nostri temporis Ecclesiam pertinet dirigiturque ad Deum, ut ipsius invocetur misericordia, cuius solidam demonstrationem iam contigisse fatetur edicitque Ecclesia in Christo cruci affixo et a mortuis exsuscitato, videlicet in paschali mysterio. Complectitur praeterea in se idem mysterium

[134] *Mt.* 10, 8.

[135] Cfr. *Heb.* 5, 7.

plenissimam misericordiae revelationem, illius nempe amoris, qui morte efficacior est peccatoque et quovis malo potentior, amoris demum qui hominem sublevat ex praecipitibus maxime lapsibus, dum gravissimis simul liberat a periculis.

Persentiunt quidem nostrae aetatis homines minantia pericula ista. Id vero, quod supra dictum hac de re est, simplex fuit condicionum adumbratio. Saepe enim hodiernus interrogat se homo permagna cum anxietate quomodo terrificae resolvi possint contentiones, quae mundo superiectae sunt quaeque inter homines implicantur. Atque interdum si vocabulum « misericordiae » pronuntiare is non audet sive propria in conscientia religioso affectu privata non reperit vocem idem valentem, eo plus Ecclesiam oportet hoc eloqui nomen neque suo solius nomine, verum etiam pro cunctis aetatis nostrae hominibus.

Necesse propterea est denique tandem omnia a nobis de misericordia hisce in paginis explicata transeant ferventem in precationem : usque transeant in clamorem scilicet, qui secundum necessitatem hominum in mundo hodierno misericordiam appellet. Repleatur autem clamor ille universa veritate super misericordia, quam adeo abundanter Sacrae Litterae et Traditio necnon vera vita fidei tot saeculorum Populi Dei expresserunt. Tali quidem clamore nos sicut prophetae Deum invocemus, qui nihil odisse potest eorum quae fecit,[136] Deum nominatim, qui sibi fidelis est suae paternitati suoque amori. Et perinde ac vates illi advocemus eum amorem, qui prae se ferens proprietates maternas consequitur matri similis unumquemque filiorum propriorum et ovem quamque perditam, etiamsi centena fuerint milia milium ita per di torum, etiamsi iniquitas in mundo bonitatem superaverit, etiamsi hominum genus temporis nostri sua propter peccata novum « diluvium » meruerit, quem ad modum Noe saeculum id olim meruit. Ad illum decurramus amorem paternum, qui a Christo nobis prolatus est

[136] Cfr. *Sap.* 11, 24; *Ps.* 145 (144), 9; *Gn.* 1, 31.

per messianicum ipsius opus quique summam attigit in cruce morte et eius resurrectione! Ad Deum confugiamus per Christum memores eloquiorum cantus Mariae « Magnificat », quae misericordiam extollunt « in progenies et progenies ». Divinam imploremus misericordiam huius saeculi nostri hominibus! Ecclesia vero, quae ad Mariae exemplar in Deo hominum studet esse mater, efferat eadem hac prece maternam sollicitudinem suam fidentemque simul amorem, unde profecto nascitur gravissima precandi necessitas.

Supplicationes ergo attollamus nostras fide spe caritate promoti, quas Christus nostris indidit animis. Talis insuper mentis habitus item amor erga Deum est, quem dierum istorum homo procul nonnumquam removit a se, immo et abalienavit, cum multiplici ratione sibi eum « superfluum » asseveraret. Hic est igitur amor in Deum, cuius offensionem ac repudiationem ab hominibus saeculi nostri altissime percipientes nos exclamare volumus cum Christo in cruce: « Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt ».[137] Eodem hic tempore amor in homines est, et quidem omnes sine exceptione aut divisione ulla: sine discrimine stirpis et culturae, linguae et opinationis de mundo, sine amicorum inimicorumve differentia. Amor est hic erga homines — ac vera omnia bona exoptat pro eorum unoquoque, pro singulis communitatibus humanis ac familiis, pro singulis nationibus coetibusque socialibus, pro adulescentibus et adultis, pro parentibus et senibus atque aegrotis — in universos nempe sine condicione. Hic tandem amor est sive potius sollicita cura nunc praestandi cuique omne verum bonum, nunc quodvis propulsandi et deprecandi malum.

Et si quis aequalium hominum non fidem et spem participat, quae nos Christi servos mysteriorumque Dei dispensatores[138] adducunt, ut hac historiae aetate misericordiam Dei cuncto adprecemur generi humano, nitatur saltem intellegere

[137] *Lc.* 23, 34.
[138] Cfr. *1 Cor.* 4, 1.

sollicitudinis huius nostrae causam. Etenim ipsa imperata* ex amore erga hominem inque omnia, quae humana sunt quaeque, iudicantibus plerisque temporis nostri hominibus, ingenti exponuntur periculo. Christi mysterium, quod reserans nobis excelsam hominis vocationem impulit nos ad incomparabilem ipsius dignitatem in Litteris Encyclicis *Redemptor Hominis* rursus inculcandam, simul obstringit nos, ut misericordiam proclamemus tamquam miserantem Dei amorem in eodem Christi mysterio illustratum. Aequabiliter nos mysterium illud invitat, ut eandem ad misericordiam convertamur eamque difficili et decretoria hac historiae aetate Ecclesiae ac mundi efflagitemus, dum nempe ad alterius iam vergimus mille annorum spatii finem.

In Iesu Christi crucifixi resuscitatique nomine, in operis messianici eius spiritu, quod in generis humani permanet historia, vocem nostram precemque attollimus, ut hoc in tempore historiae rursus adhuc ille reveletur amor, qui in Patre est, per Filiumque ac Spiritum Sanctum praesens demonstretur in mundo hodierno et potentior omni malo : peccato videlicet potentior ac morte. Interveniente ipsa nos precamur, quae proclamare non cessat « misericordiam in progenies et progenies » ; precamur etiam illis intercedentibus, in quibus verba Sermonis Montani denique tandem completa sunt : « Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur ».[139]

Cum prosequitur Ecclesia magnificum opus deducendi ad effectum Concilium Vaticanum Secundum — in quo perspici iure potest nova Ecclesiae ratio sui ipsius implendi secundum postulata temporis, quo vivere nobis contingit —, illa quidem perpetuo regi debet plena ex huius rei conscientia: haud sibi per idem opus licere ullo pacto in semet ipsa remorari. Totum namque eius vitae propositum est ut Deum patefaciat, Patrem nominatim illum qui tribuit nobis, ut eum in Christo « videa-

[139] *Mt.* 5, 7.

mus ».[140] Quantumvis vehementer obsistere humana historia possit, quantumvis clare diversitas elucere possit civilis cultus nostrorum dierum, quantumvis magnopere Deus per orbem humanum denegari — tanto maior esse tamen debet appropinquatio ad mysterium istud, quod a saeculis in Deo absconditum deinceps revera per Iesum Christum in tempore est cum homine communicatum.

Denique Apostolicam Benedictionem amanti animo vobis impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die xxx Novembris, Dominica I Adventus, anno MCMLXXX, Pontificatus Nostri tertio.

IOANNES PAULUS PP. II

CONSTITUTIO APOSTOLICA

BARENSIS

Nova Provinciae ecclesiasticae Barensis recognitio.

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui Beatissimo Petro in Ecclesiae regimen Dei consilio successimus, non modo in id vires Nostras intendimus omnes, ut doctrina sancta populos pascamus (ait enim Dominus sic ut principi Apostolo illi, ita et Nobis : «Pasce agnos meos... pasce oves meas» *Io.* 21, 15-17) sed etiam ut per aptam finium Ecclesiarum dispositionem Venerabilium Fratrum Episcoporum commodis, fidelium utilitatibus provideamus, quibus in omnibus prodesse annitimur. Qua re, cum Venerabiles Fratres Nostri pastoralis regionis Apuliae Antistites, normis Decreti sacrosancti Concilii Vaticani II « Christus Dominus », n. 40, obsequentes, deque fidelium suorum bono solliciti, ab hac Apostolica Sede postulaverint ut ecclesiasticae Provinciae Barensis fines opportune recognoscerentur, Nos id rati posse in eius Ecclesiae cedere bonum, ea quae sequuntur decernimus.

[140] Cfr. *Io.* 14, 9.

Circumscriptiones ecclesiasticas, quae finibus civilis provinciae Barensis continentur, hactenus Apostolicae Sedi recto subiectas, Provinciae ecclesiasticae Barensi aggregamus, cuius archiepiscopo Metropolitae ad iuris normam subicientur ; Provinciam vero Tranensem exstinguimus. Qua re metropolitana Ecclesia Barensis his coalescet suffraganeis Ecclesiis : Conversanensi, Rubensi et Bituntina, Tranensi et Barolensi, neque quidquam immutetur de earundem archiepiscopali dignitate, Vigiliensi et Andriensi, hucusque Tranensi Sedi suffraganeis, Gravinensi, Melphictensi, Iuvenacensi, Terlitiensi, Monopolitana ; et Praelaturis Altamurensi et Aquavivensi, modo Sanctae Sedi immediate subiectis. Haec vero Venerabilis Frater Marianus Magrassi, Archiepiscopus Barensis, ad exitum deducet, factis nempe ad id facultatibus necessariis, quas alii legare poterit, si visum, modo viro in ecclesiastica dignitate constituto. Ee vero acta, documenta exarentur, atque ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Contrariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo, Pontificatus Nostri tertio.

AUGUSTINUS Card. **CASAROLI**
a publicis Ecclesiae negotiis

& **SEBASTIANUS** Card. **BAGGIO**
S. Congr. pro Episc. Praefectus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*
Angelus Lanzoni, *Proton. Apost. s. n.*

Loco £ß Plumbi
In Secret. Status tab. n. 5280Jj.

*

ALLOCUTIONES

I

Ad eos qui conventui Catholicorum Iurisperitorum Romae habito interi fuere coram admissos.*

Messieurs les Présidents,
Excellences,
Mesdames, Messieurs,

1. Je mesure toute l'importance de cette rencontre avec les représentants du Mouvement international des Juristes catholiques, auxquels se sont jointes de hautes personnalités de l'Organisation des Na-

*** Die 10 m. Novembris a. 1980.**

tions Unies, de l'UNESCO, de la Cour européenne des droits de l'homme, du Conseil de l'Europe et du Corps diplomatique. Je suis très heureux de vous accueillir à l'occasion de votre Colloque romain organisé pour le trentième anniversaire de la signature de la Convention européenne des Droits de l'homme.

Cet anniversaire suscite en effet dans notre cœur une profonde et sincère reconnaissance envers les promoteurs de cet important document, et en même temps il nous stimule à reprendre conscience de tout ce qu'il contient et surtout à vérifier courageusement et sincèrement l'application effective qui a pu en être faite.

Le Colloque vous a permis de réfléchir sur les fondements doctrinaux de la Convention comme sur la jurisprudence qui s'est développée ces trente dernières années pour défendre la dignité de la personne et soutenir ses droits inviolables.

2. Et maintenant cette rencontre avec le Pape, qui se déroule dans le sillage d'une tradition de fécond dialogue entre les Papes et les Institutions européennes[1] et de collaboration entre le Saint-Siège et la communauté européenne, m'offre l'occasion de rappeler l'intérêt et l'engagement de l'Eglise pour la consolidation de la paix et de la justice entre les peuples européens.

Il faut tout d'abord noter que l'Eglise catholique, dans ses hommes les meilleurs et surtout dans ses saints, a offert une contribution décisive pour le développement et pour l'unité de l'Europe. Je le rappelais explicitement le 8 octobre, en inaugurant la chapelle hongroise dans les grottes vaticanes : « De l'œuvre des saints est née une civilisation européenne fondée sur l'Evangile du Christ et a surgi un ferment pour un authentique humanisme, imprégné de valeurs éternelles, tandis que s'enracinait par ailleurs une œuvre de promotion civile sous le signe et dans le respect du primat du spirituel. La perspective ouverte alors par la fermeté de ces témoins de la foi est toujours actuelle et constitue la route idéale pour continuer à construire une Europe pacifique, solidaire, vraiment humaine, et pour dépasser les oppositions et contradictions qui risquent de bouleverser la sérénité des individus et des nations».[2]

3. Il ne fait pas de doute qu'à la base de l'« Europe des hommes » il y a l'image de l'homme que la révélation chrétienne nous a laissée

[1] **Cf. par exemple « I Papi e l'Europa », Documenti, Torino 1978.**

[2] ***L'Osservatore Romano,* 9 octobre 1980.**

et que l'Eglise catholique continue à annoncer et à servir. Il s'agit de l'homme dans sa pleine vérité, dans toutes ses dimensions, de l'homme concret, historique, de chacun des hommes compris dans le mystère de la Rédemption, aimé par Dieu et destiné à la grâce, comme je l'ai longuement exposé dans l'encyclique *Redemptor Hominis*.[3] Cette image de l'homme a marqué de manière particulière la culture européenne et elle sera toujours pour nous le principe fondamental de toute dignité humaine. C'est sur cette base que se construit l'Europe des hommes et des peuples, et pas seulement celle du progrès matériel et technique.

A cette œuvre gigantesque et jamais terminée, une contribution de qualité est apportée par la Convention européenne des droits de l'homme que les Etats membres du Conseil de l'Europe ont signée, «animés d'un même esprit et possédant un patrimoine commun d'idéal et de traditions politiques, de respect de la liberté et de prééminence du droit », pour reprendre les mots du préambule. On a voulu, par cet acte solennel, assurer la garantie collective de l'exercice des droits énoncés dans la Déclaration universelle de 1948, et en même temps tous les Européens se sont engagés à travailler efficacement pour passer de l'égoïsme individuel ou nationaliste à une authentique solidarité entre les personnes et entre les nations.

4. Le chemin accompli par l'Europe au cours de ces trente années, après le bouleversement du dernier conflit mondial, est d'une importance considérable et il est sûrement positif *f* si l'on pense par exemple à la facon de percevoir la hiérarchie des droits, au souci de les garantir au plan législatif et judiciaire, d'éduquer globalement au respect de l'autre et à la reconnaissance de ses droits de façon réciproque. Mais pour assurer à tout homme le droit de vivre dans le plein respect de la dignité due à son existence et à sa liberté, il faut donner encore davantage de place à l'affirmation de chacun des droits énumérés dans la Convention, parmi lesquels certains prennent un relief tout à fait particulier, tel le droit à la vie, dans toute son extension, et le droit à la liberté religieuse.

Le défenseur des droits de l'homme doit être, par sa nature même, l'Etat, tout Etat, auquel le droit naturel assigne précisément comme but le ((bien commun temporel ». Mais, comme l'affirmait mon prédécesseur Jean XXIII dans son encyclique *Pacem in terris,* le bien commun ne peut être conçu qu'en tenant compte de l'homme et de tout l'homme. Le

[3] **N. 13.**

bien commun n'est pas une idéologie ou une théorie, mais il est un engagement à créer des conditions de développement plénier pour tous ceux qui participent à un système social donné.[4] La reconnaissance des droits naturels de l'homme est une condition pour l'existence de l'état de droit : «Le bien de l'homme, ai-je dit dans l'encyclique *Redemptor hominis,* comme facteur fondamental du bien commun, doit constituer le critère essentiel de tous les programmes, systèmes, régimes ».[5] Ce principe personnaliste se trouve aujourd'hui explicitement énoncé ou du moins implicitement accueilli dans les textes constitutionnels des Etats libres, et sa valeur a été proclamée dans la Déclaration universelle des droits de l'homme; il impose à l'Etat des obligations précises pour garantir les fins des personnes qui les composent.[6] A partir de là peuvent être déterminés les contenus du bien commun, lequel est le but de l'Etat et de la communauté des Etats; et de là découlent pour l'Etat des obligations précises.[7]

Il faut mentioner ensuite les institutions et les procédures internationales, telles que la Commission européenne des droits de l'homme — à laquelle toute personne physique, toute organisation non gouvernementale ou groupe de personnes privées peuvent recourir, dans le cas où ils seraient victimes d'une violation des droits reconnus dans la Convention — et la Cour européenne des droits de l'homme. A leur endroit, on peut reconnaître « l'activité méritoire et délicate (qui) vise à assurer le respect des garanties prévues par la Convention, en ouvrant aux personnes qui se plaignent d'avoir été victimes d'une violation des droits de l'homme l'accès à des instances supranationales».[8] Les deux institutions ont étendu leur juridiction à des problèmes fondamentaux tels que la protection de la vie privée, la protection des droits des mineurs, la liberté d'association, le respect des droits de la famille et la promotion des valeurs positives nécessaires au développement intégral de l'homme et des communautés humaines. De la sorte, la Commission et la Cour se sont instituées défenseurs des droits de l'homme et des libertés fondamentales ((qui constituent les bases mêmes de la justice et de la paix » en Europe et dans le monde.

5. Je voudrais vous proposer une ultime réflexion. La Déclaration des droits de l'homme comme la Convention européenne se réfèrent non

[4] Cf. Constitution *Gaudium et Spes,* n. 74.

[5] N. 17.

[6] Cf. *Redemptor Hominis,* n. 17.

[7] *Ibid.*

[8] Cf. mon message du 29 octobre 1979 à l'occasion de leurs anniversaires.

seulement aux droits de l'homme, mais aussi au droit des sociétés, à commencer par la « société familiale ».

Le récent Synode des Evêques, vous le savez, a étudié de façon précise (des tâches de la famille chrétienne dans le monde d'aujourd'hui». La Convention européenne offre, elle aussi, quelques indications précieuses sur ce thème, à commencer par l'article 2 : « Le droit de toute personne à la vie est protégé par la loi. La mort ne peut être infligée à quiconque intentionnellement, sauf en exécution d'une sentence capitale prononcée par un tribunal, au cas où le délit est puni de cette peine par la loi ». Et l'article 8 ajoute : « Toute personne a droit au respect de sa vie privée et familiale, de son domicile et de sa correspondance », tandis que l'article 12 précise : « A partir de l'âge nubile, l'homme et la femme ont le droit de se marier et de fonder une famille selon les lois nationales régissant l'exercice de ce droit». Ces trois articles expriment une attitude ferme en faveur de la vie ainsi que de l'autonomie et des droits de la famille, et ils assurent une rigoureuse défense juridique de ces droits.

Mais dans la ligne de l'affirmation de la priorité de la famille, il me semble important de souligner la disposition de l'article 2 du «Protocole additionnel » qui s'énonce ainsi : « Nul ne peut se voir refuser le droit à l'instruction. L'Etat, dans l'exercice des fonctions qu'il assumera dans le domaine de l'éducation et de l'enseignement, respectera le droit des parents d'assurer cette éducation et cet enseignement conformément à leurs convictions religieuses et phifosophiques ». Cette affirmation exclut toute restriction d'ordre juridique ou économique, ou toute pression idéologique qui empêcherait le droit sacrosaint des parents de s'exercer ; et en même temps elle pousse la famille à assumer son rôle éducatif, en elle-même et dans la communauté civile qui doit lui reconnaître explicitement cette tâche originelle en tant que « société jouissant d'un droit propre et primordial ».[9]

L'Eglise est convaincue que la famille se trouve insérée dans une société plus vaste sur laquelle elle est ouverte et envers laquelle elle est responsable. Mais l'Eglise réaffirme et soutient le droit qu'a tout homme de fonder une famille et de défendre sa vie privée, comme aussi le droit des époux à la procréation et à la décision concernant le nombre de leurs enfants, sans contrainte indue de l'autorité publique, et le droit d'éduquer leurs enfants au sein de la famille.[10] L'Eglise exhorte tous les hom-

[9] Cf. Déclaration *Dignitatis Humanae,* n. 5.

[10] Cf. Const. *Gaudium et Spes,* n. 52 et 87.

mes à veiller à ce que « il soit tenu compte, dans le gouvernement du pays, des exigences des familles concernant l'habitation, l'éducation des enfants, les conditions de travail, la sécurité sociale et les impôts et que dans les migrations la vie commune de la famille soit parfaitement respectée ».[11] La promotion de la famille comme cellule première et vitale de la société, et donc comme institution éducative de base, ou au contraire la diminution progressive de ses compétences et même des tâches des parents, dépend en très grande partie du projet social influencé par les idéologies et concrétisé dans certaines législations modernes, lesquelles en arrivent à être en contradiction évidente avec la lettre des droits de l'homme reconnus par les documents internationaux solennels comme la Convention européenne des droits de l'homme.

Alors s'impose nécessairement le devoir de soumettre les lois et les systèmes à une continuelle révision du point de vue des droits objectifs et inviolables de l'homme.

Il faut souhaiter en fin de compte que tout programme, tout plan de développement social, économique, politique, culturel de l'Europe mette toujours au premier plan l'homme avec sa dignité suprême et avec ses droits imprescriptibles, fondement indispensable de progrès authentique.

C'est dans cet esprit que je me réjouis des échanges approfondis que votre Colloque vous aura permis. Je forme les meilleurs vœux pour que cette rencontre aide désormais tous les participants à réaliser, chacun selon sa responsabilité, les objectifs qui ont été mis en lumière, qu'il s'agisse de l'homme, de la famille ou de l'Etat. Que Dieu vous assiste dans cette noble tâche, et moi, je vous bénis de tout cœur.

II

Ad Boliviae sacros Praesules occasione oblata « Ad limina » visitationis coram admissos.*

Amadísimos Hermanos en el Episcopado:

Con profundo gozo os recibo hoy, Pastores del Pueblo de Dios en Bolivia, que tras un aplazamiento sugerido por especiales acontecimientos en vuestro País, habéis venido a Roma para realizar vuestra visita *ad limina Apostolorum.* Siento cercanos a vosotros a todos los miembros de vuestras respectivas comunidades eclesiales y también a ellos se dirige mi

[11] Décret *Apostolicam Actuositatem,* n. 11.

* Die 13 m. Novembris a. 1980.

afectuoso pensamiento, asegurándoos con palabras del Apóstol San Pablo que « no ceso de dar gracias por vosotros y de hacer de vosotros memoria en mis oraciones, para que el Dios de nuestro Señor Jesucristo ... os conceda espíritu de sabiduría y de revelación en el conocimiento de El ».*

Este fraterno encuentro del Sucesor de Pedro con vosotros, es el momento culminante de vuestra venida a Roma y la expresión alargada de esa comunión eclesial que se ha manifestado ya en los coloquios separados con cada uno de vosotros. Un hermoso camino para hacer cada vez más íntimos los vínculos de unión en el amor eclesial que mutuamente nos ligan.

Doy pues gracias a Dios por todo ello y por la ocasión que se me ha deparado de compartir con vosotros las esperanzas y problemas de vuestras diócesis, así como de alentaros en vuestra generosa entrega a la causa del Señor. Por esto deseaba veros « para comunicaros algún don espiritual, para confirmaros, es decir, para consolarme con vosotros con la mutua comunicación de nuestra fe ».[2]

Deseo expresaros ante todo la íntima satisfacción que me produce constatar la sólida unión de miras y de sentimientos que existe entre los diversos miembros del Episcopado boliviano, aquí moralmente presente en su conjunto y guiado por el Presidente y Vicepresidente de la Conferencia Episcopal. Os exhorto a mantener y consolidar esa comunión, premisa indispensable para una labor pastoral eficaz y sin tensiones comunitarias debilitantes.

Otro motivo de alegría es para mí el empeño puesto por el Episcopado de Bolivia en la promoción de una catequesis acomodada a las circunstancias concretas de vuestro propio ambiente, siguiendo las directrices marcadas por la ((Catechesi Tradendae». No es pues necesario que insista en tal punto, que tanta importancia tiene para lograr esa evangelización profunda y generalizada a la que la Iglesia en Latinoamérica, y en Bolivia en particular, ha dedicado y dedica tan generosas energías.

Precisamente para dar una respuesta vàlida a esa necesidad evangelizadora sé que os estáis ocupando con renovado interés de la pastoral de las vocaciones nativas a la vida sacerdotal y a la vida consagrada en general. Se trata de un capítulo de importancia decisiva para la

[1] *Ef* 1, 17.
[2] *Rom 1,* lis.

animación y mantenimiento en la fe de las comunidades eclesiales. Por este motivo, todas las iniciativas que emprendáis para potenciar tan fundamental sector de la pastoral cuentan con mi más complacido aplauso y mi más cordial aliento.

Para preparar adecuadamente el terreno en el que germinen esas vocaciones, sabéis bien cómo sea imprescindible atender con todo esmero el apostolado de la familia, al que el reciente Sínodo de los Obispos ha justamente consagrado su diligente estudio. En sus reflexiones e indicaciones podréis encontrar inspiración para dar un nuevo impulso a la pastoral familiar.

Esta labor deberá hallar su natural complemento en el esfuerzo educativo de las nuevas generaciones, para que se vayan consolidando en el conocimiento y vivencia de los principios cristianos y sean capaces de llevarlos luego a los diversos ambientes del entramado social. Las realizaciones logradas y la positiva contribución ofrecida por la Iglesia en Bolivia y por las escuelas católicas —de modo singular por la Universidad Católica de La Paz— son un elocuente testimonio del espíritu que anima a la Jerarquía y demás responsables, para educar en la fe y colaborar a la vez al bien de la sociedad entera.

Aunque la misión a realizar es muy amplia y quedan por obtener múltiples objetivos, veo asimismo con agrado que la Iglesia en Bolivia no ha olvidado en ningún momento las iniciativas encaminadas a favorecer la promoción también humana de los sectores más necesitados de la población. Os aliento a intensificar los esfuerzos en tal dirección, con la mirada puesta en la atención prioritaria, no exclusiva ni excluyente, a los pobres, de la que repetidamente yo mismo y los Obispos de Latinoamérica nos hemos ocupado.[3]

No desconozco igualmente que, en cumplimiento de vuestro deber y misión de responsables y guías de la comunidad eclesial en Bolivia, se ha elevado vuestra voz en momentos delicados para la pacífica convivencia a nivel nacional. Fieles a vuestro oficio de Pastores y guiados por una visión cristiana del ser humano, conscientes asismismo de la obligación de servir a la verdad en sus múltiples implicaciones, os habéis pronunciado en favor de « la dignidad del hombre y la libertad del Evangelio)).[4] Es ésta una dimensión del propio magisterio, al que la Iglesia

[3] **Cfr. mi Discurso con motivo del XXV aniversario del CELAM, Río de Janeiro 2 de julio de 1980, n. 7.**

[4] **Cfr. Carta Colectiva de la Conferencia Episcopal de Bolivia sobre «Dignidad y Libertad», Cochabamba 8-9-1980.**

no puede renunciar, como parte indivisible de su servicio a Dios y al hombre.

Queridos Hermanos : Gustosamente me entretendría con vosotros acerca de otros temas concretos, pero no podemos alargar más este encuentro.

Seguid trabajando con renovado entusiasmo en la porción eclesial que os ha sido confiada. Quiera Dios que vuestro empeño y la eficaz colaboración de vuestros sacerdotes, religiosos, religiosas, seminaristas, laicos comprometidos y la de tantas otras personas de buena voluntad hagan disponibles, con el favor del Dueño de la mies que trasciende toda capacidad humana, las fuerzas necesarias para un fiel y continuado servicio a la Iglesia y al hombre hermano. Con mi plegaria por todos los hijos de vuestro querido País, os aseguro mi cordial benevolencia y os doy mi afectuosa Bendición.

III

Iis qui XIV coetui Pontificiae Commissionis a Iustitia et Pace interfuerunt coram admissis.*

Monsieur le Cardinal, chers Frères et Sœurs,

Il est normal et bienfaisant que le Pape se réserve régulièrement un moment avec chacun des Dicastères du Saint-Siège, et spécialement à l'occasion du temps fort de leur travail, de leur réunion pionière. C'est vous dire que je suis heureux de cette rencontre.

1. Au cours de cette quatorzième Assemblée générale de la Commission Pontificale «Iustitia et Pax», vous tous, Membres et Secrétariat, vous avez réfléchi ensemble pour mieux prendre conscience de problèmes importants qui marquent notre époque dans les domaines du développement, des relations entre les peuples, des droits de l'homme et de la paix. Chacun de vous y a contribué à partir de sa propre expérience et de son propre engagement. Je me réjouis du travail que vous avez réalisé et je vous remercie tous et chacun pour ce que cette Assemblée apportera à la mission de l'Eglise et au Ministère pastoral qui m'est confié.

2. Votre tâche est bien en effet une contribution au ministère pastoral de l'Eglise, pour l'Église et, à travers elle, pour toute l'humanité. La Constitution pastorale « Gaudium et Spes » — qui prend un relief parti-

* **Die 14 m. Novembris a. 1980.**

culier pour votre Commission et pour toutes les Commissions nationales « Justice et Paix » en lien avec vous — a exprimé cette idée avec force : «A la fois "assemblée visible et communauté spirituelle", l'Eglise fait ainsi route avec toute l'humanité et partage le sort terrestre du monde ; elle est comme le ferment et, pour ainsi dire, l'âme de la société humaine, appelée à être renouvelée dans le Christ et transformée en famille de Dieu. ... Ainsi, par chacun de ses membres, comme par toute la communauté qu'elle forme, l'Eglise croit pouvoir largement contribuer à humaniser toujours plus la famille des hommes et son histoire».[1]

Oui, grâce à cette foi offerte en témoignage et traduite en action concrète, il nous faut humaniser, en ayant en vue la pleine dimension de la personne, en tenant compte des valeurs fondamentales, culturelles et religieuses.

3. Cette pleine dimension spirituelle est trop souvent négligée ou absente de nos jours dans les entreprises des hommes et des nations. Elle est absente quand l'homme est réduit seulement à l'un ou l'autre aspect de sa profonde totalité. Elle est absente quand une société se referme sur elle-même et vise des objectifs dont une seule partie du peuple bénéficie au détriment des autres. En en prenant une conscience vive et souvent angoissée, beaucoup de personnes de bonne volonté, beaucoup de chrétiens, et en particulier votre Commission n'hésitent pas à consacrer leur attention et leurs forces à la grande tâche du développement authentique de l'homme et des peuples, qui apparaît comme un immense défi. Car chaque jour apporte de nouveaux obstacles sur la route du développement intégralement humain et vous pouvez les inventorier. Certes les théories et les approches abondent qui envisagent le progrès de l'homme, mais de façon souvent partielle ; ou elles cherchent à satisfaire les besoins matériels au détriment des valeurs culturelles et spirituelles. C'est dans ce contexte que nous pouvons découvrir la vocation spécifique qui est nôtre. Nous devons d'abord regarder bien en face les problèmes réels et les moyens techniques, scientifiques ou politiques proposés pour apporter des solutions. Mais notre rôle spécifique de chrétiens, le rôle de l'Eglise, est de confronter ces possibilités aux critères de l'homme, de sa vraie nature et de sa destinée, de sa vocation transcendante.

4. Pour sauvegarder cette destinée, chaque homme doit pouvoir exercer sa liberté, dans un climat d'équité et sans angoisse. Faut-il rappeler qu'il

[1] Const. *Gaudium et Spes*, n. 40, §§ 2 et 3.

